

Small decorative text at the top of the spine.



DEVOTI



STITUTION

NONICARUM

2



BX 1935

D4

v. 2


1854

007650



1080016089

JOSE RAMON DE LA PEÑA.



EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis



*José Ramón de la Peña*


INSTITUTIONUM  
CANONICARUM.

U A N L

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



Sicut à persona B. Petri Apostoli Episcopatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus Sanctitas Vestra singulis ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat.—S. Cæsarius Arelatensis Ep. ad Symmach. P. tom. 2 Concil. col. 956 Collect. Harduini edit. Paris.

# JOANNIS DEVOTI

ANANIENSIS EPISCOPI

## INSTITUTIONUM CANONICARUM

LIBRI IV

A CL. AUCTORE EXPOLITI ET ADDITIONIBUS DITATI.

NOVISSIMA EDITIO

*cui supplementa ac notationes, de iis maxime, quæ ad Hispanicæ Ecclesiæ disciplinam spectant, inseruit*

**DOCT. CAROLUS RAYMUNDUS FORT.**

TOMUS II.



MATRITI: 1853

Apud Joseph. C. Peña.


FONDO HISTÓRICO  
44427

BX1935

D4

v. 2

1854



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

# PIO SEXTO

P. O. M.

JOANNES, EPISCOPUS ANANIENSIS,  
FELICITATEM.

**T**uis auctus, cumulatusque immortalibus beneficiis, PIE, PONTIFEX OPTIME MAXIME, quid ego præstare possum, ex quo omnes intelligant, me, si non parem illis, at pro meo tamen studio meritam gratiam, debitamque retulisse? Sine, quæso, pro Tua illa benignitate, facilitateque animi mirifica, ac singulari, ut qui primum in amplissimo Tuo nomine divulgavi harum Institutionum librum, nunc et alterum; non quod ita putem, me Tuorum in me meritorum assequi partem aliquam posse, sed ut testatum apud omnes relinquam, me nihil pro meis viribus omisisse, ut prædicanda saltem, et habenda gratia tantum efficerem, quantum efficere poterat animus devinctus obstrictusque me-

moria beneficiorum sempiterna. Atque erit, ut spero, tempus, cum hujus testificandi animi sese alia dabit occasio, rogaboque, et obsecrabo Te, ut in Tuo nomine apparere sinas majorum illud vigiliarum opus, quo similiter omnibus viribus, atque opibus elaborabo, ut memoris, gratique animi, non quale debeo, sed quale tamen possum, extet monumentum.

Nam editis his quatuor Institutionum libris, universam rem Canonicam explanandam adgrediar; qua in re persæpe mihi admirandum videtur, quid sit, quod nostri quasi cunctantes, et diffidentes, argumentum scripture dignissimum non satis adhuc pro dignitate tractarunt. Teritur omnium manibus Van-Espenii opus, et interim animo imbibuntur errores, quibus illud undique refertum est. Mitto, quod est maximum, virus hominis male animati in Sedem Apostolicam; sed certe si quis molem illam indigestam consideret diligentius, is mecum fatebitur, valde arduum, atque difficile non esse, homini docto, et disciplina Juris Canonici erudito, Van-Espenium verborum elegantia, veritate sententiarum, rerumque ordine, ubertate, ac delectu superare. Non id arrogantius de me prædico, quasi hoc opus recte perficere me posse censeam, aut quasi me tractaturum profitear partite, copiose, ornate, eleganter rem canonicam universam. Sed rem tentare, atque experiri suo proprie jure videtur licere homini, qui in his studiis suam contrivit ætatem, quique adolescens annorum vigintiduum in Romana Academia alios ad ea cœpit instituere. Itaque mihi certum, ac deliberatum est, omni ope eniti, ut post editas Institutiones, citius, quam poterò, sinentque curæ, et sollicitudines Episcopatus, ad exitum perducatur opus illud, quo totam complectar ecclesiasticam jurisprudentiam; cujus equidem operis gratia multa jam collegi, retulique in commentarios meos. Erit autem universo operi quasi prodromus Historia Juris Canonici, quam equidem alius repetam, ut omnibus uno sit in conspectu positum,

unde Ecclesia condendarum legum potestatem acceperit, et quomodo illæ natæ, propagatæque sint, ex quibus constat corpus Juris Canonici, et quibus Christiani omnes parere coguntur. Magnum opus, et arduum conor, quod ut præstem, dicendum mihi est de Ecclesiæ institutione, natura, regimine, potestate; evolvenda sunt jura Primatus; noscenda jurisdictio, quæ ab illo pendet, quæque ab eo arctari, et constringi potest, Episcoporum. His cognitis, ex quibus pars prima operi efficietur, complectar parte altera collectiones legum Ecclesiasticarum, quæ ab antiquissimis Ecclesiæ temporibus usque ad hanc nostram ætatem in manus hominum pervenerunt.

Sentio equidem, quam magnum mihi onus imponam, sed feram, ut poterò, studio, et industria; ac Tua me in primis, OPTIME, SAPIENTISSEQUE PONTIFEX, reficiet, et recreabit auctoritas. Nam tuis fretus auspiciis; quid ego rem à me confici posse diffidam? Imo vero alacri, erectoque animo hunc laborem suscipiam, neque eum in ipso cursu fractum et abjectum esse patietur ea cogitatio, quæ semper in memoria hærebit, quod opus hoc PII SEXTI nomine insignitum in lucem prodire debet. Quis enim despondere animo poterit, fultus auspiciis Pontificis vere Maximi, cujus virtutes egregias, ac prope divinas omnes cum admiratione suspiciunt, et de cujus laudibus nulla unquam ætas conticescet? Accipe interim, ac dignare Patrocinio tuo alterum hunc Canonicarum Institutionum librum, quem nunc iterum novis curis auctum, et recognitum emitto, mihiq; pedibus advoluto Tuis, Apostolicam Benedictionem attribue.

APPROBATIONES.

**P**ERLEGI diligenter quæ in alterum hoc volumen Institutionum Canoniarum præstantissimus auctor V. Cl. Joannes Devoti, Episcopus Ananiensis, addidit nova: eaque cum rerum tractatarum pondere, tum sermonis perspicuitate et nitore adeo se mihi commendarunt, ut nullus dubitem quin opus egregium his accessionibus ditatum, et ecclesiasticæ juventuti summo opere profuturum, auctoriq; suo gloriæ cumulum sit allaturum. Dabam Romæ Idibus Februarii 1795.

*D. Coppola, Proton. Apostolicus, et Rit. C. Secretarius.*

**C**anonicarum Institutionum Volumen alterum à Cl. V. Johanne Devoti, Ananiensium Episcopo, emendatum, auctumque maxime, litterarum, ac Religionis bono Typis denuo vulgatum iri, testor, planeque confirmo. Dabam Romæ ex Collegio Germanico III. Idus Januarii 1795.

*J. Castillionæus, Proton. Ap. Apostolicæ Pœnit. Litterarum Corrector, et S. Congr. Boni Regimini à Secretis.*

**C**L. Virum Joannem Devotum, nunc Præsulem Anagninum, propter solidam rei Ecclesiasticæ peritiam, elegantiam, eruditionem, methodum, illis omnibus, qui elementa Juris Canonici typis evulgarunt, palmam præripuisse, maxime ex secundo hoc *Institutionum Canoniarum*, repetita et locupletata prælectionis volumine, quod mandante Reverendissimo P. S. Palatii Apostolici Magistro attente perlegi, et in quo nihil reperi, quod ab Orthodoxæ Religionis decretis, rectaque morum institutione discrepet, confidentissime affirmo. Dabam Romæ ex Magna Curia Innocentiana IV. Kal. Martii MDCCXCIII.

*N. Riganti, Majoris Præsidentis Abbr. et AC. in Civilibus Locumtenens.*

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

*F. X. Passeri, Vicesgerens.*

IMPRIMATUR.

Fr. Th. Vincentius Pani, Ord. Præd., Sacri Palatii Apost. Magister.



2. De spiritualibus agentes, non dicemus de gratia, fide, charitate, ceterisque virtutibus, quæ sunt anima Christianæ Religionis, quoniam ad Theologos pertinet tota hæc disputatio. Nos de iis agemus, quæ propria Juris Canonici sunt; et ordiemur à *Sacramentis*, quæ Christus Dominus ad æternam hominum salutem instituit.

(N. S.) Spirituales res *corporea* quadam substantia, et sensibili, veluti obteguntur, uti *Sacramenta*, *Sacrificia*, *Preces*, *Ritus sacri* et: vel *incorporeum* quid sunt, et insensibile; uti *Virtutes*, *multiplices Spiritus S. donationes* et.


Ad res spirituales *corporeas* (de *incorporeis* tractatio reservatum Theologis peculium) vulgo à Canonistis referuntur *Res Sacræ*, *Sanctæ*, et *Religiosæ*. At feliciter fortasse alii istas medium spirituales inter, et corporales ordinem constituere contendunt, tanquam spiritualibus inferiores, et temporalibus potiores; hujusmodi sunt vasa sacra, ædes sacræ, cœmeteria etc.

Num aliquid res Sacras inter, Sanctas, et Religiosas discriminis intersit, juvat hic paucis inquirere. Ac primo Sacer à *secer*, hoc est, *memoria*, deductum vult *Mazochius* in Additamentis ad Vosium: unde *sacra* dicta sint, quæ *memoriæ mandari deceret*. Non abs re igitur in Jure nostro *Sacra* dicuntur, tum quæ divino cultui quoque modo sunt destinata: uti *Ecclesiæ*, *Altaria*, *Sanctorum reliquiæ* etc. tum et strictiori notione, qua sollemni ritu per Episcopum Deo dicata sunt: uti *Calices*, *Altaria*, *Vasa sacrificii*, *ipsæmet sacræ Ædes* et. De his enim specialis quædam memoria servanda est, ne Deo semel dicata, profanis usibus adhibeantur.

Sanctæ: ex pluribus hujusce vocabuli *etymologiis*, illud potius videtur, ut sit à *Sancitum*: unde sanctum idem sit, ac sancitum: quod enim sanctione quadam subnixum est, etsi non sit Deo consecratum, sanctum tamen est, hoc est, *inviolabile*. Sic leges dicuntur sanctæ, et *metonymice* mores sancti, quia divinis humanisque legibus adamussim conveniunt. Recte igitur in Jure nostro res *sanctæ* vocantur, quæ *sanctione*, seu legis prohibitione sunt inviolabiles. Et Ecclesiæ *Sacrosanctæ* nuncupantur, ejusmodi factæ, tum *religione*, tum *lege*: religione scilicet, quod sacris ritibus sint Deo consecratæ; lege autem, quod divinis, humanisque sanctionibus quisque illas violare vetetur.

Religiosa demum loca sunt, quæ sacro cuidam usui addicta, veluti à nobis semota, relinquuntur: nempe à verbo *relinquo*: quod plures doctioresque sequuntur. Antiquo Romanorum jure, locus ille *religiosus* erat, quo mortuus esset illatus: sepultura enim veluti relinquebatur, dum humano eximebatur commercio: *Leg 6, et 8 Dig. de Relig. et sumpt.* Hæc Religio, quam apud Romanos privata constituerebat auctoritas, apud Christianos non sine Ecclesiæ auctoritate inducitur.

Porro inter res Sacras, Sanctas, et Religiosas principem locum habent *Sacramenta*, quæ satius *Res divinas* dixeris, quam Deum ipsum habeant auctorem).



## LIBER II.

ALERE FLAMMAM  
VERITATIS

### TITULUS I.

DE RERUM DIVISIONE.

1. ET 2. RES ECCLESIASTICA QUID? EJUS PARTITIO.

Alter hic liber pertinet ad res ecclesiasticas, quarum latissime patet nomen. Nam quidquid est in Ecclesia extra personas, et judicia, id *rei* nomine comprehendimus. Sunt autem res Ecclesiasticæ, quas Jus Canonicum respicit, vel *spirituales*, vel *temporales*. Spirituales sunt, quæ ad animarum salutem, æternamque earum beatitatem, tanquam ad finem, et terminum, totæ referuntur; atque huc spectant sacramenta, preces, jejunia, dies festi, indulgentiæ, cetera generis ejusdem. Pertinent etiam ad spirituales res *sacræ*, quæ scilicet Deo, et Religioni sunt consecratæ, ut divinus cultus exerceatur, veluti ecclesiæ, sacraque vasa, et ornamenta; itemque res *religiosæ*, domus scilicet, et loca, in quibus vel Regulares vitam traducunt, vel pauperes, atque ægroti curantur, vel fidelium eadavera sepe-liuntur. *Res temporales ecclesiasticæ* sunt redditus, et fundi ecclesiarum, quibus aluntur clerici, et pauperes, omniaque ad Religionis usum necessaria comparantur (1).

(1) Ecclesiastica quidem prædia aliquando *spiritualia* dicuntur, non quod ea revera sint, quæ nobis hoc loco spiritualia esse diximus, sed quod spiritualibus inserviunt, et eo referuntur.

—4—

TITULUS II.

DE SACRAMENTIS.

1. SACRAMENTUM QUID?—2. VIS, ET NATURA SACRAMENTI.—3. ANTIQUORUM SACRAMENTORUM A NOVIS DIVERSITAS.—4. DIVISIO SACRAMENTORUM LEGIS VETERIS.—5. SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS NUMERUS.—6. ET 7. EORUM MATERIA, ET FORMA.—8. GRATIA ET CHARACTER.—9. GRATIA EX OPERE OPERATO PROCEDIT.—10. SACRAMENTA VIVORUM, ET MORTUORUM.—11. QUAE SACRAMENTA CHARACTEREM IMPRIMANT?—12. SACRAMENTA ALIA NECESSARIA, ALIA SINGULIS NON NECESSARIA.—13. ET 14. SACRAMENTORUM MINISTER.—15. ET 16. EIUS INTENTIO QUALIS ESSE DEBEAT.—17. INTENTIO SUSCIPIENTIS SACRAMENTUM.—18. AD 20. RITUS ET CEREMONIAE SACRAMENTORUM.

1.

**S**acramenti in re cum civili, tum ecclesiastica multiplex significatio est. Nam et iusjurandum (1), et pecunia, quam olim litigantes apud Pontificem, aut in aede sacra deponebant (2), et arcanum (3), atque mysterium (4), et interdum etiam sacer quilibet ritus, ac caeremonia sacramentum appellatur (5). Nos hoc loco sacramentum dicimus «invisibilis gratiae visibile signum ad sanctificationem nostram divinitus institutum (6).»

(1) *Auth. Sacramenta puberum Cod. Si advers. vendit.* Hinc iusjurandum, quo milites suam Imperatori fidem obligabant, sacramentum militare, et milites ipsi sacramento obstricti dicebantur. *Leg. 8 ff. de Accusation., Leg. 11 ff. Ad L. Jul. de Adulter., Leg. 15 ff. de Re militar. Leg. 14 ff. de his quae ut indign. Leg. 3 §. 1 Cod. ad L. Jul. majest.*

(2) Litigantes initio iudicii certam pecuniae vim apud Pontificem, aut in aede sacra deponebant ea lege, ut victor, peracto iudicio, suam repeteret, victus autem poenae causa aërio relinqueret. Unde et haec pecunia deposita, et inita super ea stipulatio sacramentum dicebatur. Confer. Jacobum Gultherum de *Jur. Pontific. lib. 4 cap. 21.*

(3) Apostolus ad *Ephesios IX 11 ut notum faceret*, inquit, *sacramentum voluntatis suae*; Tob. XII 7 *sacramentum regis abscondere bonum est*; et Daniel e. 11 v. 13 *ut quærant misericordiam à facie Dei cæli super sacramento isto.*

(4) Apostolus ad *Colossen. I. 27 incarnationem Christi Domini appellat sacramentum.* S. Augustinus *serm. 227 col. 975 tom. 5 ed. Maurin. Venet. 1751*, memorat exercismi sacramento, et *lib. 2 de Peccator. merit. et remiss. cap. 26 col. 62 tom. 10*, panem benedictum, et salem catechumenis dari solitum, sacramentum vocat; quo eodem verbo utitur Concilium Carthagenense III *can. 5 apud Labbæum tom. 2 col. 1400 ed. Venet.* Similiter S. Paulinus *ep. 50 num. 4 et 15 col. 288 et 294 ed. Muratorii Veronæ* mysterium sacramentum appellat.

—5—

(5) Ita orationis Dominicae sacramenta dixisse videtur S. Cyprianus de *Orat. Dominic. pag. 139 ed. Rigaltii Paris 1666.* Communes christianorum preces in divinis celebrandis officiis, similiter à Patribus dictae sunt sacramenta; et huc spectat S. Ambrosius *lib. 5 de Virgin. cap. 5 tom. 5 col. 212 ed. Maurin. Venet. 1751.*

(6) Definitionem huic simillimam Augustini nomine proponit Gratianus in *can. 52 dist. 2 de consecr. Sacramentum*, inquit, *est invisibilis gratiae visibilis forma*; quae definitio his concepta verbis apud Augustinum nusquam extat; sed tamen, ut in eum locum monent Romani Correctores, ex Augustini verbis in *lib. de Catechiz. rud. cap. 26 col. 295 tom. 6 ed. indic.* desumpta est. Explicatius Catechismus Romanus *part. 1 cap. 1 num. 11* sacramentum definit, *rem sensibus subjectam, quae ex Dei institutione sanctitatis, et justitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet.*

2. Tria igitur sunt, quae ad sacramentum pertinent: divina institutio, visibile signum, et invisibilis gratia, quae externo illo signo confertur, et designatur. Nam summus dominator, et artifex rerum Deus, ut quae occulta ejus virtute efficiuntur, facilius imbecillitas, fragilitasque humani generis intelligeret, eam ipsam virtutem declaravit signis, quae sub sensus cadunt (1), eaque esse voluit quasi pignora divinarum promissionum (2), et remedia ad animarum salutem vel tuendam, vel recuperandam (3), et vincula christianae societatis, notasque, et symbola, quibus ejus fidem testatam faceremus (4), quibusque fideles internocerentur (5).

(1) Praclare S. Joannes Chrysostomus *Hom. 32 in Matth. num. 4 pag. 787 tom. 7 ed. Montfauconii Paris. 1727.* *Si incorporeus*, inquit, *esses, nuda tibi illa, et incorporea dona tribuisset; sed quia corpori conjuncta est anima, in sensibilibus spiritualia tibi largitur.*

(2) Egrege Catechismus Romanus *par. 2 cap. 1 n. 14.* *Quemadmodum inquit, in veteri testamento Deus secebat, ut magni alicujus promissi constantiam signis testificaretur; ita etiam in nova lege Christus Salvator noster, cum nobis peccatorum veniam, caelestem gratiam, Spiritus Sancti communicationem pollicitus est, quaedam signa oculis, et sensibus subjecta instituit, quibus cum quasi pignoribus obligatum haberemus, atque ita fidelem in promissis futurum dubitare nunquam possemus.*

(3) Confer S. Ambrosium de *Sacram. opp. tom. 5 pag. 440 ed. Maurin. Venet. 1751.*

(4) Sacramentis enim fidem nostram in hominum conspectu declarare, atque omnibus illustrem, ac manifestam facere videmur; et huc spectat Apostolus ad *Roman. X 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

(5) *In nullum nomen religionis*, inquit S. Augustinus contra *Faustum lib. 19 cap. 11 col. 519 tom. 8 edit. indic., sive verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilibus consortio colligerentur.* Utrumque igitur praestant novae legis sacramenta; scilicet et fideles ab infidelibus distinguunt, et ipsos fideles inter se sancto quodam vinculo conjungunt.

3. Sua etiam sacramenta habuit vetus Testamentum, eaque umbræ, et figuræ erant venturi Servatoris; verum sacramenta novæ Legis Christum jam natum exhibent (1). Scilicet tantum fide in Christum servari homines possunt (2). Itaque, ut hanc fidem sustineret, abundans misericordia, et elementia Deus, instituit sacramenta, quæ vel venturum Christum adumbrarent, vel jam natum ostenderent; et vero tum ante, tum post Christi adventum, fides in Servatorem illustrius excitari, fovèrique non poterat, quam externis signis, quibus homines fidem suam manifestam facerent.

(1) *Sacramenta novi testamenti*, inquit S. Augustinus in *Psalm. 75 col. 769 tom. 4 opp. cit. ed. Ven.*, dant salutem, sacramenta veteris testamenti promiserunt Salvatore.

(2) Apostolus II ad *Corinth. V 19*, et ad *Galat. II 16*. Itaque ab exordio generis humani, inquit Augustinus ep. 102 ad *Deogratias col. 277 tom. 2 indic. edit.*, quicumque in eum (Christum) crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, et secundum ejus præcepta pie, et juste vixerunt, quandolibet, et ubilibet fuerint, et per eum procul dubio salvi facti sunt. Confer eundem S. Augustinum ad *Bonifacium contr. duas epist. Pelagian. lib. 5 cap. 4 col. 450 tom. 10*, et de *Nuptiis et concupiscen. lib. 2 c. 11 col. 515 eod. tom. 10*; S. Ignatium martyrem ep. ad *Magnes. apud Cotelerium pag. 155 tom. 2 PP. Apostolic. ed. Amstelædani 1724*; S. Justinum *Dialog. n. 64 pag. 161 ed. Paris 1742*; S. Thomam in *Sum. par 5 quæst. 61 art. 5*.

4. Sacramentorum legis Mosaicæ multiplex erat genus. Quædam enim pertinebant ad consecrationem, sive institutionem populi, aut ministrorum in cultu Dei, ut *circumcisio* et *Sacerdotum consecratio*; quædam sacrarum rerum usu constabant, ut *agni Paschali in azymis comestio* quoad populum, *oblatio victimarum*, *esus propositionis etc.* quoad sacerdotes; quædam denique erant, per quæ divini cultus impedimenta removebantur, nimirum *legales sordes*, et *crimina*, ut *purificationes*, ac *lustrationes*, et *sacrificia piacularia*, præsertim *vaccæ rufæ* et *hirci emissarii* (1). Verum hæc sacramenta Hebræis tantum divina lege erant necessaria, non item reliquis gentibus, quæ etiam sine his externis signis æternam salutem consequi poterant, modo cum aliqua Mediatoris fide legem naturalem observarent (2).

(1) Divisionem hanc sacramentorum antiquæ Legis tradit S. Thomas. 1. 2 *quæst. 102 art. 5*. Consule Natalem Alexandrum *Hist. Eccles. in 4 mundi sæculat dissert. 5 art. 4 tom. 1 pag. 561 ed. Venet. 1776*. De hirci emissario vide *Levit. c. 16 v. 7 et seq.* ibique Calmetum in *Comment.*

(2) Vide S. Augustinum de *civ. Dei lib. 18 cap. 47 col. 550 tom. 7 opp.*

*ed. Maurin. Venet. 1752. Theodoretum interrog. 68 in Genes. opp. tom. 1 pag. 55 ed. Paris. 1642. S. Gregorium M. Præfat. in lib. Job. col. 3 tom. 1 opp. ed. Maur. Paris. 1705.* Iisdem tamen judæicis sacramentis tenebantur etiam Proselyti *Exod. 12 48*, advenæ scilicet, qui ex gentibus ad Judæos transiverant.

5. Subblatis Christi morte sacramentis, et ceremoniis Hebræorum, quoniam cessare oportebat umbras adventu ejus, quem figurabant (1), christiana sacramenta, jam nati Mediatoris symbola, Christus Dominus instituit. Ea vero septem numero sunt; scilicet: *Baptismus*, *Confirmatio*, *Pœnitentia*, *Eucharistia*, *Extrema-Untio*, *Ordo*, *Matrimonium* (2). Quæ singula vera esse Catholicæ Ecclesiæ sacramenta, nec plura, quam septem hæc, à Christo esse instituta, explorata fidei doctrina est (3).

(1) *Prima sacramenta*, inquit Augustinus *contr. Faustum lib. 19 cap. 45 col. 520 tom. 8 laud. edit.*, quæ celebrabantur, et observabantur ex lege, pronuntiativa erant Christi venturi. Itaque hæc sacramenta ideo sunt ablata, quia ea suo adventu Christus implevit, uti pergit Augustinus *loc. cit.*, quæ cum suo adventu Christus impleviset, ablata sunt, et ideo ablata, quia impleta.... et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Quod etiam tradit *lib. de Vera Relig. cap. 17 tom. 1 col. 758*, de *Doctrina Christ. lib. 5 cap. 9 tom. 5 par. 1 col. 49*, et *ep. 54 tom. 2 col. 124*.

(2) Concilium Tridentinum *sess. 7 can. 1 de Sacramen.*

(3) Late de hoc catholicæ fidei dogmate contra Lutheranos, Calvinianos, ceterosque hæreticos disputant Juenius de *Sacram. dissert. 1 de sacram. in gener. quæst. 2 cap. 4*, Drouvenius de *re Sacrament. lib. 1 quæst. 5 c. 2*, aliique Scriptores rerum Theologicarum.

6. Jam duabus veluti partibus constant sacramenta, signo sensibili, quod sensibus subjicitur, et re invisibili, quæ sensus fugit. Signum sensibile constant ex *materia*, hoc est, ex re, quæ conficitur sacramentum, et ex *forma*, nimirum ex verbis, quæ in eo conferendo adhibentur (1). Atque in hoc ritu, qui ex rebus, et verbis divina auctoritate conficitur, sacramentum consistit, cum res à verbis sejunctæ sacramenta non sint, sed per verba ad sacrum usum determinentur (2).

(1) Voces *materia*, et *forma* ex Peripatetica philosophia arreptæ sunt, atque eas primus usurpasse videtur Guilelmus Antisiodorensis, qui sæculo XIII vitæ usura fruebatur: eum postea sequuti sunt Alexander de Halles, Albertus M., D. Thomas, ac denique Ecclesia universa. Ante hoc tempus in sacramentis res, et verba distinguebantur. Ita Tertullianus de *Præscript. cap. 40 pag. 216 ed. Venet. 1744* ait, dæmonem in suis idolorum mysteriis res sacramentorum divinatorum æmulari. Dicebantur etiam communiter mystica symbola, sacra signa, Religionis initia, seu initiationes, et sacramenta.

Paulo distinctius interdum designabantur per elementum, et verbum; quo sensu Augustinus in *can. 54. cap. 1 q. 1* agebat: *accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*. Sed primum Latinos, postea Græcos vocabula illa materiam et formam usurpasse ostendit Morinus de *Sacr. ordin. part. 5 exerc. 1 cap. 5*.

(2) *Detrahe verbum*, inquit Augustinus in *can. 54 c. 1 q. 1*, *et quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*.

7. *Materia vel remota, vel proxima est*. Remotam dicimus rem ipsam, quam in conferendo sacramento adhibemus, qualis est aqua, oleum, etc.; proximam vacamus ipsum rei usum, uti est ablutio, unctio etc. Forma aut *pura*, sive absoluta est, aut *conditionalis*. Hæc in iis sacramentis adhibetur, quæ iterari non possunt, cum incertum est, rectene collata fuerint, an secus (1).

(1) *Conditionalis formæ expressa mentio primum occurrit VIII sæculo in statutis S. Bonifacii, Episcopi Moguntini, quæ condita sunt circa annum 745 extantque apud Dacherium Spicileg. tom. 1 cap. 28 pag. 508 edit. Paris. 1725, itemque in Capitularibus Caroli M. apud Baluzium lib. 6 cap. 184 t. 1 col. 658 edit. Venet. 1772, unde idem decretum excerpsit, suæque canonum collectioni tit. 11 cap. 17 adiecit Isaac Episcopus Lingonensis apud Harduinum Collect. Concil. tom. 5, col. 447 edit. Paris. Ex quo recte colligit Edmundus Martenius de Antiquis Eccles. Ritib. tom. 1. lib. 1 cap. 1 art. 16 num. 10 pag. 59, edit. Antuerpiæ seu Venet. 1765, quantum à vero aberraverint, qui conditionalem hanc formam primum à Scholasticis inventam, atque in Ecclesiam inveciam putarunt, cum ea revera multo ante Scholasticorum ætatem adhiberetur. Ante sæculum VIII, sacramenta, quæ repeti nequeunt, nulla adjecta expressa conditione repetebantur, cum plane incertum erat, collata ne, et an recte collata fuissent. Non inde tamen confici potest, quod aliquibus visum est, antiquam Ecclesiam sine ulla prorsus conditione conferre consuevisse sacramenta, quæ iterari non possunt. Non erat quidem disertis verbis concepta conditio, quæ tantum VIII sæculo expressa esse cœpit, sed erat tamen conditio tacita, quæ eodem redibat; et Ecclesia, quæ semper rebaptizantium hæresim damnavit, baptismum repeti voluit, quatenus non constaret, num collatus, aut num recte collatus fuisset. Nam non monstratur iteratum, quod non certis indicibus ostenditur rite peractum, uti loquitur S. Gregorius M. Ep. 17 lib. 14 ad Felic. col. 1279 opp. tom. 2 ed. Maurin. Paris 1705. Quod ante Gregorium docuerat S. Cyprianus Ep. 69, ad Magnum pag. 297 edit. Amstelædami 1700, cum de vi baptismi clinicorum per aspersionem dati interrogatus fuisset, itemque S. Leo M. Ep. 139 p. 490 par. 2 opp., edit. Rom. 1755, et Patres Concilii Carthagenensis V., qui, cum quaereretur, quid agendum esset de pueris, qui num baptizati essent, nemo certo sciebat, responderunt *can. 6, col. 987 tom. 1 collect. Harduini, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari*. Placuit hæc canonis verba describere, ut facile deprehendatur error Auctoris Delectus actor. Eccles. univers. qui in notis ad eundem Canon. tom. 2 col. 169 Lugduni 1706, *trepidationem, et dubitationem interpretatur conditionem*, quasi omnis conditio à Carthagenensibus Patribus rejecta fuerit. Trepidatio et dubitatio Patribus est incertus, ancepsque animus, propter quem illam ad synodum controversiam detulerant,*

qui dubitabant, num in illo rerum discrimine baptismum repetere oporteret. Evellant hinc scrupulum Concilii Patres, agentes, baptismum esse repetendum, *ne ista trepidatio* (quod certe de conditione intelligi nequit) *eos faciat sacramentorum purgatione privari*. Item quoque de iisdem infantibus respondit Gregorius II. *Epist. 2 num. 9 col. 1859 tom. 5 collect. concil. Harduini*. Ecclesia igitur, cum eorum baptismum repeti volebat, et simul etiam damnabat hæresim rebaptizantium, non aliter illud fieri voluit, quam cum tacita, animoque retenta conditione: *si non es baptizatus*. Quæ conditio, uti dixi, sæculo VIII verbis expressa esse cœpit, eamque disciplinam suam jam ætate multis in locis receptam probavit, et ubique servari jussit Alexander III in *cap. 2 de Baptismo (a)*, ac denique confirmavit Joannes XXII. apud Raynaldum *ad ann. 1353 num. 42 tom. 5 pag. 566 edit. Lucæ 1750*. Nunc agitur conditionalis forma adhibetur in sacramentis, quæ iterari non possunt; verum ea non temere, et inconsulto adhibenda est, sed cum adest probabilis dubitatio, ac re primum cognita, et quæ sita diligenter, uti monet Catechismus Romanus *par. 2 cap. 2 num. 57*. Confer Benedictum XIV, qui ea de re late dissertit in *Instit. Eccles. Instit. 8 et 84, et de Synod. Diæces. lib. 7 cap. 6*. Disputant Theologi, num etiam in sacramento Pœnitentiæ conditionalis absolutio tribui possit, cum scilicet incertum est, num minister necessaria verba pronuntiaverit, autnum is, qui absolutionem obtinet, ad eam suscipiendam aptus, et idoneus sit. Hujus conditionalis formæ in sacramento Pœnitentiæ initium plerique repetunt à sæculo XIV., sed revera ejus est expressa mentio apud Joannem Gersonium, qui in eunte sæculo XV. vitam agebat in *tractat. de schismate pag. 79, de Unit. Eccles. pag. 118 in Responsion. ad interrogat. Chartusian. pag. 461 tom. 2 opp. edit. Antuerpiæ 1706*. Vide Juvenium de *Sacramen. dissert. 1 de sacram. in gener. ques. 5 cap. 5 art. 2, Tournelyam Prælect. theolog. tom. 7 de Sacram. in gener. ques. 1 art. 4 concl. 2, et Benedictum XIV de Synod. diæces. lib. 7 cap. 15, qui de ea re copiose disputant.*

(a) (N. S.) Id quod aperte docuit Syn. diæces. Valent. an. 1255, Const. de forma Baptismi et Tolet. an. 1525, cap. 15.

8. *Res invisibiles, quas signa illa externa significant, et continent, duæ præcipuæ sunt: gratia, et character*. Gratia communis est omnibus sacramentis. Nam quisquis ea rite, et recte suscipit, hoc est nullo posito aut contrariæ voluntatis, aut præviæ dispositionis obice, is gratiam accipit, quam Theologi *sanctificantem* appellant. Hæc autem *non solum peccata remittit, sed justificat, et renovat interiorem hominem, qui ex injusto fit justus, et ex inimico amicus Dei, ut sit heres secundum spem vitæ æternæ, uti docet Synodus Tridentina (1)*.

(1) *Sess. 6 de Justific. cap. 7.*

9. *Gratiam sacramenta conferunt suapte vi, et natura, sive, ut inquirunt Theologi, ex opere operato (1)*. Itaque non ex meritis suscipientis, aut conferentis sacramentum, vis ejus æstimatur, sed ea tota profluit à Christo, qui per ipsum opus, quod Minister rite conficit, divinam gratiam hominibus tribui voluit (2).

Qua in re sacramenta novæ Legis valde differunt à veteribus, quæ tantum Mediatoris fidem sustinebant, cum salus esset à fide suscipientium, aut parentum, neque sua vi gratiam conferebant (3).

- (1) Conc. Tridentinum Sess. 7 de Sacramen. can. 8.  
 (2) S. Augustinus lib. 4 Contr. Crescon. cap. 16 col. 495, opp. tom. 9 ed. Venet. 1755, non eorum meritis, docet, à quibus ministratur, aut eorum, quibus ministratur, constare baptismum, sed propria sanctitate, atque veritate propter eum, à quo institutus est. Eadem habet Anastasius P. Ep. ad Anastas. Imper. cap. 8 pag. 274 apud Pithoeum Cod. Canon. Paris 1687. Consentiant Græci, et Latini Patres, quos cumulat Drouvenius de Re Sacramen. quest. 4 cap. 1. Ecclesia, ut hæc catholica veritas planius populo fideli proponeretur, invenit vocabulum operis operati, quo circa ætatem D. Thomæ Aquinatis uti cepit. Disputant vero inter se Thomistæ, et Scotistæ de modo, quo sacramenta gratiam elargiuntur. Illi nimirum sacramenta causam physicam gratiæ esse contendunt, hi vero tantum causam moralem, hoc est, non ipsis sacramentis velut inditam esse gratiam, sed per ea moveri Deum ad gratiam elargiendam; excepta Eucharistia, quæ ex se gratiam effundit, quoniam ipsum gratiarum fontem, Christum, continet.  
 (3) Apostolus ad Galat 3, 9 vetera sacramenta infirma, et egena elementa vocat.

10. Non eodem modo sese gratia explicat in omnibus sacramentis. Nam quædam hominem mortuum veneno peccatorum, excitant, et revocant ad vitam spiritualem, uti sunt Baptismus, et Pœnitentia, quæ conferunt primam gratiam, et mortuorum sacramenta appellantur. Reliqua sacramenta vivorum dicuntur quod dantur iis, qui vivi sunt gratiæ, eaque superfundunt gratiam secundam, prioris incrementum, et robor.

11. Præter gratiam, quæ communis est omnibus sacramentis, quædam sunt, quæ conferunt etiam characterem; hoc est, notam quadam impressam, et insculptam animo, quæ deleri non potest (1). Hujusmodi sunt Baptismus, Confirmatio, Ordo, per quæ sacramenta fixa, certa que nota efficiuntur, aut Dei filii, aut Christi milites, aut christianæ religionis ministri, ac sacerdotes. Et quia character semel animo impressus semper manet, idcirco tria hæc sacramenta nefas est iterare; iterantur cetera, quæ non imprimunt characterem.

(1) Concilium Tridentinum Sess. 7 can. 9 de Sacrament. Hujus signi, et characteris satis perspicue meminit Apostolus II ad Corinth. 1, 21 et 22. Qui unxit nos Deus, ait, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris; et ad Ephesios 1, 14 IV. 30. In quo et credentes, inquit, signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.... Nolite contri-

tare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Apostolicam hanc doctrinam explicatius tradiderunt antiqui Patres, præsertim Hermas Pastor lib. 3 Simil. 9 n. 16 apud Cotelerium PP. Apostol. pag. 120 tom. 1 edit. Amstelædami 1724 S. Cyprianus Ep. 68 p. 258 ed. Amstelæd. 1700. S. Cyrillus Hierosolymitanus Cateches. 17 num. 55 p. 262, et Procatech. n. 16 pag. 12 edit. Paris. 1720, quorum primus baptismum sigillum filii Dei, alter signum Dei, postremus signaculum sanctum, et indelebile appellat. Diserte etiam S. Epiphanius Hærs. 8 l. 1 n. 6 tom. 1 pag. 19 edit. Coloniae 1682, S. Basilius in Exhort. ad Bap. hom. 15 t. 2 p. 117 edit. Montfaucon. Paris. 1721., S. Joannes Damascenus de Fid. orthodox. l. 4 cap. 9 opp. t. 1 pag. 261 edit. Lequienii Venet. 1748, S. Ambrosius de Spiritu S. lib. 1 c. 6 n. 79 opp. to. 4 col. 22 ed. Maurin. Venet. 1751, et S. Augustinus de Baptism. l. 1 cap. 1 col. 79 et lib. 6 cap. 1 col. 161 lib. 2 contr. epistol. Parmenian cap. 15 col. 44 et 45 et in Sermone. ad Cæsareen. Eccles. plebem num. 4 col. 620 opp. tom. 9 edit. Maurin. Venet 1755, memorant characterem dominicum, seu sacramentalem, per quem Christiani distinguuntur. Falsus igitur est Van-Espeus par. 2 Jur. eccles. tit. 1 de Sacram. in gener. c. 1 num. 11 et 15. cum apud Patres, aut in antiquis canonibus de hoc characterem nihil solidi occurrere asseverat, adeo ut antiqui scholastici cum pro characterem pugnarunt, tantum niti potuerint Decretali Innocentii III in cap. 3 de Baptismo, qua expresse definitum est, Baptismo imprimi characterem.

12. Rursus alia sacramenta singulis sunt necessaria, vel omnino, et necessitate mediæ, ut inquirunt, ita ut sine illis nemo æternam salutem consequi possit, qualia sunt Baptismus, qui necessarius est omnibus, ac Pœnitentia, quæ est necessaria iis, qui post Baptismum crimen aliquod perpetrarunt; vel sola necessitate præcepti, quo fit ut contemni quidem, aut oblata refutari sine animæ detrimento nequeunt, at, eorum suscipiendorum non oblato loco, impune omittantur. Hujusmodi sunt Confirmatio, Eucharistia, et Extrema-Unctio. Reliqua duo sacramenta, Ordo scilicet, et Matrimonium, necessaria quidem sunt universo corpori Ecclesiæ, non tamen singulis, cum nulla necessitas cogat singulos homines aut ordines suscipere, aut nuptias conciliare (1).

(1) Concilium Tridentinum Sess. 7 can. 4 de Sacram.

13. Omnia sacramenta ministrum postulant, et subjectum, illum scilicet, qui ea conferat, et illum, qui ea suscipiat. Utrumque soli homines præstant (1); sed non omnis homo ea conferendi habet potestatem, verum ii tantum, quibus id munus divina, et ecclesiastica auctoritate datum est (2). Generatim sacramenta conferre Episcoporum est, et Sacerdotum (a). Quædam tamen exigunt ministrum consecratum, quædam ministrum quem-

libet habere possunt (3). Consecratum ministrum sacramenta omnia postulant, excepto Baptismo, qui à quocumque collatus valet (4), et excepto Matrimonio, si vera est opinio illorum, qui putant, ejus ministros esse ipsos contrahentes (5).

(1) Quæsitum est in scholis, num soli viatores homines, an etiam Cælitæ, atque Angeli sacramentorum ministri sint? Certe viatoribus tantum hominibus id munus à Christo datum, sacræ literæ ostendunt; quod præ ceteris animadvertit Chrysostomus *de Sacerdot. lib. 5 n. 5 opp. tom. 1 pag. 585 edit. Montfauconii Paris. 1718*, ideoque ab eo ministerio Cælitæ, atque Angelos excludos habere debemus; quamquam, uti docet D. Thomas *par. 5 quest. 64 art. 7*, possit Deus, ubi velit, etiam Angelis *extra ordinem* hoc munus committere.

(2) Concilium Tridentinum Sess. 7 can. 10 *de Sacram.*

(a) Sacramentorum Minister ordinarius Parochus est: Trid. Sess. 25 *Ref. c. 1. — Tarracon. Syn. an. 1291*: « nullus Clericus præsumat quodcumque Sacramentum ecclesiasticum alteri parochiano aliquatenus ministrare, absque licentia proprii Rectoris, seu Diocæsani, vel Officialis ejusdem. — V. tom. 1 pag. 250 §. 92. »

(3) Discriminis ejus causas accurate, cum primis, enucleateque nuper illustravit V. Cl. Fr. Hermanus Dominicus Christianopolus, *Ord. Præd., in libro: della Nullità delle assoluzioni ne' casi riservati; cap. 2 sect. 1 §. 5 pag. 142 seqq.*

(4) *Can. 21, 25, 26, de Consecr. dist. 4.*

(5) De hac quæstione suus erit agendi locus paulo post, cum de Matrimonio disputabimus.

14. In conficiendis sacramentis Ministri media tantum salutis exhibent, et tractant, neque suam gerunt personam, sed Christi, qui eadem instituit, et à quo vis eorum procedit (1). Quare sive bonis, sive pravis imbuti sint moribus, sacramenta conficiant, et conferunt, modo id faciant, quod in sacro illo explendo munere catholica Ecclesia fieri jubet. Hinc mali ministri sibi quidem æternam perniciem, et mortem asserunt, cum sancta tractant impure, se impedire non possunt fructum gratiæ, qua donantur, qui sacramenta recte suscipiunt (2).

(1) Concilium Trident. Sess. 7 *de Sacrament. Can. 12 et Sess. 7 de Baptism. can. 4 Magnum quidem est baptisma*, inquit S. Jo. Chrysostomus *Hom. 5 in 1 ad Corinth. n. 2 pag. 18 tom. 10 ed. Paris. 1752, sed non illud magnum facit is, qui baptizat, sed qui in baptismo invocatur.* Confer etiam S. Augustinum *de Baptismo Contr. Donat. lib. 5 c. 10 col. 115 et Contr. Crescon. lib. 5 cap. 8 col. 459 tom. 9 ed. Venet. 1755*, et S. Gregorium Nazianzenum *Orat. 40 in S. Baptisma p. 656 tom. 1 opp. ed. Paris. an. 1690*. Atque hinc spectat S. Joannes I. 55, et S. Paulus I. *ad Corinth. I. 11 et seq. et 5. 4 et seq.*

(2) Memento ergo, ait Augustinus *lib. 2 Contr. liter. Petil. cap. 47 col. 255 tom. 9*, sacramentis Dei nihil obesse mores malorum homi-

num, quo illa vel omnino non sint, vel minus sancta sint. *Et tract. 5 in Joan. num. 18 tom. 3 part. 2 col. 528 opp. ed. Ven. cit. Dedit baptismum, inquit, Judas, et non baptizatum est post Judam, dedit Joannes, et baptizatum est post Joannem. Quia si datus est à Juda baptismus, Christi erat; qui autem à Joanne datus est, Joannis erat; non Judam Joanni, sed baptismum Christi, etiam per Judæ manus datum, baptismum Joannis, etiam per manus Joannis dato, recte præponimus.* Atque hæc causa erroris fuit Novatianis, Donatistis, S. Cypriano, et ceteris, quod non distinguentes externum sacramenti opus humanum ab interno effectu divino, perperam existimarunt, effectum sacramenti necessarium ab homine ministrante, non à sanctificante Deo procedere, uti observat Augustinus *de Baptism. Contr. Donatist. lib. 6 cap. 1 col. 161 tom. 9 edit. indic.*

15. Quamquam autem sacramenta opus non habeant Ministri sanctitate, postulant tamen ejus intentionem, hoc est, deliberatam voluntatem id, quod agitur, conficiendi (1). Quam intentionem scholæ triplicem faciunt: *actualem*, quæ præsto est, cum ad id, quod agimus, animum appellimus, et nihil omnino aliud cogitamus; *virtualem*, quæ adesse dicitur, cum ad ali-quid proprium animum adjunximus, neque postea voluntatem hanc revocavimus, sed adhuc in ea perseveramus, licet aliud cogitemus, cum rem ipsam agimus; denique *habitualement*, quam habet, qui nulla animi deliberatione, sed tantum consuetudine proclivis ad sacrum ministerium, atque alio distracto animo, sacramentum administrat. Sane *actualis* voluntas efficacissima est, *virtualis* sufficit ad vim sacramenti, *habitualement* autem plane inutilis est (2).

(1) Conc. Tridentinum Sess. 7 *Can. 11 de Sacram.*

(2) S. Thomas *part. 2 q. 64 art. 3* sufficere ait *habitualement* intentionem ad perfectionem sacramenti; sed ei voluntas *habitualement* est, quam nos hodie *virtualem* appellamus.

16. Nam sacramentalis actio humano modo fieri debet; scilicet, non more pecudum, sed certo, ac deliberato animo, quod est proprium hominis, qui particeps rationis est. Atqui modum humanum non præstat habitualis intentio, quam habent etiam amentes, dormientes, ebrii, qui certe non humano agunt modo, nec cum judicio rationis, quidquid agunt. Ferri voluntas debet in ea, quæ Christus jussit, quæque facit Ecclesia (1), eaque in hoc opere conficiendo seria, ac deliberata esse debet (2). Nam sacramenta mimice, et per jocum, aut dieis causa administrata nulla, et inania sunt.

(1) Concilium Florentinum in *Instruct. ad Armenos* apud Labbæum tom. 48 *Concil. col. 547 edit. Venet. Conc. Tridentinum Sess. 7 de Sacram. in gener. can. 11* hinc inter ceteras propositiones ab Alexandro VIII. proscriptas illa etiam refertur: *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo quod facit Ecclesia.* Quamquam vero Minister sacramentum conficiens debeat intendere, quod facit Ecclesia, necesse tamen non est, eum etiam intendere id, quod ipsa intendit Ecclesia, quæ per illum actum verum conferri sacramentum, et gratiam sacramentalem docet. Scilicet si quis improbus Minister intus inclusa cogitatione putet, sacramentum non eam vim habere, quam habere censet Ecclesia, sed tamen serio velit hos ipsos, quos Ecclesia adhibet, externos ritus peragere, hæc intentio faciendi id, quod facit Ecclesia, non quod ea intendit, satis quidem habetur ad vim sacramenti. Audiendus ea de re D. Thomas in *Summ. par. 3 quæst. 64. art. 9.* cuius hæc verba sunt: *Si quis patiatur fidei defectum circa ipsum sacramentum, quod exhibet, licet credat, per id, quod agitur exterius, nullum sequi interiorum effectum, non tamen ignorat, quod Ecclesia catholica intendit per huiusmodi, quæ exterius aguntur, præbere sacramentum; unde non obstante infidelitate, potest intendere facere id, quod facit Ecclesia, licet æstimet id nihil esse, et talis intentio sufficit ad sacramentum.* Ita Ecclesia ratum firmum habuit Baptismum collatum à Pelagianis, licet ipsi non cogitarent de delendo originali peccato, quod negabant; et ita S. Pius V. approbavit baptismum Calvinianorum, licet ipsi intentionem non haberent baptizandi in remissionem peccatorum. Nam ad sacramenti integritatem nihil interesse docet Augustinus de *Baptism. lib. 7 cap. 53 col. 202 opp. tom. 9 cit. edit. Venet. quæ sit fides ministrorum.* Confer etiam eundem Augustinum *Ep. 98 ad Bonifac. num. 5 col. 265 t. 2 ed. Ven. 1729.* Ambrosius Chatarinus, è Dominicanorum familia, in eo, quem in vulgus edidit, cum Tridentina Synodus haberetur, libello de *Intentionis externæ sufficientia*, contendit, ad sacramentum rite, et recte administrandum satis esse, quod Minister intentionem habeat serio perficiendi ritum externum, qui ab Ecclesia adhibetur, quamquam interius dicat, se nolle facere, quod facit Ecclesia, modo exterius serio agat, nulloque signo pravam suam voluntatem ostendat. Sententia hæc à Tridentina Synodo damnata non est, sicuti monet Card. Palavicinus in *Histor. Concil. Trident. lib. 9 cap. 6 num. 2*, sed tamen à decreto Alexandri VIII., cuius nunc facta mentio est, grave vulnus accepit, uti inquit Benedictus XIV., qui de *Synod. diæces. lib. 7 cap. 4* ea de re accurate disputat. Sunt tamen, qui Catharini sententiam ita explicant, ut eam nullo modo proscriptam, atque improbatam fuisse defendant, et hi præsertim sunt Hyacinthus Serry in *Vindic. Catharin. Jueninij de Sacrament. dissert. 1 q. 5 art. 5.* Drouvenius de *Re Sacrament. lib. 1 quæst. 7 cap. 5 sect. 2 §. 1 et 2*

Hæc de re videsis sap. Card. Gousset, Remensis Archiepiscopi, opus *Theologie Morale*, Paris. 1853, tom. 2, pag. 46 et 47.

(2) Lutherus *lib. de Captiv. Babylon. cap. de Baptismo*, qui que ejus deliramenta sequutus est, Kemnitijs *par. 2 Exam. Conc. Trid.*, etiam per jocum collatum sacramentum valere existimavit. Sed gravissimum errorem damnavit Leo X. in *Bulla Exurge Domine 44 art. 12 pag. 489 tom. 5 par. 5 Bullarii Romani ed. ult. indic. et Concilium Tridentinum Sess. 14 de Sacram. pæniti. Can. 6.* Quod de S. Athanasio narrat Soera-

les *Hist. eccles. lib. 1 cap. 45 pag. 44*, et Sozomenus *lib. 2 c. 17 pag. 67 ed. Vales. Cantabrig 1720*, id vel falsum est, vel etiamsi verum sit, baptismus ab Athanasio non per jocum, sed serio, ac vere collatus haberi debet, sicuti observant PP. Maurini in *Vit. Athanasii tom. 1 pag. 9 edit. Patavii 1777.* Fabulosum est etiam, quod de mimico Genesii, ac Dioscori baptismo narratur; qua de re vide Jueninium de *Sacram. Dissert. 1 quæst. 6 cap. 1 de Sacram. in genere.*

(N. S. Sacramentorum Ministris plura observanda præcipiuntur: 1 Ut piam, sanctamque vitam ducant, qui semper parati sint ad sancta sancte tractanda. *Est enim æquissimum* (ait Synod. Valent. an 1565 *Sess. 2. tit. 2 cap. 1*) *atque etiam necessarium, magna animi puritate ea administrare, quæ admirabili Dei beneficio ad nostram omnium salutem sunt nobis collata.* 2 Ad Sacramenta administranda accessit, statim adcurrant. Syn. Hispal. an. 1512 *cap. 3: Ut omnes Parochi sint diligentes in administrando Sancta Sacramenta, et signanter Baptismum infantibus, ad evitandum periculum, quod ex dilatione oriri posset; et exhortando, et requirendo suos Parochianos infirmos, ut confiteantur, et Sanctum Sacramentum Eucharistiæ recipiant.* 3 Ut fidelis populus, qua par est reverentia, ad Sacramenta accedat, illorum vim, et usum pro suscipientium captu explicare non omittant: Synod. Trident. *Sess. 24 Ref. cap. 7*, et præf. Syn. Valent. *ibidem cap. 2*, et Hispal. *cap. 1. 4 Ritus*, quos in Sacramentorum administratione servandos Ecclesia jam recepit, non modo non omittant, neque contemnant, sed nec etiam in novos commutent: Synod. Trident. *Sess. 7 can. 15.* Unde Syn. Tolet. *IV can. 26 alias 25*, jam olim decreverat, ut quando Presbyteri in Parochiis ordinantur, libellum Officialem à Sacerdote suo accipiant, ut ad Ecclesiis sibi deputatas instructi accedant, ne per ignorantiam etiam divinis Sacramentis offendant, ita ut quando ad Litanias, vel ad Concilium venerint, rationem Episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium celebrant, vel baptizant. Idem præscripsit S. Carolus Borrom. in 1 Syn. Prov. respectiva.

Demum in ministrandis Sacramentis vitanda omnino est rei ejusque temporalis exactio. Vetus Ecclesia libenter accipiebat oblationes illas, quas ad Ecclesiæ Ministros, ac pauperes alendos fideles ipsi ultro exhibebant, nunquam vero in Sacramentorum administratione pretium, pecuniamve repetit: *Neque enim pretio ulla res Dei constat:* (ait Tert. *Apolog. 59*). *Etiamsi quod arcæ genus est, non de honoraria summa quasi redemptæ Religionis congregatur. Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert.* Hinc Concil. Illiberit. *Can. 48*, constituit: *ut hi qui baptizantur.... nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur;* et Later. II sub Innoc. II, *cap. 2* in hunc modum decernit: *Et neque pro pastu, vel sub obtentu alicujus consuetudinis ante, vel post, à quoquam aliquid exigatur; vel ipse (qui Sacramenta suscipit) dare præsumat, quoniam Simoniacum est. Id ipsum præscribunt Syn. Lateran. IV sub Innocent. III Can. 65.* et quæ postea sequuti sunt Synodi. Synod. Tarracon. an. 1580, sub Cl. Antonio Augustino, Constitutionem subjiciamus: *Quum Sacramenta Ecclesiæ non solum sine Simonie labe, verum etiam sine suspitione, præbenda sint, caveant omnes, ne in eorum administratione quicquam exigant; aut etiam verbis, vel signis, directe, vel indirecte petant.* Videsis Collect. Jo. Teres *Lib. 5 Tit. 2 cap. 2.* Consonant plura Hispaniarum Concilia, tum prisca,

tum recentiora; præsertim Tolet. an. 1582 Act. III Decret. 26 alias 27. Ceterum, sicut vetitum non est fidelibus, aliquid elemosynæ loco ministris offerre, ita ex altera parte licet ministris hujusmodi oblationes accipere; Concil. Lateran. III Cap. 42 de *Simonia*. At in hac oblatorum receptione, quævis vel tacita pactio vitanda est: id elucet potissimum, quum eadem promptitudine divitibus, ac pauperibus Sacramenta ministrentur: nam nulla, aut exigua ab istis, ab illis maxima, copiosaque speratur elemosyna. Hinc præf. Synod. Hispal., cap. 17. decrevit, ut *Sacerdotes, et ministri Ecclesiæ nullum pactum, vel conventionem faciant pro Missis, exsequiis, et divinis Officiis; sed... quod pro sustentatione Sacerdotum, qui celebrant talia Officia, servetur laudabilis consuetudo, introducta à fidelibus circa elemosynam, quæ eis dari solet.*

Quod vero aliquando Parochi, congrua aliunde portione destituti, ex hujusmodi populi oblationibus vitam transigant; indecens visum non est sancire, vel taxare, quid Parocho in Sacramentorum administratione, aliisque sacris functionibus conferendum sit. Mos iste in Matrimonio administrando potissimum invaluit.

\* V. Cl. Auct., hujus lib. tit. 17 §. 6.\*

17. Nec tantum dantis, sed etiam accipientis sacramentum intentio est necessaria, ut illud valeat. In infantibus, et perpetua amentia laborantibus nulla voluntate opus est; sed hi in fide, in voluntate Christi, et Ecclesiæ sacramentum recte suscipiunt (1). Adulti, qui integra mente sunt, habere debent intentionem sacræ in Ecclesia rei suscipiendæ (2); iis vero, quos ratio defecit, vel quod in amentiam inciderunt, vel quod vi graviore morbe opprimuntur, sacramenta tribuit Ecclesia, cum in vitæ discrimine versantur, modo, cum bene valebant, sacramenti suscipiendi voluntatem significaverint (3).

(1) *Can. 7, 8 et 74 dist. 4 de Consecr. cap. 5 de Baptismo, Conc. Tridentinum Sess. 7 de Baptism. Can. 15 et 14, Catechismus Romanus part. 2 cap. 2 §. 55, S. Thomas in Summa par. 5 q. 78 art. 9.*

(2) Quamquam enim sacramentum accipiens patiatur actionem, quam Minister exercet; non est tamen, inquit D. Thomas, in *Summa part. 5 quæst. 68 art. 7, passio illa coacta, sed voluntaria, et ideo requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur.* Vide etiam Decretalem Innocentii III. in cap. 5 de *Baptism.*

(3) Concilium Arausicum I. *Can. 12 apud Labbæum tom. 4 col. 703 ed. Venet. S. Leo M. Ep. 84 ad Theodor. Epis. cap. 4 pag. 529 par. 2 opp. edit. Romæ 1755. S. Thomas Opus. 65 §. de Extrem. unct. et in Summa par. 5 quæst. 68 art. 12. Catechismus Romanus par. 2 cap. 2 §. 59. Ritua- le Pauli V. Tit. de Baptismo Adultorum. Quod si voluntas, quam pridem habebat æger, aut amens, ita incerta sit, et obscura, ut nemo de ea testimonium ferre possit, tunc morienti danda potius, quam deneganda sacramenta, censet Augustinus de *Conjug. adulterin. lib. 1 cap. 26 col. 405 opp. tom. 6 edit. Venet. 1751; licet alii id quidem negent ex illo Christi præcepto apud Matthæum VII. 6. Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.**

18. Sacramentorum omnium, uti diximus, Auctor Christus (1), ipseque constituit singulorum materias, et formas, quæ *substantiales* dicantur (2). Quæ à Christo sunt constituta, mutari ab Ecclesia nequeunt; sed tamen ipsa potest, salva sacramentorum substantia, quibusdam addere certas condiciones, quas omnino servare oportet, ut sacramentum valeat (3). Ritus etiam, et cæremonias sacramentorum, accepta à Christo potestate, Ecclesia constituit (4), et hi ritus, ac cæremoniæ sin piaculo omitti non possunt; quamquam si omittantur, valeat sacramentum, quoniam intimam rei naturam non attingunt (5).

(1) *Si quis dixerit, inquit Synodus Tridentina Sess. 7 can. 1 de Sacram. in gener., omnia sacramenta novæ legis non fuisse à Jesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Quibus verbis Synodus catholicum dogma stabilivit, sed expresse noluit definire, mediata ne, an immediata omnium sacramentorum institutio à Christo sit repetenda. Nam Alexander de Hales, Hugo à S. Victore, Petrus Lombardus, alique nonnulli Theologi Concilio Tridentino antiquiores putarunt, confirmationis, et extremæ unctionis immediatum auctorem non esse Christum, quoniam nullus est Scripturæ locus, quo hæc divina institutio referatur. Tridentina, inquam, Synodus id expresse noluit definire, sed tamen multa sparsim constituit, ex quibus patet, Christum immediatum omnium sacramentorum auctorem esse habendum; in primis autem *Sess. 14 cap. 1 de Extrem. unct.* expressis verbis declaravit, sacramentum extremæ unctionis fuisse à Christo Domino nostro institutum, et à B. Jacobo Apostolo promulgatum. Quibus verbis Christo institutio, Jacobo tantum promulgatio tribuitur. Atque omnes quidem, qui post Concilium Tridentinum floruerunt, Theologi immediatum omnium sacramentorum auctorem Christum esse defendunt, et contrariam sententiam vix jam temeritatis notam effugere posse sentiunt. Consultè Tournelyum *Prælect. Theolog. de Sacram. in gener. quæst. 5 art. 1. Jueninium de Sacram. dissert. 1 quæst. 4 de Sacram. in gener. et Drouvenium de Re Sacrament. lib. 1 quæst. 6 per tot.* Neque obest silentium Scripturæ, cum illi doceat divina traditio, ac verbum Dei sive scriptum sive traditum parem habeat auctoritatem, et hæc referendus D. Thomas in *Summa par. 5 quæst. 64 art. 2 ad. 2.*

(2) Atque hæc quidem, quæ à Christo stabilita est materia, et forma sacramentorum, quæ *substantialis* dicitur, mutari non potest. Ita in Baptismo alia nequit adhiberi materia, quam aqua naturalis, neque aliis verbis hoc sacramentum conferri potest, quam illis, quæ Christus constituit, scilicet *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Modo tamen integra sit materiæ, et formæ substantia, veritati sacramenti nihil detrahit mutatio, quæ *accidentalis* dicitur. Ita in baptismo nihil refert, num aqua sit frigida, an calida, atque in Eucharistia tum azymum, tum fermentum rite consecratur. Similiter Græci in quibusdam sacramentis adhibent deprecativam formam, quæ Latinis indicativa est; sed utraque forma vim eandem habet, et utraque eodem redit; licet verba diversa sint, Confer Jueninium de *Sacram. dissert. 1 quæst. 5 cap. 5, et Drouvenium de Re Sacrament. lib. 1 quæst. 1 cap. 1 §. 5.*

(3) Conc. Trident. *Sess. 21 cap. 5 de Communionem.*



(4) Apostolos sacrorum rituum instituentorum potestatem à Christo accepisse, manifestum est ex Paulo I ad Corinth XI, ubi postquam multa de Eucharistiae institutione, ejusque celebratione, à Domino accepta, præscripsit, cetera, inquit vers. 54, cum venero disponam Ipsa hæc verba expendenti Augustino Ep. 54 seu lib. I ad inquisit. Januar. cap. 6 col. 127 tom. 2 opp. ed. Maurin. Venet. 1729, videtur Dominus ideo non præcepisse quo deinceps ordine sumeretur Eucharistia, ut Apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Atqui potestatem à Christo datam Apostolis in spirituali fidelium regimine, legitima successione ad Ecclesiam transmissam, inter omnes constat. Atque hanc sibi quidem inesse potestatem, Ecclesia et declaravit, et factis demonstravit. Synodus Tridentina Sess. 21 cap. 2 declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesie fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret. Quam potestatem habere se Ecclesia verbo declaravit, eamdem quovis tempore exercuit, uti ex antiquis Scriptorum Ecclesiasticorum monumentis perspicuum est. S. Justinus M. Apol. 1 num. 65 pag. 82 seqq. ed. Paris. 1742 cæremonias memorat ab Ecclesia præscriptas in Eucharistia conficienda, ac distribuenda. Baptismi ritus describit Tertulianus de Baptismo num. 7 et seq. pag. 226 ed. Ven. 1744. Cyrillus Hierosolymitanus in suis mystagogicis catechesibus cæremonias, quæ apud orientales vigeant, catechumenos docet. Augustinus non semel explicat vim exorcismorum, qui ante Baptismum adhibebantur. Mitto ceteros Patres: tantum indicabo testimonium Tertuliani, qui lib. de Corona cap. 3 pag. 102 edit. cit. traditionis necessitatem vindicat, exemplo rerum multarum, quas sua ætate Ecclesia observabat, quamquam scriptæ non essent. Dissert. 1 quest. 3 cap. 5. Idem quoque confirmant Euchologia Græcorum, et Rituales libri Latinorum, ex quibus intelligimus, multas lapsu temporum cæremonias ab Ecclesia institutas, earumque observandarum legem ministris impositam. Confer Cl. Zaccariam Bibliothec. Ritual. dissert. 1 de Jur. liturgic. tom. 1. Jo. Laurentium Bertium de Theolog. discipl. lib. 50 cap. 23 tom. 6, et Salam in Not. ad Bonam rer. liturg. lib. 1 cap. 18 §. 1 pag. 2 tom. 1 edit. Taurin. 1749, ubi plura etiam describuntur testimonia hæreticorum, qui hanc veritatem plus semel fateri debuerunt.

(5) Conc. Tridentinum Sess. 7 de Sacram. in gener. Can. 15. Catechismus Romanus par. 2 cap. 1 §. 48. Quid tamen agendum sit, cum necessitas non omnes adhiberi sinit cæremonias ab Ecclesia præscriptas, rituales libri demonstrant.

49. Ab ipsa sane Apostolorum ætate sacramentis extrinsecus accesserunt solemnes quidam ritus, et cæremoniae, quibus major ipsis adjungitur reverentia, et eorum sanctitas alius in hominum animis imprimitur, et necessarius in Ecclesia ordo sustentatur (1). Earum cæremoniarum non eadem omnium antiquitas est. Quædam enim ab ipsis Apostolis originem repetunt (2), atque has propter auctoritatem, unde manarunt, ubique retinet, ac diligenter custodit Ecclesia, quamquam sacramenti naturam non constituent. Sic ex. gr. signum crucis in

omnium administratione sacramentorum ubique præscribitur (3), et ubique etiam sacramentorum materiæ mysticis benedictionibus consecrantur.

(1) Confer Concilium Tridentinum sess. 22 cap. 5 de Sacrific. Miss., et Catechismum Romanum lib. 2 cap. 1 §. 48; et confer Drouvenium de Re Sacrament. lib. 1 q. 7, et Gagliardum instit. Canonie. lib. 2 tit. 3, qui de sacris his ritibus, et cæremoniis late contra hæreticos disputant.

(2) Protrita est Augustini ep. 54 ad Januar. num. 1 opp. tom. 2 col. 124 ed. Venet. cit. regula, quod ab Apostolis repetenda sunt ea, quæ semper in Ecclesia observata esse constat, et quorum initium demonstrari non potest. Atque huc refer Tertullianum de Corona cap. 4 pag. 102 ed. Rigaltii Paris. 1675, S. Basilium de Spiritu Sanct. cap. 27 tom. 5 opp. pag. 55 ed. Paris. cit., S. Cyprianum ep. 65 ad Cæcilium pag. 100 ed. Rigaltii Paris. 1666.

(3) Quod signum nisi adhibeatur, inquit Augustinus Tract. 118 in Joan. col. 801 opp. tom. 5 par. 2 ed. Maurin. Venet. 1750, sive frontibus erudentium, sive ipsi aquæ, qua regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguuntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.

20. Quasdam autem cæremonias consequenti ætate adjunxit Ecclesia, et hæc quidem non eadem ubique sunt. Nam suos habent peculiare ritus Latini, Græci, Orientales: quin et in Occidente non una omnium Ecclesiarum ea in re consensus est. Non enim in omnibus rebus iidem sunt ritus Ecclesie Romanæ, Mediolanensis, Hispanæ, Gallicanæ; quod in ceteris etiam Orientis, atque Occidentis partibus evenire, ex omnium libris ritualibus compertum est. Romana Ecclesia, reliquarum mater, et magistra, permittit, aut tolerat hanc rituum diversitatem, quæ non officit unitati fidei (1), quæ omnibus una est, licet dissimiles sint populorum mores, et consuetudines (2).

(1) In una fide nihil officit Sanctæ Ecclesie consuetudo diversa, inquit S. Gregorius M. ep. 45 ad Leandr. lib. 1 col. 532 tom. 2 opp. ed. Maurin. Paris. 1705. Ad hunc locum pertinet etiam Augustinus ep. 56 ad Casulanum c. 9 col. 77 tom. 2 ind. ed. Venet. cum ait: Omnis enim pulchritudo filie Regis intrinsecus; illæ autem observationes, quæ variæ celebrantur, in ejus veste intelliguntur. Unde ibi dicitur: in simbriis aureis circumamicta varietate. Vide etiam S. Hieronymum ep. 75 ad Licinium Boeticum n. 6 col. 452 opp. tom. 1 edit. Vallarsii Veronæ 1754.

(2) De Græcis, qui Latini subjecti Episcopis in Italia, finitimisque insulis commorantur, multæ sunt editæ Summorum Pontificum constitutiones, per quas ipsis sui ritus permittuntur, ac præterea cavetur, ut neque Græcus ad Latinum ritum, neque Latinus ad Græcum sine auctoritate Sedis Apostolicæ transire possit. Sed omnium celeberrima est Constitutio Elsi pastoralis 57. Benedicti XIV tom. 1 ejus Bullar. pag. 101. ed. Rom. seu Venet. 1754, quæ omnia, quæ ad hanc rem pertinent, accurate explicata, ac definita sunt.

(4) Apostolos sacrorum rituum institutorum potestatem à Christo accepisse, manifestum est ex Paulo I ad Corinth XI, ubi postquam multa de Eucharistiae institutione, ejusque celebratione, à Domino accepta, præscripsit, cetera, inquit vers. 54, cum venero disponam Ipsa hæc verba expendenti Augustino Ep. 54 seu lib. I ad inquisit. Januar. cap. 6 col. 127 tom. 2 opp. ed. Maurin. Venet. 1729, videtur Dominus ideo non præcepisse quo deinceps ordine sumeretur Eucharistia, ut Apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Atqui potestatem à Christo datam Apostolis in spirituali fidelium regimine, legitima successione ad Ecclesiam transmissam, inter omnes constat. Atque hanc sibi quidem inesse potestatem, Ecclesia et declaravit, et factis demonstravit. Synodus Tridentina Sess. 21 cap. 2 declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesie fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret. Quam potestatem habere se Ecclesia verbo declaravit, eamdem quovis tempore exercuit, uti ex antiquis Scriptorum Ecclesiasticorum monumentis perspicuum est. S. Justinus M. Apol. 1 num. 65 pag. 82 seqq. ed. Paris. 1742 cæremonias memorat ab Ecclesia præscriptas in Eucharistia conficienda, ac distribuenda. Baptismi ritus describit Tertulianus de Baptismo num. 7 et seq. pag. 226 ed. Ven. 1744. Cyrillus Hierosolymitanus in suis mystagogicis catechesibus cæremonias, quæ apud orientales vigeant, catechumenos docet. Augustinus non semel explicat vim exorcismorum, qui ante Baptismum adhibebantur. Mitto ceteros Patres: tantum indicabo testimonium Tertuliani, qui lib. de Corona cap. 3 pag. 102 edit. cit. traditionis necessitatem vindicat, exemplo rerum multarum, quas sua ætate Ecclesia observabat, quamquam scriptæ non essent. Dissert. 1 quest. 3 cap. 5. Idem quoque confirmant Eucharistia Græcorum, et Rituales libri Latinorum, ex quibus intelligimus, multas lapsu temporum cæremonias ab Ecclesia institutas, earumque observandarum legem ministris impositam. Confer Cl. Zaccariam Bibliothec. Ritual. dissert. 1 de Jur. liturgic. tom. 1. Jo. Laurentium Bertium de Theolog. discipl. lib. 50 cap. 23 tom. 6, et Salam in Not. ad Bonam rer. liturg. lib. 1 cap. 18 §. 1 pag. 2 tom. 1 edit. Taurin. 1749, ubi plura etiam describuntur testimonia hæreticorum, qui hanc veritatem plus semel fateri debuerunt.

(5) Conc. Tridentinum Sess. 7 de Sacram. in gener. Can. 15. Catechismus Romanus par. 2 cap. 1 §. 48. Quid tamen agendum sit, cum necessitas non omnes adhiberi sinit cæremonias ab Ecclesia præscriptas, rituales libri demonstrant.

49. Ab ipsa sane Apostolorum ætate sacramentis extrinsecus accesserunt solemnes quidam ritus, et cæremoniae, quibus major ipsis adjungitur reverentia, et eorum sanctitas alius in hominum animis imprimitur, et necessarius in Ecclesia ordo sustentatur (1). Earum cæremoniarum non eadem omnium antiquitas est. Quædam enim ab ipsis Apostolis originem repetunt (2), atque has propter auctoritatem, unde manarunt, ubique retinet, ac diligenter custodit Ecclesia, quamquam sacramenti naturam non constituent. Sic ex. gr. signum crucis in

omnium administratione sacramentorum ubique præscribitur (3), et ubique etiam sacramentorum materiæ mysticis benedictionibus consecrantur.

(1) Confer Concilium Tridentinum sess. 22 cap. 5 de Sacrific. Miss., et Catechismus Romanum lib. 2 cap. 1 §. 48; et confer Drouvenium de Re Sacrament. lib. 1 q. 7, et Gagliardum instit. Canonie. lib. 2 tit. 3, qui de sacris his ritibus, et cæremoniis late contra hæreticos disputant.

(2) Protrita est Augustini ep. 54 ad Januar. num. 1 opp. tom. 2 col. 124 ed. Venet. cit. regula, quod ab Apostolis repetenda sunt ea, quæ semper in Ecclesia observata esse constat, et quorum initium demonstrari non potest. Atque huc refer Tertullianum de Corona cap. 4 pag. 102 ed. Rigaltii Paris. 1675, S. Basilium de Spiritu Sancto cap. 27 tom. 5 opp. pag. 55 ed. Paris. cit., S. Cyprianum ep. 65 ad Cæciliam pag. 100 ed. Rigaltii Paris. 1666.

(3) Quod signum nisi adhibeatur, inquit Augustinus Tract. 118 in Joan. col. 801 opp. tom. 5 par. 2 ed. Maurin. Venet. 1750, sive frontibus erudentium, sive ipsi aquæ, qua regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguuntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.

20. Quasdam autem cæremonias consequenti ætate adjunxit Ecclesia, et hæc quidem non eadem ubique sunt. Nam suos habent peculiare ritus Latini, Græci, Orientales: quin et in Occidente non una omnium Ecclesiarum ea in re consensus est. Non enim in omnibus rebus iidem sunt ritus Ecclesie Romanæ, Mediolanensis, Hispanæ, Gallicanæ; quod in ceteris etiam Orientis, atque Occidentis partibus evenire, ex omnium libris ritualibus compertum est. Romana Ecclesia, reliquarum mater, et magistra, permittit, aut tolerat hanc rituum diversitatem, quæ non officit unitati fidei (1), quæ omnibus una est, licet dissimiles sint populorum mores, et consuetudines (2).

(1) In una fide nihil officit Sanctæ Ecclesie consuetudo diversa, inquit S. Gregorius M. ep. 45 ad Leandr. lib. 1 col. 532 tom. 2 opp. ed. Maurin. Paris. 1705. Ad hunc locum pertinet etiam Augustinus ep. 56 ad Casulanum c. 9 col. 77 tom. 2 ind. ed. Venet. cum ait: Omnis enim pulchritudo filie Regis intrinsecus; illæ autem observationes, quæ variæ celebrantur, in ejus veste intelliguntur. Unde ibi dicitur: in simbriis aureis circumamicta varietate. Vide etiam S. Hieronymum ep. 75 ad Licinium Boeticum n. 6 col. 452 opp. tom. 1 edit. Vallarsii Veronæ 1754.

(2) De Græcis, qui Latini subjecti Episcopis in Italia, finitimisque insulis commorantur, multæ sunt editæ Summorum Pontificum constitutiones, per quas ipsis sui ritus permittuntur, ac præterea cavetur, ut neque Græcus ad Latinum ritum, neque Latinus ad Græcum sine auctoritate Sedis Apostolicæ transire possit. Sed omnium celeberrima est Constitutio Elsi pastoralis 57. Benedicti XIV tom. 1 ejus Bullar. pag. 101. ed. Rom. seu Venet. 1754, quæ omnia, quæ ad hanc rem pertinent, accurate explicata, ac definita sunt.

SECTIO I.

DE BAPTISMO.

21. BAPTISMUS JOANNIS.—22 ET 23. BAPTISMUS CHRISTI, ET EJUS MATERIA RE-  
NOTA.—24 ET 25. MATERIA PROXIMA ABLUTIO, EAQUE TRIPLEX.—26. BAPTISMI  
FORMA.—27. MINISTER.—28. BAPTIZANTUR TAM INFANTES, QUAM ADULTI.—29. CA-  
TECHUMENORUM GRADUS.—30. AUDIENTES.—31. GENUFLECTENTES, ET COMPETEN-  
TES.—32. CATECHISTARUM OFFICIUM.—33. CATECHUMENI AD BAPTISMUM ACCEDEN-  
TES.—34 ET 35. CEREMONIE IN BAPTISMO ADHIBITÆ.—36. SPONSORES SEU PATRI-  
NI.—37. QUI EO MUNERE FUNGI POSSINT?

21.

**P**rimus ex Cristianis sacramentis Baptismus est (a), qui ita di-  
citur à greco verbo, quod latine *mergere*, *abluere* significat;  
itaque Baptismus *ablutio* est. Prophetarum ullimus Joannes Baptis-  
ta, ante Christum missus, ut baptizaret in aqua (1), prædicavit  
Baptismum pœnitentiæ, et qui sua confitebantur crimina, eos  
baptizavit in remissionem peccatorum proxime futuram in Chris-  
to Jesu (2). Verum hic Baptismus neque gratiam conferebat, neque  
imprimebat characterem (3), neque *erat per se sacramentum, sed  
quasi quoddam sacramentale, disponens ad Baptismum Christi* (4),  
cui decebat homines assuefacere, eosque ad hoc sacramentum  
rite, et recte suscipiendum per pœnitentiam præparare (5).

(a) (N. S. Unde Baptismum primum, et fundamentum omnium Novæ  
Legis sacramentorum, appellat Joan. Tolet. Præsul, in Syn. an. 1523  
cap. 15.)

(1) Joan. 1 55 Marc. 1 8.

(2) Agebatur itaque à Joanne, inquit Tertulianus *de Baptism. cap 10  
pag. 228 ed. Venet. 1744, Baptismus pœnitentiæ, quasi candidatus remis-  
sionis, et sanctificationis in Christo subsequitur. Nam quod prædica-  
bat Baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futuram re-  
missionem eventiatum est: siquidem pœnitentia antecedit, remissio sub-  
sequitur, et hoc est viam præparare: qui autem præparat, non idem  
ipse perficit, sed alii perficiendum procurat. Vide S. Hieronymum ep.  
69 ad Oceanum n. 6 opp. tom. 1 col. 418. et contr. Luciferian. n. 7  
col. 179, tom. 2 ed. Vallarsii Varonæ 1755, S. Jo. Chrysostomum in Matth.  
hom. 41 cap. 4 tom. 7 pag. 154 ed. cit., S. Cyrillum Alex. in Joan. cap. 5  
vers. 22 et cap. 4 vers. 1 opp. tom. 4 pag. 156 et 175 ed. Paris. 1637,  
S. Augustinum in Enchirid. cap. 49 col. 214 opp. tom. 6 ed. Venet. 1751,  
S. Ambrosium in Luc. lib. 2 num. 79 et lib. 10 num. 140 pag. 784 et 1095  
opp. tom. 2 ed. Maurin. Venet. 1748.*

(3) Ego quidem, inquit ipse Joannes apud Mathæum III 11, baptizo vos

in aquam in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est,  
cujus non sum dignus calcamenta portare; ipse vos baptizabit in Spiritu  
Sancto, et igni. Eadem habentur apud Marcum 1 8. Lucam III 16. Joannem I  
26 seq. Quare Paulus Apostolus eos, qui Joannis Baptismum acceperant, de-  
nuo baptizatos in nomine Christi voluit. Act. Apostol. XIX. 4 et seq. Itaque  
non renascebantur, inquit Augustinus loc. cit., qui Baptismo Joannis bap-  
tizabantur, sed Christo, in quo solo renasci poterant, parabantur.

(4) S. Thomas in Summa par. 5 q. 58 art. 1 ad 1; ac vide totam hanc  
quæst. 58, ubi de Joannis Baptismo solide disputatur.

(5) Petilianum Donatistam, qui unum Christi, et Joannis Baptismum esse  
putabat, cujus tres faciebat gradus, cum aquam à Joanne, Spiritum Sanc-  
tum à Christo, ignem à Spiritu Sancto datum diceret, acriter refellit S. Au-  
gustinus *contr. liler. Petilian. lib. 2 cap. 52 et seq. col. 259 opp. tom. 9  
ed. Venet.* Bucerum autem, Melanctonem, Zuinglium, Calvinum, ceteros  
hæreticos, qui utriusque Baptismi vim eandem esse arbitrabantur, profliga-  
vit Synodus Tridentina *sess. 7 de Baptismo can. 1* his verbis: *Si quis dixe-  
rit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, ana-  
thema sit.* Confer Toarnelium *Prælect. theolog. de Sac. Bapt. q. 1. art. 5;*  
ac vide etiam Drouvenium *de re Sac. lib. 2 q. 5 c. 1 §. 4*, ubi quaeritur, num  
Baptismus Joannis peccata dimitteret.

22. Verum ac proprium sacramentum est Christi baptismus,  
à quo *incipit omnis fidei origo, et ad spem vitæ æternæ salutaris  
ingressio* (1). Definitur in catechismo Romano (2) *sacramentum  
regenerationis per aquam in verbo.* Triplex baptismus distingui-  
tur, *aquæ, sanguinis, et fluminis*, seu *desiderii*. Baptismus *aquæ*  
vere sacramentum est, reliqui duo *fluminis* scilicet, atque *sang-  
uinis*, vicem baptismi præstant, et ideo per similitudinem ejus  
nomen acceperunt. Nam qui pro Christo martyrium patitur, qui  
*sanguinis* baptismus est, et qui moriens, ubi copia baptismi non  
est, peccata dolet, ac baptismum desiderat, qui *fluminis* bap-  
tismus dicitur, ipsos sacramenti fructus, etiam sine sacramento  
consequuntur (3). Remota baptismi materia est aqua naturalis,  
quæ cum ubique præsto sit, maxime est idonea ad sacramentum  
omnibus necessarium, quæque demonstrat ejus virtutem, per  
quam animæ sordēs eluuntur (4). Quævis autem aqua naturalis,  
quæ mixtione, aut artificio in aliam naturam non migraverit,  
apta Baptismo erit, sive ea maris sit, sive fluvii, sive putei, aut  
paludis, aut fontis (5).

(1) S. Cyprianus ep. 73 ad Juhajanum pag. 125 edit. Rigaltii Pa-  
ris. 1666.

(2) Catechismus Romanus par. 2 cap. 2 §. 5. *Quid est Baptismus Christi?*  
inquit Augustinus, *tract. 45 in Joan. num. 4 col. 408 tom. 5 opp. par. 1 ed.  
Maurin. Venet. indic. Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est  
baptismus: tolle verbum, non est baptismus.*

(3) Conc. Tridentinum *sess. 6 de justificat. cap. 4*, S. Ambrosius in

orat. de obitu Valentin., Imperat. num. 51 col. 265 opp. tom. 4 ed. Venet. 1751. S. Augustinus de Baptism. contr. Donatist. lib. 4 cap. 22 col. 159 tom. 9 indic. edit., S. Basilius de Spiritu S. cap. 1 pag. 50 tom. 5 opp. edit. Paris cit. S. Cyprianus de Exhort. martyr. pag. 118 opp. ed. Amstelædami 1700, S. Thomas in Summa par. 5 quest. 66 art. 12.

(4) Catechismus Romanus loc. cit. §. 10.

(5) Item Catechismus *ibid.* §. 7. Quod si Joannes Baptista apud Mattheum III, 11, Christi baptismum Spiritu S. et igne constare prædixit, id non de materia hujus sacramenti intelligendum est, sed *vel ad intimum Spiritus Sancti effectum*, ut inquit idem Catechismus loc. cit. §. 3, *vel certe ad miraculum referri debet, quod die Pentecostes apparuit, cum Spiritu S. & celo in Apostolos ignis specie delapsus est.* Synodus Tridentina sess. 7 de Baptismo can. 2. *Si quis dixerit*, inquit, *aquam veram, et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. C. nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu S., ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.* Quibus verbis Synodus exsecratur Calvinum, qui ad metaphoram detorquebat ea, quæ de aqua naturali à Christo dicta sunt, ac Lutherum, qui vinum etiam Baptismo aptum putabat. Neque ulla habenda ratio est cujusdam rescripti, quod editum ferunt à Stephano III. Pontifice apud Simonidum Concil. Gallie tom. 2 pag. 46 ed. Paris. 1629, et quo probatur baptismus, qui in vino datus fuerat puero, qui in vitæ discrimine versabatur. Nam falsum hoc rescriptum esse, omnes norunt, primum quod nullus Patrum ejus rescripti meminit, deinde quia verisimile non est, Summum Pontificem in re prostrata tam graviter errare potuisse, postremo quia de ejus rescripti auctore non constat, atque illud duo Mss. Codices Stephano II, tertius Siricio adseribit. Consule Ant. Augustinum de Emend. Gratian. lib. 1 dialog. 13 opp. tom. 5 pag. 90 edit. Lucæ 1767, ibique Balzium in Notis, et Natalem Alexandrum Histor. Eccles. sæc. 8 cap. 1 artic. 6 tom. 6 p. 7 edit. Venet. 1770.

23. Aquam benedicti, vetus Ecclesiæ disciplina est (1); atque hæc quidem est benedictio, quam Patres aquæ sanctificationem, et consecrationem appellarunt (2). Duobus diebus à Latinis, nempe sabbatis sancto, et Pentecostes (3), à Græcis autem in singulis baptismis aquæ benedicuntur. Signantur signo crucis (4), et certæ ab Ecclesia institutæ preces in ea benedictione adhibentur (5); quod utrumque antiquissimæ consuetudinis est. Aquæ adjicitur chrisma, quod magis explicat vim sacramenti; sed tamen hoc valet etiam collatum in aqua naturali, quæ nihil aliud admixtum habet (6). Multitudo baptizandorum sæpe olim faciebat, ut ad omnes abluendos satis aquæ non esset, et ideo nova per canales in baptisterium infundebatur (7).

(1) S. Basilius de Spiritu Sancto cap. 27 pag. 55 tom. 5 opp. ed. laudat. S. Gregorius Nisenus de Baptism. Christ. pag. 805 opp. tom. 2 ed. Paris. 1615. S. Cyrillus Hierosolymitanus Cathec. 3 n. 3 pag. 40 et seq. ed. Paris. 1720. S. Ambrosius de Sacram. lib. 4 cap. 5 col. 445 et 444 opp. to. 3 et de Spirit. S. lib. 1 cap. 7 n. 88 col. 25 tom. 4 edit. Maurin. Venet. 1751.

Theophilus Epist. pasch. 1. Bibliot. PP. tom. 5 pag. 846 ed. Lugdun. Victor Viten. de Persecut. Vandal. lib. 2 pag. 683 tom. 8 indic. Biblioth. Neque vero extra casum necessitatis conferre licet Baptismum cum aqua communi, vel ea, quæ pro lustrationibus benedicitur. Benedictus XIV. Const. Inter omnigenas 89 §. 20 tom. 1 ejus Bullar. pag. 186 edit. Rom. seu Venet. 1754.

(2) Tertullianus de Baptism. cap. 4 pag. 225 ed. Venet. 1744. S. Cyprianus Ep. 70 p. 300 ed. Amstelædami 1700. S. Ambrosius de Myst. cap. 3 n. 8 col. 409 opp. tom. 3 laudatæ ed. S. Augustinus de Baptism. lib. 6, cap. 25 col. 175 opp. tom. 7 indic. edit. Auctor operis de Hierarch. eccles. cap. 2 §. 7 pag. 255 opp. tom. 1 edit. Antuerp. 1654.

(3) Confer S. Carolum Borromeum Instruct. de Bapt. Act. Eccl. Mediol. par. 4 tom. 1 pag. 421 ed. Patavii 1754.

(4) Auctor operis de Eccl. hierarch. l. c. S. Augustinus Serm. 562 n. 3 col. 1564 opp. tom. 5 ed. Maur. Ven. 1751.

(5) Preces ad sacrificandam aquam olim adhibitas describit Auctor Const. Apost. lib. 7 cap. 45 apud Cotelerium PP. Apost. tom. 1 pag. 584 ed. Amstelædami 1724. Hinc deprecari super aquam Baptismi, apud Augustinum lib. 5 cap. 20 de Baptism. col. 155 opp. tom. 9 ed. Maurin. Venet. indic.

(6) Catechismus Romanus par. 2 cap. 2 §. 11.

(7) Consule Martenium de Antiq. Eccles. rit. lib. 1 cap. 1 art. 14 §. 3 tom. 1 pag. 48 ed. Antuerp. seu Ven. 1765. Atque ad hanc consuetudinem aquam vicam blando murmure decurrentem, quam memorat S. Zeno tract. 55 lib. 2 pag. 246 tom. 1 opp. ed. August. Vindelic. an. 1753, referendam putant Fratres Ballerini *ibid.* not. 3.

24. Proxima materia est ipsa ablutio, cujus triplex est modus, *aspersio, effusio, immersio*. Fuerunt olim, qui dubitarent de vi Baptismi per *aspersionem*, aut *effusionem* dati (1); sed eum valere certum est, cum *immersio, aspersio, effusio* diversi quidem sint ablutionis modi, revera tamen nihil distent (2). Dubitatio hæc de Baptismo per *aspersionem*, *effusionem*ve collato satis claro argumento est, olim Baptismum per immersionem conferri consuevisse. Et certe fuit hæc vetus Ecclesiæ disciplina, ut Baptismum suscepturi, sive mares essent, sive feminae, sive adulti, sive infantes, vestibus exuli, atque omnino nudi (3), ter in aqua toto corpore mergerentur, et inde educerentur (4).

(1) Confer Cornelium P. Ep. 9 ad Fabium Antiochen. n. 5 et 6 col. 154 et 155. apud Constantium Epist. Roman. Pontif.; et S. Cyprianum Ep. 76 ad Magnum p. 568 et seq. ed. Venet. 1758.

(2) Vide Catechismus Romanum part. 2. cap. 2 §. 17. Antiquitus, etsi Baptismus immersione dari soleret, tamen interdum effusionem etiam, atque *aspersionem* adhibitam fuisse, constat; quod luculentissimo argumento est, Ecclesiam semper firmum ratum habuisse Baptismum, sive per immersionem, aut *aspersionem*, aut *effusionem* ablutio fieret. Ita cum Petrus, ceterique Apostoli hominum ter millia baptizarunt, sicuti narratur in Act. Apostol. II. 37 et seq., videntur dedisse baptismum per *aspersionem*, aut *effusionem*, cum verisimile non sit, tantam hominum multitudinem tam brevi tempore in aquam

immergi potuisse. S. Cyprianus l. c. multis ostendit, valere baptismum, quem ægri aspersione, aut effusione susceperant; quam sententiam, veluti sua ætate certissimam, approbat, et sequitur S. Augustinus de Baptismo contr. Donatist. lib. 6 c. 7 col. 165 opp. tit. 9 ind. ed. Ven. Eadem est sententia Concilii Neocæsariensis Can. 12 apud Labbæum t. 1. Conc. col. 1516 ed. Ven. Antiodorensis Can. 18 tit. 6 col. 644. Matisconensis II. Can. 5 col. 674 d. t. 6. Parisiensis VI. Can. 7 col. 714 t. 9; et idem sæculo IX. tradidit Walfridus Strabo de Reb. Eccl. c. 26 col. 692 Bibl. PP. t. 10. ed. Paris. 1624. Huc etiam spectant acta S. Laurentii apud Surium de Vitis SS. mensis Aug. p. 96 ed. Colon. 1713, ubi agitur de Baptismo per effusionem dato, et huc etiam similia exempla, quæ refert Martenius de Antiq. Eccles. rit. lib. 1 c. 1 art. 14 §. 5 t. 1 p. 49 et Antwerp. seu Ven. 1765. Ex quibus manifestum est, etiam Baptismum aspersione, aut effusione collatum semper validum habitum fuisse; licet antiquitus in eo conferendo immersio adhiberetur.

(5) S. Jo. Chrysostomus Homil. 6 in Coloss. n. 4 opp. tom. 11 p. 569 ed. Paris. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. mistagog. 2 n. 1 p. 511 ed. Paris. 1720. S. Ambrosius, seu potius Auctor Serm. 19 n. 3 t. 4 opp. Ambros. col. 514. ed. Ven. 751. S. Zeno Tract. 55 lib. 2 p. 248 t. 1 opp. ed. Ballerin. Augustæ Vindelic. 1758. Verum ne quid in rei tam sanctæ administratione aspiceretur non decore, duo præsertim erant antiquis regulis constituta. Primum erat ut viri, ac mulieres separatim baptizarentur, et ideo vel in baptisteriis duo erant conclavia, alterum pro viris, alterum pro feminis, vel alio tempore mares, alio feminae baptismum suscipiebant. S. Augustinus de Civit. Dei lib. 22 c. 3 col. 665 opp. tom. 7. ed. indic. Hugo Menardus in S. Gregorii Sacramentar. col. 532 t. 5 ed. Maur. Paris. 1765., Albinus Flaccus de Divin. Offic. de Sabbato S. Paschæ col. 258 Bibl. PP. t. 10 ed. Paris. 1624. Alterum erat, ut Diaconissæ præsto essent feminis baptismum suscipiendis, ac per eas muliebri verecundiæ consuleretur. S. Epiphanius Hæres. 59 sive 79 advers. Collyrid n. 5 t. 1 p. 1060 ed. Coloniae 1632.

(4) Trinam hanc immersionem memorant omnes antiqui Patres, inter ceteros Tertulianus de Coron. cap. 5 p. 102 et Advers. Praxeam, c. 27 p. 516 ed. Rigaltii Paris. 1675. S. Joannes Chrysostomus Hom. 25 in Joan. n. 2 opp. t. 3 p. 146 ed. Paris. cit., S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 20 n. 4 p. 512 ed. Paris. 1720, S. Gregorius Nyssenus de Baptis. Christi p. 304 t. 2 ed. Paris. 1615, S. Ambrosius de Sacram. lib. 2, cap. 7 n. 20 col. 452 opp. tom. 5 ed. Maurin. Ven. 1751. Hanc autem aquam aliquantulum calefactam fuisse, ne qui toto corpore mergebantur, ac præsertim pueri, aliquid ex nimio frigore caperent detrimenti, non obscure demonstrat S. Zeno Tract. 55 lib. 2 pag. 246 indic. ed. cum memorat aquam in baptisterio igno dulcissimo temperatam. In unaquaque immersione non integra baptismi forma pronunciabatur, sed unius personæ nomen appellabatur, ut colligitur ex Tertuliano lib. Advers. Praxeam, c. 27 p. 516 ed. Ven. 1744, ex S. Ambrosio de Sacram. lib. 2 c. 7 opp. t. 5. col. 452 ed. Maur. Ven. 1751, et ex Rituali Romano, ubi præscribitur: *Puerum baptizet dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, et semel immergat, et Filii, et secundo immergat, et Spiritus S. amen, et tertio immergat.* Idem patet ex Euchologio Græcorum.

23. Quæ immersio, et eductio repræsentabat Christi mortem, et resurrectionem (1); eaque triplex erat, ut tridua Christi sepultura, fideique professio in Sacrosancam Trinitatem indicarentur (2). Erat tamen hæc trina immersio præcepti ecclesiastici,

cujus violati penas dabat, qui eam neglexisset (3); verum ad vim, ac necessitatem sacramenti non pertinebat (4). Græci nunc etiam in conferendo baptismo immersionem retinent; sed Latini post sæculum XII. effusionem adhibere cœperunt, cum illa nudati corporis immersio, præsertim infantibus, gravis, et periculosa deprehenderetur (5). Abluendum est autem præsertim caput (6), ac tanta effundenda est aquæ copia, quanta opus est, ut baptizandus vere ablutus dici possit.

(1) S. Ambrosius l. c. num. 25, S. Joan. Chrysostomus Hom. 40 in 1. ad Corinth. n. 1 p. 379 t. 10 ed. Paris. cit. Concilium Toletanum IV. Can. 6 apud Labbæum t. 6 col. 1452. ed. Venet.

(2) S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 2 mistag. n. 4 p. 512 ed. indic., S. Gregorius M. lib. 1 Ep. 45 opp. t. 2 col. 552. ed. Paris. cit.

(3) Canon. Apostol. 50 p. 449 apud Cotelerium PP. Apostol. tit. 4 ed. Amstelæd. 1724. D. Thomas in Summa part. 5 quæst. 66 art. 8.

(4) Ita cum in Hispania nonnulli unam tantum immersionem adhibuissent, ne Arianos imitari viderentur, qui triplici immersione triplicem in Trinitate substantiam indicabant, eorum factum probavit S. Gregorius M. lib. 1 Ep. 45 ad Leandr. t. 2 opp. col. 552 ed. cit., quod Gregorii decretum cum laude memorant Patres Concilii Toletani IV. Can. 6 loco mox indic. Præclare S. Thomas loc. cit. *Utrumque licite fieri potest, inquit, scilicet et semel, et ter immergere; quin unica immersione significatur unitas mortis Christi, et unitas Deitatis, per trinam autem immersionem significatur triduum sepulture Christi, et etiam Trinitas personarum.* Vide etiam S. Hildephonsus adnot. de Cognit. Baptism. c. 117 apud Baluzium Miscellan. sacr. t. 2 p. 54 ed. Lucae 1761.

(N. S. Tandem vero seclatis penitus Arianorum, et Priscilianistarum turbis, concertationes etiam de Trina mersione sensim desiere; ac consuetudo mergendi baptizatos, diu retenta est in Hispania.)

(5) Sæculo XIII., quo D. Thomas vitæ usura fruebatur, jam in locis quibusdam apud Latinos immersio desuescere cœperat; et ipse Thomas docet, uno aut altero ex tribus illis modis recte baptismum conferri, quamquam tutius esse dicat, eum dare per immersionem, qui sua adhuc ætate communior erat baptismi conferendi modus. At enim in Summa l. c. art. 7. *Ablutio autem fieri potest per aquam, non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis, vel effusionis; et ideo quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis, (quia hoc habet communior usus) potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis, vel etiam per modum effusionis.* Quo ex loco perspicuum meo quidem iudicio est, ea tempestate, qua D. Thomas florebat, communior quidem fuisse usum immersionis; sed tamen quibusdam etiam usitatam fuisse aspersionem, aut effusionem. Guilielmus Beveregii in Not. ad Can. 50 Apost. p. 472 apud Cotelerium PP. Apost. t. 1 ed. Amstelæd. indic. putat, mersionis loco aspersionem, sive profusionem aquæ, in Occidentali præsertim Ecclesia, plusquam mille ab hinc annis, Gregorii videlicet I. ætate, substitutam esse. Sed certa desunt antiqua monumenta, quibus hæc Beveregii opinio nisi posse videatur. Hæc tamen animadvertam, quod etiam antiquior aspersionis in baptismo, et eo quidem solemniori, ut videtur, adhibita, mentio est in opusculo de Ecclesiasticis Dogmatibus, quod inter opera falso Augustino adscripta PP. Maurini re-

juerunt ad Appendic. l. 3, et plerique tribuunt Gennadio Massiliensi Gallicanæ factionis, contra quam Prosper, et Hilarius Augustino scripserunt. Nam cap. 41 ejus oper. col. 73 l. 2 opp. August. ed. Maur. Ven. ind. Baptismus, et Martyrium inter se comparantur, atque hæc habentur: *Baptizandus confitetur fidem suam coram Sacerdote, et interrogatus respondet; hoc et Martyr coram persecutore facit, qui et confitetur fidem suam, et interrogatus respondet. Ille post confessionem vel adspersitur aqua, vel intingitur; et hic vel adspersitur sanguine, vel intingitur igne.* An non hic locus argumento esse potest, quod in ea regione, in qua Gennadius scripsit, immersionis loco aspersio adhiberetur? Ut ea de re sit, certe generatim tum apud Græcos, tum apud Latinos ubique obtinuit immersio, quæ alicubi vigebat sæculo XIV, uti ostendit Codex membranaceus, qui cum aliis compluribus extat in museo Alberti Fratris mei, Canonici Basilicæ S. Mariæ trans Tyberim, et in quo habentur hæc: *et baptiza infantem in nomine Trinitatis, sub trina mersione, dicens etc.* Codex hic liber Ritualis est, neque certe est antiquior sæculo XIV, uti ostendit Codex membranaceus, quæque in eo describitur, oratio S. Thomæ de Aquino, qui tantum sæculo XIV. ab Joanne XXII. SS. albo adscriptus fuit. Quin monet Chardonius Hist. sacram. lib. 1 cap. 9, immersionem adhuc sæculo XV obtinuisse.

(N. S. Hanc mersionem scilicet sæculo XIV Ecclesiam prorsus reliquisse, putarunt nonnulli; verum in Hispania, quamvis parvum inspicimus lavacrum, quo S. Dominicus Calagurritanus baptizatus dicitur, quod non potuit esse nisi ad infusionis usum, mersionem tamen usitatum fuisse anno 1525, quo celebrata est Syn. Tolet., aperte ostendit cap. 15. Immo mersionis ritum præscripsit Card. de Mendoza in Constit. Syn. an. 1555 cap. 41; quatuor tantummodo casibus exceptis: 1 Quum baptizandus erit adultæ ætatis, sive vir, sive fœmina. 2 Quum infans ægotaverit, de quo verosimiliter credi debet, quod si in aquam immergeretur, manifestum damnum, ac jacturam pateretur. 3 Quum infans nequit ab utero matris exire, nisi solum caput, vel aliud ejus membrum, quo casu fieri debet Baptismus in illo membro per aspersionem. 4 Quum in casu necessitatis nequit haberi ea copia aquæ, ut sufficiat ad immersionem. Adhuc tamen partim obtinebat immersio sæculo XVI; id quod evincitur ex Syn. Tarracon. an. 1556 in Compilat. Jo. Teres Lib. 3 tit. 25 cap. 2. En verba: *Evitantes, quæ docente experientia, solent in sumergendis infantibus in sacro fonte Baptismatis sæpius evenire, jubemus, infantes hujusmodi per Paternos, seu suscipientes eosdem teneri, et baptizandos cum aqua, proferendo verba decentia, per Curatos, seu eorum loca tenentes, tantummodo tingi.* Atque inde eo ventum est, ut exoleta jam antiqua mergendi consuetudine in Ecclesia Occidentali, una excepta Mediolanensi, hæc sola tingendi, vel superinfundendi prorsus obtineat.

Agros vero, qui in aquas sine vitæ periculo immitti non poterant, suspicamur fuisse olim per aspersionem vel infusionem baptizatos: S. Cyp. Ep. 76 ad Magn.; August. lib. 6 contra Donat. cap. 7; Strab. de Rebus Ecclæs. c. 25.)

(6) Catechismus Rom. par. 2 cap. 2 §. 19.

26. Baptismi formam constituunt verba, quæ apud Latinos sunt: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.*; apud Græcos: *Baptizatur* (1) *Servus, vel Serva Dei N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.* Vetus est hæc formula, quam

Græci usurpasse videntur, ut occurrerent Novatianis, quorum error late erat in Oriente diffusus, scilicet ad vim sacramenti ministri fide opus esse (2). Utraque forma vim eandem habet (3), quamquam ministri suæ Ecclesiæ ritum servare debeant: et utraque continet expressam invocationem trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis, atque actum ipsum baptizandi. Invocatio illa Trinitatis divinæ institutionis est, atque ad vim sacramenti necessaria (4); sed et verba *ego te baptizo* omissa nullum reddunt (5).

(1) Ita habet Arcadius Concor. Eccl. orient. et occident. lib. 1 cap. 5 et cap. 8 pag. 9 et 14 ed. Paris. 1672, et Græcorum Euchologion apud Goarium pag. 558 ed. Paris. 1647, quamquam non desint, qui græci sermonis ignari, legendum putent *baptizetur*. Aliquando tamen Græcus verbo indicativo in prima persona usos fuisse, colligi potest ex S. Gregorio Nazianzeno Orat. 40 n. 51 p. 670 opp. t. 1 ed. Coloniae 1690. *Baptizo te*, inquit, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

(2) Verbum illud Ministri *ego te baptizo* quosdam in errorem induxit, ut crederent, vim sacramenti ex ministri persona æstimandam; quo multi referunt illud Corinthiorum dissidium, *ego sum Pauli, ego Cephæ etc.* quasi à ministro vim repeteret sacramentum, qui error non tantum in Græciam, sed et in Africanam pervaserat.

(3) Eugenius IV. Instruct. pro Armen. tit. 18 Conc. collect. Labbæi col. 547 ed. Ven.

(4) Matthæus XXVIII. 19 Confer S. Justinum Martyr. Apolog. 1 p. 80 opp. ed. Paris. 1740, Tertullianum advers. Praxeam c. 26 p. 516 ed. Rigaltii Paris. 1675. Origenem in c. 6 Ep. ad Rom. lib. 5 p. 561 t. 4 opp. ed. Maur. Paris. 1759 S. Cyprianum Ep. 75 p. 125 ed. Rigaltii Paris. 1666. S. Augustinum de Bapt. contr. Donat. lib. 3 c. 15 et lib. 6 cap. 25 col. 115 et 176 opp. t. 9 ed. Maur. Ven. 1755 S. Innocentium P. Ep. 17 ad Episc. Maced. cap. 5 col. 356. apud Constantium Ep. Rom. Pont. S. Basilium de Spiritu S. c. 12 p. 25 et 24 t. 5 opp. ed. laudatæ, S. Thomam in Summa p. 5 q. 66 art. 5. Existit autem hoc loco quæstio, num aliquando valuerit, ac revera ab Apostolis in solo Christi nomine, sine mentione Trinitatis, baptismus collatus fuerit. Nam Act. Apostolorum II. 38 X. 48 et seq. et XIX. 5 traditum est, Apostolos in solius Christi nomine baptizasse. Ea de re magna animorum contentione nostro hoc sæculo inter se disputarunt duo celeberrimi Theologi ex Dominicanorum familia, Renatus Hiacintus Drouvenius de Re Sacramentar. lib. 2 qu. 5 cap. 2, et Augustinus Orsius Cardinalis edita an. 1755. Mediolani dissertatione de Baptismo in nomine Jesu Christi; atque hic quidem Apostolos aliquando in solo Christi nomine baptismum contulisse defendit, Drouvenius autem negat. Verum si aliquando Apostoli in solo Christi nomine baptizarunt, id Spiritus S. afflatu, inquit Catechismus Romanus par. 2 c. 2 §. 15 et 16, eos fecisse exploratum nobis esse debet, ut initio nascentis Ecclesiæ Christi nomine prædicatio illustrior fieret, divinaque, et immensa ejus potestas magis prædicaretur; aut potius iis verbis Apostoli baptismum à Christo institutum significare voluerunt, sed tamen retinuerunt formam, quæ distincta continet trium personarum nomina. Et certe verba Christi ab baptizandum Apostolos mittentis, eam formam expresse comprehendunt; at

que ita loca illa Sac. Scripturæ explicarunt S. Cyprianus Ep. 75 ad Jubajan. p. 125 ed. Paris. 1666, Origenes in Ep. ad Rom. lib. 5 p. 561 t. 4 ed. Paris. 1759, S. Anastasius de Trinit. n. 7 p. 775 t. 2 opp. ed. cit., S. Basilius de Spiritu S. e. 12 pag. 25 t. 5 opp. ed. Maurin. Paris. 1750, S. Joannes Damascenus de Fide Orthod. lib. 4 c. 9 opp. t. 1 p. 260 ed. Le-Quenii Paris. 1712, S. Augustinus Contr. Maximin. Arian. Episc. c. 17 l. 2. col. 715 opp. tom. 8 ed. Maur. Ven. laudat. Locum Auctoris libri de Sacram., seu verius S. Ambrosii de Spiritu S. lib. 2 c. 2 n. 42 col. 12 seq. t. 4 ed. cit., et Nicolai I in Can. 24 de Consecr. dist. 4. ubi probatus videtur baptismus in solo Christi nomine collatus, diligenter explicat Carolus Cagliardus Instit. Jur. Canon. lib. 2 tit. 4 § 20 et seq. Vide etiam Natalem Alexandrum Histor. ecclies. diss. 13 t. 4 pag. 101 et seq. ed. indic.

(5) Petri Cantoris, Præpositi, atque aliorum opinio fuit, omitti impune posse ea verba: *Ego te baptizo*, quoniam illis Christi verbo *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritu S., baptizantes* factum ipsum ministri designat. Sed hæc verba, salvo sacramento, omitti non posse, rescripsit Alexander III in cap. 1 de Baptismo; et Alexander VIII. die 7 Decem. br. an. 1790 inter ceteras propositiones hanc quoque damnavit n. 27. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris etc. prætermittis illis: Ego te baptizo; ut patet ex Bullar. Roman. tit. 9 p. 97 ult. ed. Consule Martenium de Antiq. Eccl. rit. lib. 1 c. 1 art. 15 n. 14 seqq. Verum constat sacramenti ratio, si desit vox illa ego, cujus vis in verbo baptizo continetur. Catechismus Romanus part. 2 cap. 2 §. 14 S. Thomas in Summa par 3 q. 66 art. 5 ad 1 et 2.*

27. Ordinarius baptismi Minister est Episcopus, et Sacerdos; extra ordinem etiam Diaconi cum Episcopi, aut Sacerdotis concessu hoc sacramentum administrant (1). Cogente necessitate, omnes et mares, et feminae recte baptizant (2); verum neque mulier præsentem viro, neque laicus præsentem clerico, neque clericus, cum adest sacerdos, sibi sumere hoc munus debent (3). Recte inquam, hoc est, sine culpa; ceterum etiam absente necessitate, baptismus à laicis collatus valet, sed næ ii contra Ecclesiæ disciplinam peccant (4). De baptismo ab hæreticis, aut infidelibus dato magna olim disputatio fuit, num valeret; sed eum valere certum est, si tamen id efficere propositum eis fuerit, quod catholica Ecclesia facit (5).

(1) Confer Catechismum Romanum par. 2 c. 2 §. 25, et S. Thomam in Summa par. 3 q. 67 art. 2. Quod si à Tertuliano de Baptismo. cap. 17 p. 250 ed. Rigaltii Paris. 1675, S. Hieronymo Dial. advers. Lucifer. n. 9 col. 182 opp. t. 2 ed. Veron. 1755, aliisque Patribus scriptum est, baptismum sine auctoritate, aut jussione Episcopi à Presbytero non esse conferendum, id referri debet ad solemnem baptismum, qui certis anni diebus administrari consueverat. Non omnis tamen Presbyter, sed tantum proprius, hoc est Parochus, jure ordinario baptizat.

(N. S. Martinus Braear. Epist. ad Bonif. P. apud Aguirre. Tom. 3 Collect. Maxim., de Baptismatis ministracione, quasi propria Episcoporum,

loquitur, quum ait: *Nam ut ego arbitror, qui hoc vobis voluit intimare, nunquam vidisse baptizantes Episcopos.* At non deerant casus, quibus integrum esset, Presbyteris, atque etiam Diaconis baptizare, maxime quum non adesset Episcopus, qui catechumenum morti proximum baptizaret, ut colligitur ex Synod. Illiberit. Can. 77; alioqui neque etiam Presbyteris fas erat, *præsentem Antistitem, infantem tingere, aut signare:* Syn. Hispal. 2 Can. 7).

(2) Can. 21 dist. 4 de Consecr., Tertulianus l. c. p. 251, S. Augustinus contr. epist. Parmen. lib. 2 c. 15 col. 44 opp. 1 t. 9 ed. Ven. indic., Concilium Eliberitanum can. 58 apud Labbæum t. 1 col. 996 ed. Ven. Quo in canone videtur excludi bigamus, etiam necessitate cogente, à baptismi administratione; statuit enim, *posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet* (\* hoc est, satis aptum ad baptizandum, non confractum \*), *nec sit bigamus* (\* vel potius, *etsi sit bigamus, juxta Selvag. Aduotat.*), *baptizare in necessitate.* Mirum id videtur Dionysio Petavio in not. ad Epiphani. l. 2 p. 541 ed. Paris. 1722, quod *bigamus baptizare in tanta necessitate non licuit.* Verum, uti observat Albaspinæus in notis p. 175 ed. Neap. 1770, canon non omnino excludit bigamum à baptismi administratione, sed in eo munere bigamo vult præferri laicum, qui bigamus non sit.

(N. S. Syn. Tolet. an. 1525, cap. 15, ait. \* Si partum contingat periclitari, poterit, nedum obstetrix, vel quivis alius masculus, aut femina, sed et pater, et mater in aliqua patella, aut alio instrumento baptizare. Syn. Valent., Sess. 2 Tit. 2 cap. 4, statuit. ne obstetrix ipsa, aut ullus alius infantem, dum nascitur, baptizare ausit, nisi urgens mortis periculum imminere viderit. Quando vero infans ad Ecclesiam fuerit delatus, interroget Parochus, num baptizatus sit; quod si respondeatur baptizatum esse, requirat diligenter an debita forma, et modo fuerit baptizatus. Ex quibus si certo colligat, infantem vere baptizatum fuisse, caveat ne Baptismum iteret.... Quando vero non poterit certo colligere infantem baptizatum esse, ac proinde hæsitaverit, num vere sit baptizatus, tunc sub conditione illum baptizet. Num Parochi diligenter inquirent, an puer vere baptizatus sit, priusquam iteratam, quamvis conditionalem, Baptismi formam adserendam esse illi pronuntiant, viderint secum ipsi, agitur enim de summa re. Synod. quoque Mediolan. V. Part. 1, Constit. *Quæ ad Baptism.* mulieribus interdicit obstetricum munus absque Parochi approbatione exercere.

Ubi contigerit infantem, ob mortis periculum domi baptizatum, supervivere, ad Ecclesiam adducendus est, ut omissi ritus celebrentur; id quod vetus Ecclesiastica traditio docet, et Synodales Constitutiones præseribunt. Syn. Dioces. Neap. an. 1669, de Baptismo cap. 5, decernit: \* Si forte metu mortis baptizatus celeriter infans domi fuerit, recteque deinde convalescit, ad reliquas Ecclesiæ caeremonias suscipiendas mature in Ecclesiam deferatur. Et Syn. Valent., Sess. 2 Tit. 2 cap. 4: \* Parochus.... si certo colligat, infantem vere baptizatum fuisse, caveat ne Baptismum iteret. Catechismus tamen, unctionem olei, et chrismatis, et alia, quæ jam baptizato convenire possunt, peragat.

(3) Vide Catechismum Romanum l. c. §. 25.

(4) Apposite Augustinus contr. ep. Parmen. cit. c. 15. *Nulla, inquit, necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est.*

(5) Concilium Tridentinum sess. 7 can. 4 de Baptismo. Primus Agrippinus Carthaginiensis Episcopus in exitu sæculi II. hæreticorum baptismum irritum judicavit: S. Augustinus de Baptismo. Contr. Donatist. lib. 2 cap. 7 col. 102 opp. t. 9 ed. Maurin. Ven. indic., S. Vincentius Lirinensis Common. c. 6

p. 506 ed. Baluzii Pedeponti 1743. Agrippini sententiam sæculo III. S. Cyprianus, atque alii tum in Asia, tum in Africa Episcopi sequuti sunt. Consule Natalem Alexandrum Hist. Eccl. sæc. 5 diss. 12 p. 92 t. 4 ed. Ven. 1776. Sed S. Stephanus Pontifex ratum habuit baptismum hæreticorum, modo esset catholice Ecclesie leges, atque hoc Stephani iudicium universa Ecclesia sequuta est in plenaria, hoc est œcumenico Concilio, quod mortuo Cypriano, se tamen nondum nato habitum, testatur Augustinus de Baptism. lib. 2 cap. 4 et 9 col. 98 et 104 t. 9 opp. ed. Ven. cit. Spectat Augustinus (quod mihi quidem verisimilius videtur, licet non eadem omnium sententia ea de re sit, ut ostendunt Tournelyus Prælect. theolog. de Sacram. in gener. qu. 7 art. 2 concl. ult., et Jueninius de Sacram. diss. 2 art. 3 §. 5) ad Nicenam Synodum, quæ, uti loquitur Hieronymus l. c., omnes hæreticos suscipit (can. 8) exceptis Pauli Samosateni discipulis, de quibus agitur can. 49, quoniam hi præscriptam ab Ecclesia formam non observabant. Probat, inquam, Stephanus hæreticorum baptismum, modo secundum catholicam Ecclesie ritus collatus fuisset. Nam calumnia est, quam inter ceteros refelunt, Natalis Alexander Hist. Eccl. sæc. 5 dissert. 14 art. 1 t. 4 p. 104 ed. indic., et Tournelyus Prælect. theolog. de Sacram. in gener. q. 7 art. 2. Blondelli, Basnagii, et aliorum, agentium, Stephanum probasse etiam baptismum hæreticorum, qui in eo conferendo leges, ritusque Ecclesie despexerant. Quod si non baptizatus ritum Ecclesie servet, atque id velit facere, quod illa facit, ejus quoque baptismum valere, respondit Nicolaus I. in can. 24 de Consecr. dist. 4. Augustinus, ea in re accipiti contentione distractis nihil affirmandum dixit Contr. ep. Parmen. lib. 1 cap. 15 col. 45 t. 9 opp. ed. Venet. cit. sine auctoritate tanti concilii, quantum tantæ rei sufficit.

28 Baptizantur tam infantes, quam adulti; in illis originale peccatum tollitur, in his universa. Infantes rationis usu carentes baptismo donandos non esse, hæreticorum quorundam opinio fuit: sed eos recte in fide Ecclesie baptizari, certum est (1). Ut vero eorum baptismus valeat, ex utero matris in lucem editi esse debent; quoniam inutilis est baptismus eorum, qui cum intus in utero inclusi lateant, aqua tingi non possunt (2). Quod si ex eo non solum corpus, sed ejus partem eduxerint, ea pars abluitur, cum mors imminet, atque in primis caput, si prodierit, quo abluto, baptismus non iteratur (3). Infantes filios infidelium baptismo donari vetat Ecclesia, nisi vel mors immineat, vel à parentibus expositi, ac relictis sint, vel saltem eorum alter assentiatur (4).

(1) Concilium Tridentinum Sess. 7 can. 12, et 15 de Baptism. Catechismus Romanus part. 2 cap. 2 §. 52, et apposite Origenes Hom. 8 in Levitic. t. 2 opp. p. 250 ed. Paris. 1755, secundum Ecclesie observantiam baptismum etiam parvulis dari, inquit. Anabaptistarum error, qui parvulos baptizari posse negabant, jam explosus, atque rejectus ab Ecclesia est, lataque adversus illos disputant scriptores rerum Theologicarum, præsertim Brouverius de Re Sacrament. lib. 2 quæst. 6 cap. 2. Sunt qui paedobaptis-

num recentiori ætate inductum putant, ac negant Ecclesiam duobus prioribus sæculis baptismum infantibus dare consuevisse. Sed eos late refellit Binghamus Origen. Eccles. lib. 11 cap. 4 §. 5 et seq. t. 4 pag. 192 ed. Halæ Magdeburg. 1755, testimonio Clementis Romani, Hermæ Pastoris, Justinii Martyris, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, omnium denique Patrum qui duobus, tribusque prioribus Ecclesie sæculis floruerunt. Constat enim Ecclesia semper certam, ac fixam habuisse doctrinam de peccato originali, atque ejus delendi causa baptismum infantibus tribuisse.

(N. S. Synodus Illiberit. Can. 1 non obscure demonstrat, Ecclesiam baptizare jam tunc consuevisse adhuc non adultos, maxime quum in mortis discrimen incidere. Expressius Syn. Gerund. an. 517 Can. 5; De parvulis vero, qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi, (ut adsolet) fuerint, et lac maternum non appetunt, etiam eadem die, qua nati sunt (si oblatis fuerint), baptizentur. Parvulos etiam baptizari posse. Episcopi Africani in Sardinia exules, uti dogma catholicum credidere in Epist. Synodica an. circiter 526 Cap. 11. Id ipsum firmiter tenuit Ecclesia sequentis sæculis: Syn. Braacar. II Can. 9; Gregorius M. Epist. ad Leand. Hispal. Cap. 4; Syn. Tolet. IV Can. 6 alias 5; Hispal. II Can. 7; Tolet. an. 1525 præf. Cap. 15.)

(2) Vide S. Augustinum Contr. Julianum lib. 6 cap. 5 n. 15 col. 669 opp. t. 10 ed. indic. et S. Thomam in Summa par. 5 qu. 68 art. 11. Quæstio tamen est, num recte baptizetur infans adhuc latitans in utero matris, cum ejus corpus aqua per ostium uteri immissa tingi potest. Late ea de re agit Benedictus XIV de Synod. diocæs. lib. 7 cap. 5. ac puerum in eo rerum discrimine ita baptizandum monet sub conditione, sub qua similiter baptizandus erit, si in lucem prodeat. Ceterum non ambigitur, quin recte baptizetur infans, qui secto matris utero in lucem eductus est; quin etiam, mortua matre, ejus uterum reserandum esse per sectionem cæsaream, ut inde extrahatur infans, ac baptizetur, docent S. Thomas l. c. Rituale Romanum tit. 7 de Baptizandis pueris §. 5., Instructio edita à S. Carolo Borromeo pro recta administratione baptismi tit. de his, quæ Parochus curet, cum timetur de partu: Actor. Eccles. Mediolan. par. 4 pag. 502. Multa enim sunt exempla infantum, qui ex mortuæ matris utero vivi prodierunt, adoleverunt, et qui etiam ad senectutem ætate processerunt. Confer Theophilum Raynaudum de Ort. infant. per section. cæsar. cap. 2 opp. tom. 14; Auctorem Lexici universalis rei medicæ verb. Cæsarea sectio t. 2. Heisterum Instit. chirurgic. par. 2 sect. 5 cap. 3 tom. 5, et Franciscum Emmanuelem Cangiamilam, qui peculiari libro Panormi edito anno 1745 materiam hæc fuscè pertractavit.

(3) Expectanda est, inquit S. Thomas cit. qu. 68 art. 11 ad 4, totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente, et non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit, sicut in capite; videtur quibusdam quod propter dubium, quæcumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam natiuitatem sit baptizandus sub hac forma: si non es baptizatus, ego te baptizo. Consentiant Rituale Romanum tit. de Baptizand. parvul. et Instruktionen S. Caroli Borromei Actor. Eccles. Mediolan. par. 5 p. 422, §. Si vero factus. t. 1 ed. Patavii 1754. Consule Benedictum XIV, qui ea de re copiose disputat de Synod. diocæs. lib. 7 cap. 5 n. 7 et seq.

(4) Quod de parentibus dico, idem etiam dictum volo de tutoribus, qui



cum parentum locum obtineant, eorum quoque consensus requiritur, ut Hebræorum infantes baptizentur. Quæsitum est, num avus paternus puerum hebræum, invitis parentibus, baptismo offerre possit. Constat id recte fieri, si puer patrem amiserit, ac matrem habeat dissentientem; quin etiam multi sunt, qui ilem fieri posse defendunt, cum ambo parentes sospites sunt, et ambo dissentiant. Gravior de avia paterna controversia fuit, quam defini- vit Benedictus XIV. literis datis ad Petrum Hieronymum Guglielmum, quæ extant in ejus Bullar. Constit. 54 t. 3 p. 259 ed Romæ seu Venet. et quibus statutum est, aviam paternam puerum hebræum baptismo offerre posse, quamquam mater, tutoresque dissentiant. Vide laudatam Constitutionem 54, et alteram ejusdem Benedicti Constitutionem 28 pag. 113 ejus Bullarii t. 2 indic. edit. ubi de baptismo Hebræorum tum infantum, tum adutorum late agitur, et omnia, quæ ad hanc materiam pertinent, accurate evolvuntur.

29. Adulti baptismo non donantur, nisi illum sua sponte pe- tant, quoniam nemini ad credendum vis inferenda est (1); neque cum petunt, statim baptismum obtinent, sed primum fidei ru- dimenta edocentur; unde factum catechumenorum nomen, à gre- co verbo quod *docere, erudire* significat. Vetus hæc est Ecclesiæ consuetudo, ut adulti ad baptismum accedant, posteaquam in re Christiana eruditi sunt, eorumque animus diligenter cognitus, atque exploratus est. Ea de causa instituta est catechesis, divi- saque, ut rectius procederet, in gradus tres, aut quatuor, nimi- rum in *audientes, genuflectentes, et competentes, sive electos* (2).

(1) Concilium Toletanum IV. Can. 57 tom. 5 collect. Harduini, S. Grego- rius M. lib. 1 ep. 47 col. 542 t. 2 opp. ed. Paris. 1705.

(2) Initio Ecclesiæ, nulla interposita mora, baptismus dari consuevisse videtur, cum eum suscepturus suum jam satis patefecisset animum pietatis, et religionis plenum, fideique mysteria percepisset. Ita à Petro, et Philippo factum, constat ex Act. Apostol. VI. 1 38 X. 47. Verumtamen cum experimen- to plane compertum esset, non satis tutam esse fidem eorum, qui sine pe- riculo baptismo donati fuerant, institutus est catechumenatus, ut ita singu- lorum fides, et vita diligenter probaretur. Habebat autem catechumenatus certos gradus, quos singillatim excurrere oportebat, ut ita catechumenus ad rem christianam diligentius intituereetur. Græci canonum interpretes Theodorus Balsamon, Alexius Aristinus, Joannes Zonaras in not. ad Cone. Neocæs. Can. 5 apud Beveregium Pandect. can. t. 1 p. 405 et 406 ed. Oxonii 1672, duos fecere gradus catechumenorum, alterum eorum, quos *imperfec- tiores*, alterum eorum, quos *perfectiores* vocant. Duos etiam fecere gradus Beveregius loc. cit. Caveus Primit. Christ. lib. 1 cap. 8, Svicærus Thesaur. t. 2, Basnagius de Reb. Sacr. et Ecclesiast. contr. Baron. pag. 485 ed. Ultraject. 1692. Sed eos plerique rejiciunt, quod ex ecclesiasticis monumen- tis compertum est, tres, aut quatuor fuisse catechumenorum gradus. Con- ser Ducangium in Glossar. verb. Catechumeni, Card. Bonam Rer. liturg. lib. 1 c. 15 §. 4, ibique Salam in not. p. 543 et seq. t. 1 ed. Taurin. 1747... Martenium de Antiq. Eccl. rit. lib. 1 c. 1 art. 6 t. 1 p. 12 ed. Antuerpiæ seu Ven. 1765, aliosque complures. Thiersius tamen Expos. Sacram. c. 8, et Martenius l. c. à competentibus electos discriminant; sed Morinus de Pœnit.

lib. 6 c. 1, quem plerique sequuntur, unum et eundem facit *competentium*, atque *electorum* gradum. Forte non ubique, nec semper una, et eadem obtinuit disciplina. Certe duo tantum gradus, alius videlicet eorum, qui pro- prie *catechumeni*, et alius eorum, qui *competentes* vocabantur, hoc est *im- perfectiores*, et *perfectiores*, memorantur ab Origene Contr. Celsum lib. 3 p. 437 n. 60 et seq. t. 1 ed. Paris. indicat., S. Zenone lib. 2 tract. 1 p. 277 t. 1 opp. ed. August. Vindel. 1758, S. Isidoro de Offic. Eccl. lib. 2 c. 20 et 21 p. 609 et 610 ed. Paris. 1601, Rabano de Inst. cleric. lib. 1 c. 26 opp. t. 6 p. 9 ed. Coloniae 1626, Leidrado Lugdunen. de Sacram. Baptism. c. 4 apud Mabillonium Veter. analect. p. 78 ed. Paris. 1723. Contra plerique ec- clesiastici scriptores passim recensent tres, aut quatuor catechumenorum gradus; quæ diversitas ad temporum, et locorum usus referenda videtur. Probari tamen nequit opinio Josephi Binghami, qui lib. 10. Origin. Eccl. c. 2 §. 2 pag. 17 t. 4 ed. Halle Magdeburg. 1655, alium invenit gradum catechu- menorum; eorum scilicet, qui cum in imo catechumenorum gradu peccas- sent, ab Ecclesia expellebantur. Non erat hic catechumenorum gradus, sed erat expulsio, et ejectio ab omni gradu catechumenorum; quæ eadem de pœ- nitentibus, qui peccassent, disciplina obtinebat. Hoc tamen erat discrimen, inter catechumenos, et penitentes, quod si suum etiam habebant gradum extra ecclesiam, quo loco erant *stentes*; sed catechumeni nullum hujusmodi gradum obtinebant; et ideo cum ab Ecclesia expellebantur, arcebantur à Catechumenatu, mittebanturque ad illos, quos Ecclesia ab se prorsus alie- nos habebat. Simili ratione Synodus Eliberitana catechumenas, quæ habe- rent *comatus, aut viros cinerarios*, arceat à *communione*, videlicet ab Ec- clesia, et à Catechumenatu, uti eum canonem recte explicat Alaspinaeus p. 185 ed. Neap. 1770.

30. In imo gradu erant *Audientes*, ii nimirum, qui in Eccle- sia sermones, sacrasque scripturas audiebant, unde eorum no- men factum est. Qui se Baptismi desiderio teneri significave- rant, signabantur signo crucis (1), ac manuum impositione (2), ceterisque precibus (3), catechumeni fiebant. Hi præsentibus non erant, cum Sacrificium peragebatur; sed finita Scripturarum ex- plicatione, cum ethnicis abibant, clamante Diacono: *ne quis au- dientium, ne quis infidelium* (4).

(1) Augustinus de Catech. rud. cap. 26 opp. tom. 6 col. 295 ed. Venet. cit., Theodoretus Hist. Eccl. lib. 4 cap. 18 p. 169 ed. Valesii Cantabrig. 1620. In antiquo Codice Monasterii Bobiensis, quem Mabillonius edidit in Mus. Italic. tom. 1, tum in fronte, tum in corde signum crucis fieri jubetur. Alius est ritus Missalis Gotici editi à Josepho Thomasio; utrumque cum aliis libris ritualibus descripsit Martenius de Antiq. Eccles. ritib. lib. 1 c. 1 art. 7 t. 1 p. 15 ed. Antwerp. seu Ven. 1765. Illud in Bobiensi Codice, quem Mabillo- nius edidit, animadvertendum est, quod non tantum signum crucis fieri, sed etiam *symbolum dici* jubetur; quod est contra arcani disciplinam, quæ sym- bolum coram catechumenis recitari vetabat. Forte illæ preces ad catechu- menos non pertinebant, antequam mos generatim obtineret baptizandi pue- ros, qui simul catechumeni fiebant, et baptismum accipiebant.

(2) Severus Sulpitius Dial. 2 de virt. S. Martini cap. 4 pag. 107 tom. 1 ed. Veron. 1741. Eusebius in Vit. Constant. lib. 4 cap. 61 p. 661 ed. Valesii Cantabrig. 1720. Concilium Arelatense I Can. 6 apud Labbæum tom. 1 col. 1451 ed. Ven. Ex hoc ritu explicandi sunt can. 59. Concilii Eliberitani tom. 1 col. 997. can. 7 Concilii Constantinopolitani I tom. 2 col. 1129 et can. 95. Trullani apud cit. Labbæum tom. 7 col. 1587. quibus locis *Christianum facere* idem est atque aliquem manuum impositione, certisque precibus in uno catechumenorum gradu collocare. Confer Hugonem Menardum in Sacrament. S. Gregorii M. Not. 554 opp. t. 5 col. 561 seqq. ed. Maurin. Paris. 1705, à quo cuncta, quæ ad hanc materiam pertinent, accurate describuntur.

(3) Consule Martenium l. c.

(4) Auctor Constit. Apostol. lib. 8 cap. 5 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 366 ed. Amstæledami 1724.

31. Proximus erat locus *Genusflectentium*, quibus in genua provolutis imponebantur manus; atque hi proprie catechumeni dicebantur, quæque ad eos pertinebat, liturgiæ pars, catechumenorum oratio vocabatur (1). Ad eos referebatur ea Diaconi proclamatio: *Quicumque catechumeni discedite*. Summus erat gradus eorum, qui cito baptismum erant suscepturi, quique appellabantur *Competentes*, quod jam baptismum peterent (2), et *Electi*, quod ad baptismum proxime accipiendum eligerentur (3). Hi sua dabant baptismum nomina, quæ Diaconus viventium diptycis insemebat (4); et pro ipsis certæ fundebantur preces, posteaquam reliqui catechumeni è templo discesserant (5).

(1) Concilium Nicænum can. 14 apud Labbæum tom. 2 col. 59. Post Episcopi sermonem catechumenorum oratio peragebatur, uti patet ex Concilio Laodiceno can. 19 apud eundem Labbæum tom. 1 col. 153 l. Harum autem precepcionum formulæ in *Constitutionibus Apostolicis* loc. indic. cap. 6 pag. 597, atque à Chrysostomo Hom. 2 in 2 ad Cor. n. 8 pag. 440 l. 10 ed. indic. recitantur.

(2) S. Augustinus de Fide et oper. cap. 6 col. 169 t. 6. opp. ed. Maur. Venet. cit. et Serm. 216 col. 955 t. 5; S. Hildephonsus Adnot. de cognit. baptism. cap. 50 apud Baluzium Miscellan. sacr. pag. 22 tom. 2 ed. Lucæ 1761. V. S. Isid. Hispal. Lib. 8. Orig. cap. 4.

(3) S. Leo M. Ep. 16 ad Episc. Sicul. cap. 5 opp. tit. 2 p. 80 ed. Romæ 1755. Extat in Constitutionibus Apostolicis lib. 8 c. 8 pag. 599 l. c. oratio pro his catechumenis.

(4) S. Augustinus de Cur. gerend. pro mort. cap. 12 col. 525 opp. tom. 6 laud. ed. Venet. Auctor operis, quod Dionysii nomine circumfertur, de Hierarch. eccl. cap. 2 §. 5, ibique Pachimeres pag. 255 et 276 tit. 1 ed. Antwerp. cit. Concilium Constantinopolitanum sub Menna habitum Act. 5 col. 1525 tom. 2 collect. Harduini.

(5) Græcam Ecclesiam certas pro catechumenis, energumenis, et penitentibus preces habuisse constat, quæ quidem diverso tempore fundebantur; sed non ita exploratum est, num eadem etiam fuerit Latine Ecclesiæ disciplina. Eandem prorsus fuisse, verisimile est. uti observat Binghamus Origin. eccles. lib. 14 cap. 5 tom. 6 pag. 228 edit. indic.

32. Stalim ac catechumeni inter audientes erant relati, incipientibus catecheses, quibus fidei rationes, vitæque christianæ officia edocebantur. Quo munere instituendi catechumenos Episcopi, aut Presbyteri, Diaconive, minoresve etiam clerici, et interdum laici fungebantur (1). Docebant autem catechistæ in exedris Ecclesiæ (2); magnaque erat in catechumenis instituendis eorum cura, et diligentia; quasi qui formarent animos teneros puerorum, qui primum imbuuntur iis, quæ cognitu facilia sunt, ut ad graviora, et difficiliora paratior accedant. Quare primum veritates simplices, et apertas proponebant, officiaque explicabant vitæ christianæ (3); sed de mysteriis Religionis, ac ritibus sacramentorum nullum faciebant verbum, antequam proxime abesset Baptismi suscipiendi tempus; qua in re catechumeni pares erant ceteris profanis, qui mysteria nostra ignorabant. Atque hæc celebris est arcana disciplina, quam ab ipso Christo, et Apostolis acceptam, diu Christiani retinuerunt (4), quæque demum sua veluti sponte desiit, postquam ethnica superstitio fere ubique extincta, et sublata fuit (5).

(1) Episcopum catechistæ officio functum, testatur S. Ambrosius Ep. 20 col. 901 n. 4 l. 5, ac Theodorus Lector Collectan. lib. 2 in Biblioth. PP. tit. 26 p. 86 ed. Lugdun. Presbyterum, constat ex Chrysostomo Cateches. ad illuminandos opp. t. 2 p. 225 cit. ed. Paris. quam ipse habuit, cum esset Presbyter Antiochiæ; Diaconum, ostendit Augustinus de Catechiz. rudib. c. 1 col. 265 opp. t. 6 ed. Maur. Ven. cit. Lectorem, Cyprianus Ep. 24 p. 55 ed. Rigaltii Paris. 1666. Neque majorem ordinem in Ecclesia habuisse videtur Origenes, quem Eusebius Hist. lib. 6 c. 5 p. 260 ed. Cantabrig. 1720, et S. Hieronymus de Vir. illustr. in Origene c. 54 opp. t. 2 col. 374 ed. Veron. cit., Catechistam Alexandriæ fuisse narrat, cum decem atque octo annos natus esset. De laico vide Auctorem Const. Apost. lib. 8 cap. 52 apud Cotelerium pag. 418 ed. indic.

(2) S. Ambrosius Ep. 20 ad Marcellinam n. 4 col. 901 ed. Ven. cit. t. 3 se competentibus in Baptisterio symbolum tradidisse scribit. Erant autem, ut plurimum, distincta, sed ecclesiæ conjuncta ædificia, in quibus catechumeni instituabantur, quæque *catechumenia*, sive *catechumenorum mansiones* dicuntur à Leone Novell. 75, atque à Concilio Trullano Can. 97 apud Labbæum t. 7 col. 1590 ed. Ven. et Balsamone, ac Zonara in eum Can. apud Beveregium Pandect. Canon. t. 4 p. 275 ed. Oxonii 1672. Cum Episcopus, aut Presbyter catecheses habebant, eas habebant etiam in Ecclesia, ceteri extra eam; atque hinc Demetrius Alexandrinus graviter reprehendit Alexandrum Episcopum Hierosolymitanum, et Theoceritum Episcopum Casareensem, quod Origeni, cum nondum esset Presbyter, publice in Ecclesia concionandi facultatem dedissent. Confer Valesium in Euseb. lib. 6 c. 19 p. 285 n. 5 ed. Cantabr. 1720. Multa de catechesibus habes Diss. 2 in S. Cyril. Hieros. c. 4 et 5.

(3) S. Augustinus singulari libro, quem scripsit, de Catechizandis rudibus, et ejus veluti summam edidit Alcuinus Epist. 7 ad Carolum M. p. 1487 ed.

Paris. 1617, ritus tradit in Catechumenorum institutione servandos. Consule Chardonium Hist. sacram. lib. 1 cap. 3.

(4) Arcani disciplinam ab ipsa Christi, et Apostolorum memoria repetunt Antonius Pagius in Baron. ad an. 118 n. 4 et seq. p. 95 t. 2 ed. Lucae, Chardonius Hist. sacram. lib. 1 c. 2., Emmanuel Schelestratus, qui peculiari dissertatione de *Disciplina arcana*, egregie, præter ceteros, materiam hanc illustravit. Huc sane spectat illud Christi, qui cum à discipulis interrogatus fuisset, quamobrem Judæos parabolis alloqueretur, respondit apud Matthæum XIII. *11 quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum; illis autem non est datum*; et huc similiter ea verba ipsius Christi ad Apostolos Matth. VII. 6.  *nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*, quemadmodum verba ipsa interpretantur Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 1 p. 548 cap. 12 t. 1 ed. Oxonii 1715 Tertullianus de Præscr. advers. hæret. c. 41 p. 217 ed. Rigaltii Paris. 1675, Chrysostomus de Compunct. lib. 1 cap. 6 opp. t. 1 p. 131, et Homil. 22 in Matth. n. 5 p. 287 t. 7 ed. Paris. cit. Quod à Christo acceperant, Apostolos, atque Ecclesiæ Patres fecisse, manifestum est. Nam Apostoli in orationibus ad Judæos, atque Ethnicos nullum de abditis fidei mysteriis verbum habent Act. II. IV. X. XVII. nominatim autem Paulum Christi legem observasse, tradit Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 5 c. 10 p. 685 t. 2 ed. cit. ex eo Pauli verbo: *ut aliquid impartiar vobis gratiæ spiritualis*, itemque ex eo: *sapientiam loquimur inter perfectos*. Apostolorum exemplo Ecclesiæ Patres reticentiæ legem, arcaneque disciplinam servasse diligenter, constat ex Tertulliano l. c. Cyrillo Hierosolymitano Catech. 6 n. 29 pag. 106 ed. Paris. cit. Nazianzeno Orat. 40 de Bapt. p. 647 t. 1 opp. ed. Paris. cit. Chrysostomo Hom. 46 in act. c. 5 opp. t. 9 pag. 349 ed. indic. Cyrillo Alexandrin. Adv. Julian. lib. 7 p. 245 opp. Jul. ed. Lipsiæ 1696. Ambrosio offic. lib. 1 c. 50 n. 260 opp. t. 5 col. 79 edic. indic. Augustino in Psalm. 109. num. 17 opp. t. 4 col. 1241 ed. indic. Innocentio I. Ep. 25. ad Decent. apud Constantium Ep. Rom. Pont. col. 859. Quod etiam confirmat reprehensio illa Ethnicorum adversus Christianos, quod clandestina esset eorum doctrina, et confirmat id, quod Athanasii ætate ab Ariani factum est. Illi enim, ut sibi Ethnicorum patrocinium adsciscerent, fracta arcana lege, rem totam patefacere non dubitarunt, tum editis tractatibus, quibus Trinitatis mysterium explicabatur, tum etiam Ethnicis in Ecclesiam admissis, ubi magis abditæ, et secreta perspicerent. Hinc Athanasius Apol. contr. Arian. p. 118 n. 51 t. 1 opp. ed. Maur. Patav. 1777. queritur de *Prefecto Ægypti Philagrio, apostata, ethnicisque militibus admissis ad ea disquirenda, quæ ne catechumenos quidem conspiciere licuit. Sacra mysteria ab Ethnicis directæ, et in terram projectæ* in ordinatione Gregorii Alexandrini contra Athanasium, memorat Epistola I. Julii P. ad Eusebianos apud Constantium Epist. Roman. Pont. col. 578. *Profanos sanctorum, id est fidelium, iudices, et novam, ac inusitatam mixtionem, mysticas nempe quæstiones spectante vulgo tractatas*, dolet Gregorius Nazianzenus in Orat. 21 de Laud. Athanasii n. 50 p. 587 opp. t. 1 ed. Colon. 1690; ex quo magnam tum catechumenorum, tum ethnicorum fuisse offensionem, constat ex Athanasio de Synodis n. 2 opp. t. 1 par. 2 p. 573 ed. Patav. 1777. Ex quibus intelligimus, cur in publicis Patrum concionibus, præsertim eum de sacramentis agitur, frequenter occurrat ea formula: *norunt initiati, norunt fideles, quod dicitur*; atque etiam intelligimus, quanta sit ad Religionem tuendam necessitas traditionis, per quam multa acceperimus, quæ, ne profanis paterent, Ecclesiæ Patres literis consignare noluerunt. Hæretici Scriptores Dallæus, de Scriptis Ignat.

lib. 1 c. 22, et Binghamus Orig. lib. 10 c. 5 §. 3 t. 4 p. 123 seq. ed. Hala Magdeb. 1755, hanc disciplinam Apostolis ignotam, multoque serius in Ecclesiam inductam putant. Sed eos refellunt, quæ de Christo, et Apostolis memoriæ sunt prodita; refellit Basilius, de Spiritu S. cap. 27 pag. 55 t. 3 opp. ed. cit., qui eam disciplinam ab Apostolis, atque antiquis Patribus servatam tradit; refellit Tertullianus l. c., qui eam repetit à Christi præcepto; *nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*.

(5) Confer Pagium in Baronium ad an. 120 n. 4 et seq. p. 95 et seq. ed. Lucae 1758 t. 2.

33. Cum satis erant probati, et satis in re christiana eruditi (1), appropinquante solemnī die (2), catechumeni baptismum petebant; et ideo sua dabant nomina (3), per quæ sese quasi candidatos baptismi declarabant. Ergo accipiebant Symbolum, et orationem dominicam (4); sua confitebantur crimina (5), agebant pœnitentiam (6), manuum impositioni, exorcismis, exsufflationibus (7), precibus subjiciebantur; atque etiam sal benedictus in eorum os inserebatur (8). Baptismum etiam antecederant lotiones duæ, altera capitis, altera pedum (9); præterea caput catechumeni sacro oleo ungebatur (10). Sed Ecclesia in primis curabat, ut qui baptismum petebant, tanto munere essent digni; et ideo post data à competentibus nomina, plura adhibebat scrutinia, per quæ eorum corda scrutabatur, videbaturque, *quanta vigilantia convenirent, quo studio serverent, qua cura penderent* (11).

(1) De tempore catechumenatus non una, atque eadem semper fuit Ecclesiæ disciplina. Synodus Eliberitana Can. 42 apud Labbæum t. 1 col. 497 ed. Ven., et Justin. Novel. 144 cap. 2 apud Dionysium Gothofredum, biennium; Auctor Const. Apostolic. lib. 3 cap. 52 p. 418 t. 1 apud Cotelerium l. ind., et Nicæni Patres can. 14 c. 2 col. 39 apud citatum Labbæum, triennium constituunt. Synodus Agathensis can. 54 t. 5 col. 527, menses octo Judæis, Synodus Eliberitana, can. 4 col. 992 loco mox citato, annos tres Flaminiis præscribit. Si quis in catechumenatu peccaret, tempus producebatur, ac de superiore ad inferiorem gradum catechumenus dejiciebatur, et cum in imo eral gradu, extrudebatur; concilium Neocæsareense can. 5 t. 1 col. 1514 apud eundem Labbæum. Interdum tempus ipsum contrahebatur, cum id justa aliqua causa postulabat; atque ita S. Gregorius M. lib. 8 ep. 25 col. 912 t. 2 ed. Paris. cit. cuidam Episcopo permisit, ut Judæos in Agro Agrigentino baptizari cupientes, post indictum quadraginta dierum jejunium, baptismo donaret.

(2) Solemnis Baptismi tempus erat olim Pascha, et Pentecostes. Tertullianus de Baptisma. cap. 49 p. 252 ed. Paris. 1675, Sircus ep. 1 ad Himer. Tarracon cap. 2 apud Constantium l. c. col. 626, Leo M. ep. 16 ad Episc. Sicil. c. 5 p. 80 opp. t. 2 ed. Rom. 1755, Gelasius Dec. c. 10 apud Pithæum Cod. can. p. 266 Paris. 1687. Postea dies Natalis Christi, aliique festi dies accesserunt. Græci etiam die Epiphaniæ, Galli quinque quotannis diebus, Hispani etiam diebus festis Apostolorum, ac Martyrum solemnem bap-

tismum conferre consueverunt. Quæ omnia, pluribus collectis antiquis monumentis, accurate explicat Martenius de antiq. eccles. rit. lib. 1 cap. 1 art. 1 t. 1 p. 1 ed. Antwerp. seu Ven. 1763. Verum non hoc ita intelligendum est, quasi non omni die baptismum conferre liceret, præsertim cum id iusta aliqua causa postularet. Augustinus serm. 210 n. 2 col. 927 t. 5 opp. ed. Maur. Ven. 1751, et Siricius P. cit. ep. 1 ad Himer. Tarrac. cap. 2 col. 627 ep. 10 ad Gal. Episc. cap. 4 col. 692. apud eundem Constantium. — V. Syn. Gerund. can. 4, Bracar. II can. 9; Tolet. XVII, can. 2; And. Albalat. Constit. Synod. an. 1225, Const. de forma Baptismi.

(3) Semper ante baptismum, sed non uno ubique tempore, catechumeni sua dabant nomina. Novum sumentur ethnicum nomen; Christianorum liberi ante baptismum nullum, ut plurimum, habebant, ac si haberent, plerumque mutabant. Socrates Hist. lib. 7 c. 21 p. 563 ed. Cantabrig. cit., Gregorius Turonensis Hist. Franc. lib. 8 c. 22 col. 395 et Vit. Patr. c. 8 n. 1 col. 1184 ed. cit., Baronius ad an. 259 n. 41 p. 69 col. 1584 t. 3 ed. Lucæ. Consule Concilium Carthaginense IV. can. 85 apud Labbæum t. 2 col. 1444 ed. Ven. S. Gregorium Nyssenum in Orat. advers. eos qui differunt baptismum p. 956 t. 1 opp. ed. Par. cit. S. Cyrillum Hierosolymitanum Catech. 1 p. 18 n. 4 ed. cit., S. Augustinum Confess. lib. 9 cap. 6 col. 162 t. 1 ed. Ven. cit.

(4) Generatim definiti non potest, qua die competentibus symbolum traderetur, cum in ecclesiis quibusdam id fieret Dominica Palmarum, in aliis feria quarta post quartam Dominicam Quadragesimæ, in aliis denique aliis ante Pascha diebus; quin alii semel, alii bis, ter alii symbolum tradebant, sicuti observat Martenius l. c. art. 11 §. 10 et seq. pag. 25. Antequam symbolum traderet Episcopus, aliquem ab eo tractatum habitum fuisse, indicat non obscure S. Ambrosius Ep. 20 n. 4 col. 901 opp. t. 5 ed. Maurin. Ven. 1751. Dominica quoque oratio tradebatur, ut patet ex S. Augustino Serm. 58 col. 557 opp. t. 5 ed. Ven. indic., et in Romana quidem Ecclesia eadem die Symbolum, ac Dominica oratio tradebatur.

(N. S. Syn. Brac. 11, can. 1 præcepit ut 20 ante Baptismum diebus catechumeni Symbolum specialiter docerentur.)

(5) Tertullianus de Baptism. cap. 20 p. 252 ed. Paris. 1776. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 40 de Baptis. n. 26 opp. t. 1 p. 657 ed. Colonæ 1690., S. Cyrillus Hierosol. Catech. 1 p. 18 n. 5 ed. Paris. cit. Eusebius de Vit. Constant. lib. 4 cap. 61 p. 661 ed. Valesii Cantabrig. 1720. Non erat tamen hæc confessio ad baptismum necessaria, sed eam catechumeni emittebant, ut antiquam vitam in scrutinii exponentes, quærent, quid deserere, quid sequi, et quod vitæ institutum amplecti deberent, ut se vere christianos ostenderent. Hujus confessionis rationem non obscure indicat antiquus Auctor Serm. in Psalm. 41 ad Neofitos in append. t. 6 opp. Augustini col. 287 ed. ind. cum de catechumenis dicit hæc: *per omnem Quadragesimam vacaverunt orationi, atque jejuniis, in sacco, et cinere dormierunt, futuram vitam peccatorum suorum confessione quærentes.*

(6) Consule Martenium l. c. art. 40 n. 10 p. 28., ubi multa ea de re testimonia colliguntur. Ab hac penitentia solos parvulos immunes fuisse, docet Augustinus Serm. 551. c. 2 col. 1551; ac Serm. 552 c. 1 col. 1565 opp. t. 5 p. 2, ed. Ven. cit., negat ad baptismum Christi, in quo omnia peccata delentur, quemquam bene accedere, nisi agendo penitentiam de vita pristina. Ejus autem institutionem quidam repetunt à Petri præcepto, uti constat ex epistola Herivei Rheimensis ad Wittonem Rothomagensem c. 6 Biblioth. PP. t. 17 p. 248 ed. Lugdun., ubi Clodovæum aliquot ante baptismum diebus commoratum tradit, ut penitentiam, secundum Apostolicum præcep-

tum, prius ablueretur lacrimis, accente E. Petro, Principe Apostolorum: *penitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Auctor Recognitionum lib. 3 c. 67, et lib. 7 c. 56 p. 557 et 561, apud Cotelerium PP. Apostoli. t. 1 ed. ind., jejunium memorat, cui baptismum suscipi vacare debebant; et hujus quidem jejunii mentio etiam est apud Justinum M. Apol. 1 n. 61 p. 79 ed. Maurin. Paris. 1742, in Concilio Carthaginensi IV. can. 85, col. 1444 t. 2 collect. Labbæi, apud Tertullianum de Baptis. c. 20 p. 252 ed. Ven., S. Augustinum de Fid. et oper. c. 6 col. 169 opp. t. 6 ed. Maurin. Ven. 1751, ubi et cetera, quæ Catechumenos præstare oportebat, describuntur.

(7) S. Augustinus l. mox. c. Apud Latinos exsufflationes in faciem catechumeni fiebant, uti constat ex Libris Ritualibus; apud Græcos etiam in aures, Concilium Constantinopolitanum I. can. 7 apud Labbæum t. 2 col. 1129.

(N. S. Syn. Brac. II can. 1, sanxit, ut ante 20 dies Baptismi, ad purificationem exorcismi catechumeni currant.)

(8) S. Augustinus Confess. lib. 1 c. 11 col. 75 opp. t. 1 ed. Maurin. Ven. cit. quem salem Augustinus, de Baptism. cont. Donatist. l. 4 c. 21 col. 153 t. 9, et de Peccat. merit. l. 2 c. 26 col. 62 t. 10, sacramentum catechumenorum appellat. In can. 65 de Consecr. dist. 4 dicitur *Sal cælestis sapientiæ.* Vide etiam Concilium Carthaginense III. can. 5, ibique Albaspinaum in Not. p. 226 opp. var. ed. Neap. 1770.

(9) Capitis lotio die Dominica Palmarum absoluebatur; ideo hic dies in antiquo Ordine Romano Capitolavium dicitur, Isidorus Etymol. 1. 6 c. 18 et de Eccles. offic. lib. 1 c. 27 p. 80 et 589 ed. Paris. 1601, Rabanus de Institut. Cleric. l. 2 c. 55 opp. t. 6 p. 25 ed. Colon. 1626. Pedum lotionis, præter ceteros, mentio est apud Augustinum Ep. 54 ad Januar. n. 10 opp. t. 2 col. 127 ed. Ven. cit., et Ambrosium de Sacram. l. 3 c. 1 n. 4 t. 3 col. 455 ed. ind.; eaque feria v. in Cæna Domini peragebatur. In quibusdam tamen locis post baptismum hanc lotionem fieri consuevisse, monet Chardonius Hist. sacram. l. 4 c. 18.

(10) Uctionem hanc capitis, quæ baptismum anteibat, quæque alia erat ab unctione verticali, quæ illum sequebatur, memorant Auctor Recognit. lib. 3 cap. 67 apud Cotelerium PP. Apostol. t. 1 p. 557 ed. ind., Ambrosius de Sacram. l. 1 c. 2 opp. t. 5 col. 440 ed. Ven. cit., Cyrillus Catech. 2 Mystag. c. 5 p. 517 ed. Par. cit., Chrysostomus Hom. 6 in Ep. ad Collos. opp. tom. 11 col. 569 ed. cit., Siricius P. Ep. 40 n. 11 apud Constantium Ep. Rom. Pont. col. 695. Ungebatur autem initio in Ecclesia Latina tantum caput, deinde etiam inter humeros, ac supra pectus unctio fieri cæpit. Græci totum corpus ungebant, uti ostendit Auctor Eccles. Hierach. c. 2 §. 7 p. 255 ed. Antwerp. 1654. Oleum, quo baptizatus ungebatur, *unquentum* vocant, ac distinguunt ab oleo, quod ante baptismum adhibebatur, Auctor Constit. Apostol. l. 7 c. 22 apud Cotelerium l. c. p. 371, et Auctor, qui Justinum nomine scripsit Resp. ad Orthodox. q. 157 p. 501 in append. opp. Justin. ed. Paris. 1742.

(11) S. Augustinus de Fid. et oper. c. 6 col. 169 t. 6; atque hinc ipse Augustinus de Symbol. l. 2 c. 1 col. 555 d. t. 6 scrutinium examen appellat. Theodulphus de Ord. baptism. cap. 8 in Biblioth. PP. t. 14 p. 10. ed. Lugdun. *Hunc enim morem, inquit, Ecclesia servare consuevit, ut per aliquot dierum spatium hi, qui in solemnitate paschali baptizandi sunt, scrutentur, ut instructi, et docti, et simplici corde ad fidem veram venientibus vitæ sacramenta impertiantur.* Plura ante baptismum scrutinia adhibebantur, de quibus late agit Martenius l. c. art. 11 p. 29. S. Zen. l. 2 tract. 27 p. 255 opp. t. 1 ed. Aug. Vindel. 1758, memorat *legitimum examen*, aut scrutini-

*numerum*, quibus verbis intelliguntur septem scrutinia, quæ fiebant, antequam competentes baptismo donarentur. De his Amalarius Archiepiscopus Trevirensis, seu potius Alcuinus in Epist. ad Carolum M. c. 12 apud Canisium Thesaur. monument. Eccles. t. 2 par. 1. p. 545 ed. Antwerp. 1725 habet hæc: *scrutinium finitur sabbato ante Pascha. Ipso die facimus scrutinium septimum, sicut in Romano Ordine invenimus scriptum.*

31. Solemni adveniente die, catechumeni ad Baptisterium adducebantur (1), qui locus, ut plurimum, erat ab ecclesia distinctus, ac separatus (2); atque ibi tria maxime præstabant, antequam baptismum acciperent. Scilicet renuntiabant Satanæ, pompisque, et operibus ejus (3), quam renunciationem ter emittebant conversi ad Occidentem (4), atque in Satanam tamquam præsentem exsufflabant, et expuebant, aliasque edebant aversantis animi significationes (5). Deinde versa ad Orientem facie (6), sese adscribebant Christo, cui deinceps perpetuo servire promittebant (7). Denique manibus, oculisque ad cælum sublatis, fidem profitebantur, secundum verba Symboli, quod baptismum accepturi ter solemniter repetebant (8).

(1) Initio baptismum nullo certo loco datum, ostendit exemplum Eunuchi, quem Philippus Diaconus in via, et custodis carceris, quem Paulus domi suæ baptizavit. Tertullianus de Baptism. c. 4 p. 225 ed. Rigaltii Paris. 1675, et Auctor Recognitionum sub nomine S. Clementis Romani l. 4 c. 52, et l. 6 c. 15 apud Cotelerium PP. Apostol. p. 546 et 558 t. 1 ed. ind. multos in fluminibus, stagnis, fontibus baptizatos memorant. Constantinus in memoriam Christi Servatoris baptismum in Jordane accipere vehementer cupiebat, uti narrat Eusebius de Vit. Constantin. l. 4 c. 62 p. 662, ac Theodoretus Histor. l. 1 c. 52 p. 64 ed. Cantabrig. 1720. Plures in loco Bethabaræ, ubi Joannes baptizabat, trans Jordanem baptizari voluisse, tradit S. Hieronymus de Loc. hebr. col. 482 t. 5 ed. Vallarsii cit. Sed deinceps pace Ecclesiæ reddita, constituta sunt baptisteria, quæ erant sacræ ædes juxta Ecclesiam, in quibus unicuique tribueretur baptismus, nisi qua necessitas facere secus cogeret. Justinianus, Novel. 58, priscis legibus sancitum, inquit, ut nemini liceat, quæ sacratissima sunt, domi agere; et Concilium Constantinopolitanum sub Menna Act. 1 col. 1194 et 1206 t. 2 collect. Harduini ed. Paris., Zonaram Monachum reprehendit, quod domi baptismum administrasset. Hujusmodi baptismi domi collati, antiquis conciliis improbantur. Novo jure cautum est, ut in cathedralibus, et parochialibus Ecclesiis tantum extet fons baptismalis, ut à suo quisque Parocho in Ecclesia baptizetur, nisi aliud postulet vel necessitas, vel magna dignitas ejus, qui baptismum suscipere debet: Clem. unic. de Baptismo, Rituale Romanum de Baptismo.

(N. S. V. Jo. ab Aragonia in Syn. Tarracon. in Compilat. Jo. Teres Lib. 5 Tit. 24 cap. 7; Synod. Dertus. Cap. 8; et Valent. an. 1565 Sessione 2 Tit. 2 cap. 5, cujus verba sine piaculo præterire non licet: Præcipit Synodus, ne in privatis domibus, sed in Ecclesia tantum (Baptismus) conferatur; et ut omnis scandali tollatur occasio, etiam sub pœna excommunicationis, et dimidi aurei, jubet, ne aliquid in ejus collatione exigatur. Id quod jam pridem interdixerat Synod. Illiberit. Can. 48.)

(2) Consule Martenium l. c. art. 2 pag. 5.  
 (3) Auctor Constit. Apostol. l. 7 c. 41 apud Cotelerium l. ind. p. 585 describit formulam, qua catechumenus renuntiabat Satanæ, et operibus ejus, et angelis ejus, et inventis ejus, ac omnibus, quæ sub eo sunt. Ejusdem formulæ sententiam habent Hieronymus in Matth. l. 1 c. 5 opp. t. 7 col. 28 ed. Vallarsii Veron. 1757, Tertullianus de Speet. c. 4 p. 74 ed. Paris. cit. ed. Cyprianus Ep. 6 p. 16 ind. ed. Paris. Ambrosius de Myster. c. 2 n. 7 opp. t. 3 col. 409 ed. ind. Interdum etiam spectacula in hac renuntiandi formula diserte memorantur, ut in illa Salviani de Gubernat. Dei l. 6 n. 6 p. 121 ed. Pedeponti 1745: *Abrenuntio diabolo, pompis, spectaculis, et operibus ejus.* Atque hujus quidem renuntiationis usum tam vetustum facit Basilius de Spiritu S. c. 27 n. 66 p. 55 ed. Paris. 1750, ut ejus originem ab Apostolica traditione repetat.

(4) Occidentem spectare idem erat atque ipsum spectare Satanam, qui princeps dicitur tenebrarum, ut inquit Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 1 mystag. p. 307 num. 4 ed. cit. Trina erat renuntiatio, uti testatur Auctor de Eccl. hierarch. c. 2 §. 5 et seq. p. 252 et seq. t. 1 ed. Antwerpæ 1634. Hujus autem trina renuntiationis mysteria explicat Viecomes de Rit. baptism. l. 2 cap. 20.

(5) Vide Auctorem de Hierarch. Eccl. l. c. Hæc autem renuntiatio in porticu, seu vestibulo emittebatur. Nam baptisteria duo, ut plurimum, habebant distincta conclavia, porticum, aut vestibulum, in quo catechumeni Satanæ renuntiabant, fidemque profitebantur; atque interiorem domum, in qua baptismi cæremonia peragebatur.

(6) In mysteriis, inquit S. Hieronymus in Amos l. 5 c. 6 col. 522. opp. t. 6 ed. Vallarsii Veronæ 1756. *renuntiamus ei, qui in occidente est, nobisque moritur cum peccatis; et sic versi ad orientem, pactum inimicus cum sole justitiæ, et ei servituros nos esse promittimus.* Eadem habet S. Ambrosius l. mox ind.

(7) Sponsionem, qua catechumenus Christo perpetuo servire promittebat, *promissum, pactum, et votum* à Latinis appellatur. Formulam tradit Auctor Constit. Apost. cit. c. 41: *Post renuntiationem vero, dum adscribit se, dicat: et adscribor Christo, et credo, et baptizor.* Similem habet Chrysostomus Hom. 6 in Ep. ad Coloss. n. 4 opp. t. 11 p. 569 ed. Paris. Augustini ætate quidam fuerunt, qui fidei in Christum, non vero universalis obedientiæ professionem emittere parati erant: et tamen baptismum petere non dubitabant. Contra hos ipse Augustinus scripsit egregium librum de Fide, et operibus, quo Christiano homini tum fidem, tum bona opera necessaria esse demonstravit.

(8) Pluries quidem catechumeni traditum symbolum reddere debebant; sed cum instaret baptismus, ter, ac solemniter, et coram multis testibus, manibusque, et oculis ad cælum sublatis, fidei professionem emittebant, et rogati respondebant. Cyrillus Alexandrinus l. 12 in Joan. c. 21 p. 4119 ed. Paris. 1658, Auctor Eccles. hierarch. c. 2 p. 258 t. 1 ed. Antwerp. cit., Leo M. serm. 25 in Nativ. Dom. 4 c. 6 p. 54 t. 1 ed. Romæ 1755, Augustinus de Fid. et oper. c. 9, col. 472 opp. t. 6 ind. ed. Ambrosius de Spiritu S. l. 2 c. 10 col. 70 opp. t. 4 ed. ind. Narrat autem Augustinus Confess. l. 8 c. 2 col. 446 t. 1. Romæ ex edito loco in conspectu populi, nisi nimia catechumeni verecundia obstaret, hanc fidei professionem emitti consuevisse.

35. Baptizati in vertice ungebantur (1), tum albis indue-  
 Томо II. 4

bantur vestibus (2), eorum capiti mysticum velamen, et corona imponebatur (3), usque tradebantur cereæ faces (4), ac porro dabatur Confirmatio, et Eucharistia (5), postremo lac, et mel benedictum; ad infantiae significationem (6). Nunc non omnes, qui olim in usu erant, ritus, et caeremoniae ab Ecclesia retinentur. Dessit sollemnis illa catechesis, et antiqui desierunt gradus catechumenatus: sed nunc etiam adulti, antequam baptismum suscipiant, in fide, et bonis operibus instituendi sunt; ne rudes, et ignari, ac minus recte probati sanctissimam Religionem amplectantur.

(1) Innocentius I. ep. 25 ad Decent. Eugub. Episc. c. 3 col. 358 apud Constantium ep. Roman. Pontific., Ambrosius de Sacram. l. 2 c. 7 n. 14 col. 455 opp. t. 5 ind. ed., Isidorus de Offic. eccles. l. 2. c. 25 et 26 p. 615 et 614 ed. Paris. 1601. Hujus unctionis originem à Silvestro P. repetunt Amalarius de Eccl. offic. l. 1 c. 27 in Bibliot. PP. t. 14 p. 957 ed. Lugdun., Walfridus de reb. eccl. c. 29 p. 690 t. 10 in Bibl. PP. Paris. 1624, Rabanus de instit. cler. l. 1 c. 23 t. 6 p. 9 ed. Colon. 1626, ex quo colligit Hugo Menardus in not. ad l. Sacram. S. Gregorii M. not. 554 col. 485 opp. t. 5. ed. cit., scriptores omnes Silvestro antiquiores, qui unctionem memorant, de sacramento confirmationis intelligendos esse. Multi tamen vetustissimam quidem hanc unctionem faciunt, sed negant, ullo certo monumento confici posse, eam à Silvestro fuisse institutam. Illud inter omnes constat, quod hæc verticalis unctio sacro chrismate peragebatur, eaque diversa erat ab unctione frontis, hoc est, à sacramento confirmationis. Illam Sacerdoti permittit, hanc vero uni Episcopo servat Innocentius I. in ep. ad Decent. Eugubin. c. 3 col. 358 apud Constantium. Atque ad hanc frontis unctionem pertinet Auctor constit. Apostol. l. 5 c. 16 apud Cotelierum laud. l. p. 291. V. Syn. Vallisolet. cap. 16. Verisimile autem est, verticalis unctionis ministrum alium fuisse à ministro baptismi, cum unus sacerdos tantam illam hominum multitudinem baptizare, ac simul ungere non posset. Ante unctionem Sacerdos baptizato osculum dabat, quem ritum memorat S. Cyprianus ep. 59 ad Fidum p. 95 ed. Rigaltii Paris. 1666, et S. Jo. Chrysostomus de util. legen. Scriptur. opp. t. 5 c. 6 p. 81 c. ed. Paris.

(2) S. Augustinus serm. 225 qui 5 est in vigil. Paschi. col. 936. t. 1 et ep. 54 n. 2 opp. t. 2 col. 61 ed. Maurin. cit., S. Ambrosius de Myster. c. 7 d. 54 col. 417 opp. t. 5 ed. ind., Eusebius in Vit. Constant. l. 4. c. 62 p. 662 ed. c., S. Gregorius M. in Sacram. opp. t. 5 col. 75, ibiq. Menardus in not. col. 556 ed. ind. Gerebantur eæ vestes per dies octo; quo factum, ut dominica post pascha dominica in albis diceretur, quoniam usque ad eam diem baptizati vestes albas gerebant. Usurpatur hodie etiam ritus albæ vestis, sed ea neophyti eodem tempore induuntur, atque exiuntur. Infantibus, qui vestitu non utuntur, album sudarium datur. Catechismus Romanus par. 2 c. 2 §. 75.

(3) S. Jo. Chrysostomus Catech. 1 ad illumin. opp. t. 2 n. 1 p. 226 cit. ed. Paris., Theodulphus Aurelianensis de ordin. Baptism. c. 46 p. 15 t. 14 Biblioth. PP. ed. Lugdun., Rabanus de instit. cler. l. 1 c. 29 t. 6 p. 40 ed. Colon. 1620. In ecclesiis quibusdam etiam lotio pedum adhibebatur, de qua vide Martenium l. c. art. 45 n. 8 p. 54.

(4) S. Gregorius Nazianzenus Orat. de Baptism. 40 p. 672 ed. Colon. 1690, S. Ambrosius de Lapsu virgin. consecr. c. 5 col. 586 n. 19. t. 3 ed. c., S. Gregorius Turonensis Ilist. Franc. l. 5. c. 11 p. 245 ed. Paris. 1669. Dabantur autem catechumenis extineti cerei, quos ipsi deinceps in fine Litaniarum accendebant. Nunc baptizatis datur cereus ardens, de quo vide Catechismus Romanum l. c. n. 74.

(5) Confer Martenium l. c. n. 11 et sep. p. 55.

(6) S. Hieronymus in Isaiam c. 55 col. 644 opp. t. 4 ed. Vallarsii Veron. 1755, lac tantum, non item mel nominat; quamquam in Dialog. contr. Luciferian. n. 8. t. 2 col. 180 utrumque memorat: *multa alia, inquit, quæ per traditionem in ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egressos lactis, et mellis prægustare concordiam, ad infantiae significationem.* Quæ verba lactis, et mellis concordiam evidenter ostendunt, non lac, et mel distincte, sed mel cum lacte commixtum, catechumenis dari consuevisse. Similiter et Tertullianus de Coron. milit. c. 5 p. 102 et Advers. Marcion. l. 1. c. 14 p. 572 ed. Paris. 1675. *lactis, et mellis concordiam, ac societatem* vocat; atque hinc in Libris Ritualibus una extat mellis, et lactis benedictio, et una item utriusque tradendi formula. Lac etiam una cum vino baptizatis in occidente tributum, ostendit Hieronymus in Isaiam c. 55 col. 644 cit. t. 4. Ceterum quamquam Ethnicis etiam vix natos pueros lacte, et melle enutrient, quod ex pluribus antiquis Scriptoribus manifestum est, ut videri potest apud Cotelierum in epistola Barnabæ c. 5 adnot. 52 p. 29 t. 1 ed. Amstelæd. 1724, non tamen ex his consuetudinem illam suam Christiani arripuisse videntur, sed ex veteri Testamento, ubi reprofissionis terra lacte, et melle sæpe recipitur, *cujus iter (baptizati) inchoantes, tanquam parvuli, lacte nutriuntur, et melle*, ut inquit Joannes Diaconus in Ep. ad Senarium t. 1 Musci Ital. p. 75.

36. Plures hodie etiam, antequam suscipiatur, cum item suscipitur, cum denique susceptus est baptismus, adhibentur caeremoniæ, quæ in libris Ritualibus, atque in Catechismo Romano (1) describuntur. In primis autem baptizandus ter Satanæ abrenunciat, fideique professionem emittit, tum in baptismo nomen accipit, quod Parochus una cum ceteris baptizatorum nominibus peculiari libro describit (2). Dum datur baptismus, adstant *Patres*, hoc est *Sponsors*, aut *Fidejussores*, qui pro baptizato spondent, ac fidejudent, unde eorum nomen ductum est (3). In antiquis monumentis sæpe etiam vocantur *susceptores*, quod ex aqua prodeuntes susciperent. Eorum est baptizandos ministris offerre, eosque ex sacro fonte suscipere, pro infantibus ministro interroganti respondeere, adultos edocere, quid ministro respondere ipsi debeant, curam gerere eorum, quos susceperunt, atque ipsos in re christiana erudire (4).

(1) Par. 2 c. 2 §. 60 et seq.

(2) Nomen sumendum est *ab aliquo, qui propter excellentem animæ pietatem, et religionem, in Sanctorum numerum relatus est*, inquit Cate-

chismus Romanus. l. c. §. 75, rejiciendaque sunt falsarum religionum, idolorumque nomina. Confer Benedictum XIV Const. Omnium sollicitudinum 107 §. 3 et 14 ejus Bullar. t. 1 p. 245 et 248 ed. Rom. seu Ven. 1754. Describitur hoc nomen una cum natali die, ac nominibus parentum, et patrinorum in libro, quem unusquisque parochus habere debet. Rituale Romanum tit. de Baptism.

(5) Patrinorum, seu Sponsorum origo ab ipsis fere Ecclesie incunabulis repetenda est, uti monet Martenius de Antiq. Eccles. rit. l. 1 cap. 1 art. 16 n. 11 t. 1 p. 59 ed. Antwerp. seu Ven. Eorum meminere Tertullianus de Baptism. c. 18 p. 251 ed. Ven. 1744; Auctor Respons. ad Orthodox. q. 56 inter opp. S. Justini M. p. 460 ed. Paris. 1742 Auctor Eccles. hierarch. c. 2 §. 2. t. 1 p. 168 ed. Ven. 1755, Auctor Apostol. Const. l. 5 c. 16 apud Cotelierium PP. Apostol. p. 201 t. 1. ed. Amstelad. 1724, S. Augustinus multis in locis, aliisque complures.

(4) Officia sponsorum describit Augustinus, sed potius Auctor Serm. nis 168 n. 5 in append. t. 5 opp. Augustini col. 295 indic. ed. Ven. et Hildesonsus Adnot. de ordin. Baptism. c. 114 apud Baluzium Miscell. sacr. t. 2, p. 54 ed. Lucæ 1761. Quod infantes per se ipsos non possent, pro iis sponsos respondere voluit Ecclesia: Cyrillus Alexand. in Joan. c. 11. vers. 28 opp. t. 4 p. 685 ed. Paris 1658, Auctor Serm. 267 n. 5 col. 441 in append. t. 5 opp. August. ind. ed. Maurin. Ven. Adultis etiam morbo impeditis vocem suam commodare, inquit Cyrillus Alexand. l. c. Verum pro ipsis etiam adultis, qui per se respondere poterant, sponsos adhiberi voluit Ecclesia; sed ipsi tamen respondere debent. Augustinus de Baptism. l. 4 c. 24, col. 141 t. 9 ed. ind. Primum exemplum sponsorum, qui his adultis dati sint, præbere videtur Rufinus, Præfectus Prætorio, qui anno 595 cum à sacro fonte eductus fuisset, traditus est Ammonio, qui magna pietatis fama florebat. Confer Tillemontium Histor. Ecclesiast. vie de S. Gregoir. de Nysse art. 22 t. 9 p. 595 ed. Ven. 1752, et Orsium Histor. Ecclesiast. l. 20 n. 83 t. 9 p. 241 ed. Rom. 1752.

37. Unus tantum in baptismo patrinus adhibendus est, aut ad summum vir unus, unaque mulier (1); neque id munus unicuique committi indiscriminatim debet, sed ei qui sit catholicus, et sana doctrina, bonisque moribus imbutus, maximeque convenit, eundem saltem puberem, et confirmatum esse (2). Repelluntur ab hoc officio infideles, aut hæretici, publice excommunicati, aut interdicti, publice criminosi, aut infames, et qui sana mente non sunt, et qui fidei rudimenta ignorant, ita ut ea docere non possint, quem à sacro fonte susceperunt (3). Vetantur etiam parentes offerre filios suos, propter spiritualem cognationem (4), quæ inter patrinum, ac baptizatum contrahitur, et vetantur etiam hoc munus gerere monachi, quos solitudini addictos esse oportet (5).

(1) Concilium Tridentinum Sess. 24 c. 2 de Reform. Matrim. Atque hæc quidem disciplina Tridentino Concilio antiquior est. Nam plures numero patrinos excludere videtur Auctor Apostol. Const. l. 5. c. 16 cit. cum statuit,

ut vir à Diacono, mulier à Diaconissa suscipiatur. Sed explicatius, atque disertius unum patrinum constituent Leo P. in Can. 101 de Consecr. dist. 4 et Concilium Metense an. 838 Can. 6. t. 11 Concil. col. 594 collect. Labbæi ed. Ven.

(2) Can. 102 dist. 4 de Consecr. Rituale Romanum tit. de Patritiis. Confer Giraldum Exposit. Jur. Pontific. par. 1 sect. 710 t. 2. p. 524.

(3) Confer Rituale Romanum l. c. et Martenium de Antiq. Eccles. rit. l. 1 c. 1 art. 16 n. 14 p. 60 ed. ind.

(4) Olim parentes infantes filios offerebant, S. Augustinus Ep. 98 ad Bonif. n. 6. col. 266 opp. t. 2 laud. ed. Sed deinceps parentes id præstare vetiti sunt. Concilium Moguntinum an. 815 Can. 55 col. 1016 tit. 4 collect. Harduini. Quod factum videtur ob cognationem spiritualem, quæ inter suscipientem, et suscepti parentes induci capit.

(5) Can. 105 dist. 4 de Consecr

Clericos à patrinorum munere excludebant Hispal. Syn. an. 1512 cap. 27, et Comp. Jo. Teres lib. 5 tit. 25, c. 5.

(N. S. Alios item non spernendæ utilitatis Canones præscripserunt Hispanienses Synodi. l. Ne adulti à Curatis baptizentur, quin prius sufficienti tempore rudimenta Fidei edocti fuerint. Syn. Valent., Sess. 2 tit. 2 cap. 5. 2 Quod Rector, Vicarius, et curam animarum habens, et Regens in sua Parochia duos teneat libros, in quorum altero nomina, et cognomina baptizandorum, parentumque eorum, ac patrinorum, et patrinarum, diemque, et annum quo fuerint baptizati,.... scribat. Compilat. Jo. Teres lib. 5 tit. 23 cap. 3. 3. Ut puerperæ, quæ post conveniens tempus, domo egressæ, Ecclesiam adeunt, tum ut infantem Deo offerant, tum etiam, ut pro suscepto beneficio illi gratias agant, non ad aliam, quam ad Parochiam ipsam, in qua scilicet infans beneficium regenerationis suscepit, se conferant; idque faciant prima statim vice, quo domo egrediuntur. Ead. Syn. Valent. ibid. cap. 6.)

Regg. ordinat. 12 et 24 Maji 1845, animarum curam exercentibus generatim præceptum, ut singulis mensibus municip. auctorit. de natis in respect. paroch., defunctis et conjugatis rationem reddant.

## SECTIO II.

### DE CONFIRMATIONE.

38. EFFECTUS SACRAMENTI CONFIRMATIONIS. — 39. MATERIA HUIUS SACRAMENTI. — 40. FORMA, ET MINISTER. — 41. QUI CONFIRMATIONEM SUSCIPIANT? — 42. HUIUS SACRAMENTI CONFERENDI TEMPUS, EJUSQUE RITUS.

38.

Qui baptizatus est, novæ virtutis robore firmior ac perfectus Christi miles efficitur per confirmationem. Itaque confirmatio, sacramentum est (1), quo homines robur, et virtutem accipiunt tum ad firmiter credendum, tum ad fortiter propugnandum pro fide, quam in baptismo susceperunt. Nimirum qui per baptis-

chismus Romanus. l. c. §. 75, rejiciendaque sunt falsarum religionum, idolorumque nomina. Confer Benedictum XIV Const. Omnium sollicitudinum 107 §. 3 et 14 ejus Bullar. t. 1 p. 245 et 248 ed. Rom. seu Ven. 1754. Describitur hoc nomen una cum natali die, ac nominibus parentum, et patrinorum in libro, quem unusquisque parochus habere debet. Rituale Romanum tit. de Baptism.

(5) Patrinorum, seu Sponsorum origo ab ipsis fere Ecclesie incunabulis repetenda est, uti monet Martenius de Antiq. Eccles. rit. l. 1 cap. 1 art. 16 n. 11 t. 1 p. 59 ed. Antwerp. seu Ven. Eorum meminere Tertullianus de Baptism. c. 18 p. 251 ed. Ven. 1744; Auctor Respons. ad Orthodox. q. 56 inter opp. S. Justini M. p. 460 ed. Paris. 1742 Auctor Eccles. hierarch. c. 2. §. 2. t. 1 p. 168 ed. Ven. 1755, Auctor Apostol. Const. l. 5 c. 16 apud Cotelierium PP. Apostol. p. 201 t. 1. ed. Amstelad. 1724, S. Augustinus multis in locis, aliisque complures.

(4) Officia sponsorum describit Augustinus, sed potius Auctor Serm. nis 168 n. 5 in append. t. 5 opp. Augustini col. 295 indic. ed. Ven. et Hildesonsus Adnot. de ordin. Baptism. c. 114 apud Baluzium Miscell. sacr. t. 2, p. 34 ed. Lucæ 1761. Quod infantes per se ipsos non possent, pro iis sponsores respondere voluit Ecclesia: Cyrillus Alexand. in Joan. c. 11. vers. 28 opp. t. 4 p. 685 ed. Paris 1658, Auctor Serm. 267 n. 5 col. 441 in append. t. 5 opp. August. ind. ed. Maurin. Ven. Adultis etiam morbo impeditis vocem suam commodare, inquit Cyrillus Alexand. l. c. Verum pro ipsis etiam adultis, qui per se respondere poterant, sponsores adhiberi voluit Ecclesia; sed ipsi tamen respondere debent. Augustinus de Baptism. l. 4 c. 24, col. 141 t. 9 ed. ind. Primum exemplum sponsorum, qui his adultis dati sint, præbere videtur Rufinus, Præfectus Prætorio, qui anno 595 cum à sacro fonte eductus fuisset, traditus est Ammonio, qui magna pietatis fama florebat. Confer Tillemontium Histor. Ecclesiast. vie de S. Gregoir. de Nysse art. 22 t. 9 p. 595 ed. Ven. 1752, et Orsium Histor. Ecclesiast. l. 20 n. 83 t. 9 p. 241 ed. Rom. 1752.

37. Unus tantum in baptismo patrinus adhibendus est, aut ad summum vir unus, unaque mulier (1); neque id munus unicuique committi indiscriminatim debet, sed ei qui sit catholicus, et sana doctrina, bonisque moribus imbutus, maximeque convenit, eundem saltem puberem, et confirmatum esse (2). Repelluntur ab hoc officio infideles, aut hæretici, publice excommunicati, aut interdicti, publice criminosi, aut infames, et qui sana mente non sunt, et qui fidei rudimenta ignorant, ita ut ea docere non possint, quem à sacro fonte susceperunt (3). Vetantur etiam parentes offerre filios suos, propter spiritualem cognationem (4), quæ inter patrinum, ac baptizatum contrahitur, et vetantur etiam hoc munus gerere monachi, quos solitudini addictos esse oportet (5).

(1) Concilium Tridentinum Sess. 24 c. 2 de Reform. Matrim. Atque hæc quidem disciplina Tridentino Concilio antiquior est. Nam plures numero patrinus excludere videtur Auctor Apostol. Const. l. 5. c. 16 cit. cum statuit,

ut vir à Diacono, mulier à Diaconissa suscipiatur. Sed explicatius, atque disertius unum patrinum constituent Leo P. in Can. 101 de Consecr. dist. 4 et Concilium Metense an. 838 Can. 6. t. 11 Concil. col. 594 collect. Labbæi ed. Ven.

(2) Can. 102 dist. 4 de Consecr. Rituale Romanum tit. de Patritiis. Confer Giraldum Exposit. Jur. Pontific. par. 1 sect. 710 t. 2. p. 524.

(3) Confer Rituale Romanum l. c. et Martenium de Antiq. Eccles. rit. l. 1 c. 1 art. 16 n. 14 p. 60 ed. ind.

(4) Olim parentes infantes filios offerebant, S. Augustinus Ep. 98 ad Bonif. n. 6. col. 266 opp. t. 2 laud. ed. Sed deinceps parentes id præstare vetiti sunt. Concilium Moguntinum an. 815 Can. 55 col. 1016 tit. 4 collect. Harduini. Quod factum videtur ob cognationem spiritualem, quæ inter suscipiendum, et suscepti parentes induci capit.

(5) Can. 105 dist. 4 de Consecr

Clericos à patrinorum munere excludebant Hispal. Syn. an. 1512 cap. 27, et Comp. Jo. Teres lib. 3 tit. 25, c. 5.

(N. S. Alios item non spernendæ utilitatis Canones præscripserunt Hispanienses Synodi. l. Ne adulti à Curatis baptizentur, quin prius sufficienti tempore rudimenta Fidei edocti fuerint. Syn. Valent., Sess. 2 tit. 2 cap. 5. 2 Quod Rector, Vicarius, et curam animarum habens, et Regens in sua Parochia duos teneat libros, in quorum altero nomina, et cognomina baptizandorum, parentumque eorum, ac patrinorum, et patrinarum, diemque, et annum quo fuerint baptizati,.... scribat. Compilat. Jo. Teres lib. 3 tit. 23 cap. 3. 3 Ut puerperæ, quæ post conveniens tempus, domo egressæ, Ecclesiam adeunt, tum ut infantem Deo offerant, tum etiam, ut pro suscepto beneficio illi gratias agant, non ad aliam, quam ad Parochiam ipsam, in qua scilicet infans beneficium regenerationis suscepit, se conferant; idque faciant prima statim vice, quo domo egrediuntur. Ead. Syn. Valent. ibid. cap. 6.)

Regg. ordinat. 12 et 24 Maji 1845, animarum curam exercentibus generatim præceptum, ut singulis mensibus municip. auctorit. de natis in respect. paroch., defunctis et conjugatis rationem reddant.

## SECTIO II.

### DE CONFIRMATIONE.

38. EFFECTUS SACRAMENTI CONFIRMATIONIS. — 39. MATERIA HUIUS SACRAMENTI. — 40. FORMA, ET MINISTER. — 41. QUI CONFIRMATIONEM SUSCIPIANT? — 42. HUIUS SACRAMENTI CONFERENDI TEMPUS, EJUSQUE RITUS.

38.

Qui baptizatus est, novæ virtutis robore firmior ac perfectus Christi miles efficitur per confirmationem. Itaque confirmatio, sacramentum est (1), quo homines robur, et virtutem accipiunt tum ad firmiter credendum, tum ad fortiter propugnandum pro fide, quam in baptismo susceperunt. Nimirum qui per baptis-



rum Christiani evaserunt, quasi infantes pueri sunt, quos corroborare oportet aliis adjumentis, ut comprimant impetus hostium, cum quibus nobis pugna est, quamdiu hæc vivitur vita, et firmiter ad fidem adhærescant. Itaque Christus confirmationis instituit sacramentum, quo id in nobis confirmat quod baptismo efficere cæpit; imo vero non confirmat solum, sed etiam auget ratione quam admirabili, et singulari (2). Vocatur etiam hoc sacramentum *chrisma*, *unctio*, *et signaculum Domini*, *et manuum impositio*.

(1) Concilium Tridentinum Sess. 7 de Sacram. in gen. cap. 1, et sess. de Confirmat. can. 1, *Si quis dixerit*, inquit, *confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum, et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit*. Quibus verbis à Synodo damnantur hæreses Lutheri, et Calvini, quorum alter meram cæremoniam, non sacramentum, confirmationem habebat, alter catechesim, qua baptizati, ineunte adolescentia, fidei suæ rationem coram Episcopo exponebant. Cum Luthero, et Calvino sentiant Dalkæus de Confirm. l. 1 c. 8 et l. 5 c. 15, ac Binghamus Orig. eccles. l. 12 c. 1. §. 4 et 5 p. 550 et seq. t. 4 ed. Halæ Magleburg. 1755, qui confirmationem sacramentum à baptismo distinctum esse negant, sed ajunt, meram esse cæremoniam, quæ baptismum aqua inchoatum perficit. Sed horum, aliorumque hæreticorum commenta late refutantur à Theologis, ac præter ceteros, à Natali Alexandro Histor. eccles. sæc. 2 diss. 10 p. 578 t. 5 ed. cit. Card. Orsio Dissert. de Chrismat. confirmat. c. 2 et seq. Drouvenio de Re sacrament. l. 5 q. 1 per tot.

(2) Consule Catechismum Rom. par. 2 c. 5 §. 21 et 22.

39. De materia hujus sacramenti non eadem omnium catholicorum sententia est. Sunt enim qui eam in manuum impositione constituunt; sunt qui materiam remotam statuunt unguentum, quod ex oleo, et balsamo solemai Episcopi consecratione conficitur (1), proximam ipsam frontis unctionem; sunt denique, qui et manuum impositionem, et frontis unctionem confirmationis materiam esse arbitrantur (2). *Chrisma* ab Episcopo consecrari, vetus est Latinæ, et Græcæ Ecclesiæ consuetudo (3); et vero id ab eo quotannis efficitur feria V in cœna Domini, (4); sed Latinorum *chrisma* ex oleo tantum, et balsamo, Græcorum ex aliis præterea triginta quinque aromatibus conficitur (5). Est et hoc inter Græcos, Latinosque discrimen, quod hi solam frontem, illi etiam aures, nares, pectus, oculos, et pedes unguunt (6).

(1) Catechismus Romanus par. 2 cap. 5 §. 3 et seq. S. Thomas in Summa

par. 5 q. 72 art. 2. Et *chrismatis* quidem usum in confirmandis neophytis ab ipsis Christianæ Religionis primordiis esse repetendum, contra Basnagium, ac ceteros, ostendit Cardinalis Orsius peculiari dissertatione de Chrism. confirm.

(2) Confer Jueninium de Sacram. diss. 5 de confirm. q. 2, Drouvenium de Re sacram. l. 5 q. 3, et Tournelyum Prælect. theolog. de Sacram. confirm. q. 1 art. 5. — V. S. Pacian. Ep. de *Nom. Cath.*; et Prudentium in *Cathemer. Hymn.* 6. ante *Somn.*, ac in *Apoth. contra Judæos*.

(3) S. Basilius de Spirit. S. c. 27 p. 55 t. 5 opp. ed. Paris. 1750. S. Cyrillus Hierosol. Catech. 5 p. 19 n. 4 ed. cit. S. Gregor. M. in Sacram. col. 67 opp. t. 5 ed. Paris. 1705. Nullum autem in sacris literis hujus disciplinæ vestigium extat, sed eam per manus traditam inquit Basilius; cumque ejus initium ignoretur, ab Apostolis ropetenda est, secundum Augustini regulam Ep. 54 col. 124 t. 2 cit. ed Ven.

(4) Concilium Toletanum l. can. 20 col. 992 t. 1 collet. Harduini ed. Paris. statuit Episcopo *omni tempore licere chrisma conficere*; ex quo patet, ea ætate nondum obtinuisse disciplinam, quæ nunc obtinet, conficiendi quotannis *Chrisma* feria V. in cœna Domini. Verum hæc antiquissima est, atque ejus origo à sæculo V. repetenda videtur. Nam ea ætate Episcopus feria V. in cœna Domini tres Missas celebrabat, quarum una erat pro reconciliatione penitentium, altera pro conficiendo *chrismate*, tertia serotina de ipsa diei solemnitate. Id ex vetustis sacramentariis sese deprehendisse testantur Menardus in Not. ad lib. sacrament. S. Greg. not. 265 t. 5. opp. S. Greg. col. 527 ed. Paris, Bona rer. liturg. l. 1 cap. 18 §. 6 p. 15 t. 2 ed. Taurin. 1749, et Martenius de Antiq. eccl. rit. l. 1 c. 5 art. 5 §. 8 p. 104 t. 1 laud. ed. Fabianni P. ea de re epistola in can. 18 de Consecr. dist. 5 ab Isidoro Mercatore conficta est.

(5) Græcorum ritum in præparando unguento *chrismatis* ex 55 aromatibus in vino decoctis, describit Goarius in Eucholog. Græcor. p. 637 et seq. ed. Paris. 1647.

(6) Confer Goarium l. c. p. 556. Sed S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. 5 mystag. cap. 4 p. 517 ed. Paris., tantum memorat frontem, aures, nares, pectus; ex quo patet, has tantum partes ea ætate à Grecis inungi consuevisse.

40. Quæ de materia, eadem de forma hujus sacramenti disputatio est. Nam alii eam ponunt in oratione, qua Episcopus neophyto manus imponens, invocat Spiritum S., alii in verbis: *signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.* (1); alii denique tum in his verbis, tum in illa oratione formam ipsam positam esse arbitrantur (2). Ordinarius minister non nisi Episcopus est (3); extra ordinem, atque ex supremæ ecclesiasticæ potestatis delegatione, etiam Presbyteri hoc sacramentum recte administrant (4). Græcorum Sacerdotes omnes generatim habent hanc delegatam potestatem, per quam Sacramentum confirmationis rite, et recte conferunt (5).

(1) Catechismus Romanus par. 2 c. 5 §. 12 et 15.

(2) Confer Drouvenium l. c. q. 4 per tot. Quamquam autem ea res nondum ab Ecclesia sit delinita, tamen certissimum est, eam semper certis quibusdam verbis hoc sacramentum administrare consuevisse, ut proinde in hoc etiam locum habeat illud Augustini: *accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*. Sane Apostolos verbis usos esse, testantur sacrae Literae Act. VIII., 15., atque idem annis consequentibus ab Ecclesia factum fuisse, constat ex plurimorum Patrum testimoniis, ac inter alios id disertissime tradit Innocentius I in ep. 25 ad Decent. Eugubinum c. 5 col. 859 apud Constantium ep. Roman. Pontific., quamquam ob aeterni disciplinam non ipsa describat verba, quibus confirmationis forma constabat. Varias hujus sacramenti formas habet Martenius de Antiq. eccles. rit. l. 4 c. 2 art. 5 §. 11 p. 91 ind. ed. V. Syn. — Illiberit. can. 28.

(3) Petrum, et Joannem Apostolos missos legimus in Act. VIII. 14 et seq., ut à Philippo baptizatos confirmarent. Concilium Tridentinum Sess. 7 de Confirm. can. 5. *Si quis dixerit, inquit, sancte confirmationis ordinarius ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit*. Confer etiam S. Cornelium ep. 9 ad Fabium Antiochenum c. 4 col. 155. apud Constantium ep. Roman. Pontific., S. Cyprianum ep. 75 ad Jubajan. p. 124 ed. Paris. 1666. Innocentium I ep. ad Decent. Eugubin. c. 5 n. 5 col. 858 apud eundem Constantium, S. Hieronimum Contr. Luciferian. n. 9 col. 181 opp. t. 2 ed. Veron. 1755, S. Gregorium M. l. 4 ep. 9 col. 689 opp. t. 2 ed. Paris. ind., Innocentium III in c. 4 de Consuet. Quae haeretici objiciunt, refelluntur à Theologis, praesertim Jueninio, de Sacram. diss. 5 de Confirm. qu. 5 art. 2., et Drouvenio, de Re sacram. l. 5 qu. 7 per tot.

(4) Ita Gregorius M. l. 4 ep. 26 col. 705 laud. ed. t. 2. Presbyteris in Sardinia degentibus extra ordinem confirmandi tribuit facultatem. Consule S. Thomam in Summa par. 5 qu. 72 art. 11 ad. 1., et Benedictum XIV de Synod. diocesis l. 7, c. 7 qui de hac Summi Pontificis delegatione copiose disserit, et diligenter. Verum chrismatis benedictio adnumerata semper fuit inter propria Episcopalis ordinis munera; et ideo confirmandi privilegium à Sede Apostolica Presbyteris concessum adjunctam legem habere solet, modo ipsi chrismate utantur ab Episcopo consecrato. Disputat Benedictus XIV l. c. n. 1 et 2, num Summus Pontifex etiam chrismatis consecrandi facultatem Sacerdoti tribuere possit. Quaesitum est etiam, num Episcopus Sacerdoti concedere possit confirmandi facultatem; sed cum Sedes Apostolica, quae arctare potest Episcoporum jurisdictionem, sibi uni hanc facultatem reservaverit, irrita est confirmatio, quae per solam Episcopi delegationem à Presbytero collata est. Confer Benedictum XIV l. c. n. 5, et seq.

(N. S. Potestatem confirmandi Neophytos Episcopis quoque fuisse antiquitus omnino reservatam, perspicua demonstrant Patrum testimonia; Hier. contra Lucif. cap. 4 docet, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, et Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manus impositurus excurrat. Et paullo post: *In Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipit Spiritum S.* Tum Chrysostomus in illud Actuum Apost. *Imponebant manus, et accipiebant Spiritum S.* sic commentatur: *Igitur hoc erat in Apostolis singulare; unde Praecipuos, hoc est, Episcopos, et non alios, videmus hoc facere;* et Pacianus noster Epist. de *Nomine Catholico*, et Serni. ad *Fideles, et Catechumenos*. Verum in specialibus quibusdam casibus posse Presbyteros accepto mandato, ac facultate R. Pontificis, tanquam extraordinarios ministros, Sacramentum Confirmationis conferre, pleri-

que tenent Theologi. Et merito; si enim antiquitus Presbyteri, sicut et reliqua Sacramenta, ita etiam et Confirmationis Sacramentum, praecipiente Episcopo, ministrare poterant, ut evincitur ex Concilio Toletano I *Can. 20*, his verbis: *Statutum est Diaconum non chismare, sed Presbyterum absente Episcopo, praesente vero, si ab ipso fuerit praecipuum; nunc, post hujusmodi dispensationes Rom. Pontifici reservatas, de ipsius mandato fas erit Presbyteris Neophytos confirmare*. V. Syn. Hispat. II. can. 7. Antiquissima est Ecclesiae praxis, ut Chrisma non nisi ab Episcopo conficiatur, à quo diocesanus Archiepiscopus, vel Parochi illud singulis annis accipiant: Concil. Carthag. IV *Can. 56*. Qua de re Syn. Tolet. I an. 400, *Can. 20*, decernit: *Quamvis paene ubique custodiat, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat: tamen quia in aliquibus locis, vel Provinciis Presbyteri dicuntur Chrisma conficere; placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum, Chrisma facere, et per Diocesim destinare*. Idem tradit Syn. Bracar. I Cap. 19, alias *Can. 36*: *Item placuit, ut si quis Presbyter post hoc interdictum ausus fuerit Chrisma benedicere... à suo officio deponatur; nam et antiqui hoc Canones vetuerunt.*

(5) Graecorum Sacerdotes ante Phocianum schisma confirmationis sacramentum conferre solitos fuisse, ostendunt Morinus Diss. 2 de Sacram. confirmat., et Lucas Holstenius Diss. 4 de Ministr. confirm. apud Graecos. Dubitari autem non potest, quin si non solum valide, sed etiam licite confirmet ex tacita saltem delegatione Sedis Apostolicae, quae hanc eorum consuetudinem ratam habet, uti observant Arcudius de Concord. Eccles. occident. et orient. l. 2. de Confirm. c. 15 p. 96, et Benedictus XIV l. c. c. 8 Certe in Concilio Florentino t. 6 Collect. Harduini col. 450 Eugenius IV, inter alias quaestiones, hanc ordine sextam Graecis proposuit: *quare Pontifices non inungerent sacro chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum?* Verum ut haberetur in actis ejusdem Concilii l. c. *hanc à Latinis objecta, Mitylenensis Episcopus canonice, legitimeque dissolvit*. Confer Holstenium de Ministr. confirmat. apud Graecos. Ex quo patet, à Graecis canonicas suae disciplinae rationes allatas fuisse, per quas Latinis satisfactum est, atque has rationes Concilio fuisse probatas. Sacerdotibus tamen Italo-Graecis confirmare vetitum est à Clemente VIII Const. Sanctissim. 107. Bull. ed. ult. t. 5 par. 2 p. 72, et à Benedicto XIV. const. 57 §. 5 p. 104 et const. 429 §. 4 p. 512 t. 4 ejus Bullar. ed. Rom. seu Ven. 1754. Unus hic amovendus est obex. Innocentius III in c. 4 de Consuet. Presbyteros, qui apud Constantinopolim per abusum confirmabant, confirmare in posterum vetat; ex quo confici videtur posse, Graecis Presbyteris vetitum esse Confirmationis sacramentum administrare. Verum Innocentius loquitur de Latinis Presbyteris, qui Constantinopoli morabantur; et vero in integra decretali, quae extat apud Baluzium t. 4 Ep. Innocentii III. p. 480, nominatim agitur de *Latinis Presbyteris*, sed verbum illud Latinis in decretalium collectione Raymondus omisit.

41. Non nisi baptizati confirmandi sunt, cum fieri non possit, ut adolescat, qui nondum natus est (1). Suscipere confirmationem possunt omnes, tum infantes, tum adulti; et diu quidem viguit consuetudo, ut statim post baptismum confirmatio tribueretur (2). Graeci nunc etiam retinent hanc consuetudinem (3); sed ab ea jam pridem recesserunt Latini (4), apud quos pueri ante septimum aeta-

lis annum non confirmantur (5). Et quamquam hoc sacramentum non ejusmodi habeat necessitatem, ut sine eo salvus quis esse non possit, tamen qui illud negligunt, aut contempnunt, salutem suam in discrimen adducunt, gravisque criminis rei sunt, quoniam omnes eniti debent, ut christianæ vitæ perfectionem acquirant (6). Adulti, qui hujus sacramenti gratiam, et dona consequi cupiunt, non solum fidem, et pietatem asserre, sed etiam graviora, quæ admiserunt, crimina dolere ex animo debent. Quare elaborandum est, ut primum peccata confiteantur, ac jejunia, aliaque pietatis opera suscipiant, eurentque, ut jejuni ad hoc sacramentum accedant (7).

(1) Confer D. Thomam in Summa p. 5 q. 72 art. 6. Presbyterum quemdam Scotum, Samsonem nomine, qui non baptizatos confirmari posse putabat, damnavit Zacharias Pont. Ep. 10 ad Bonifacium apud Labbæum collect. Conc. t. 8 col. 255 ed. Ven. his, qui post baptismum flagitiosam vitam duxerant, ac morientes confirmationem petebant, denegatum hoc sacramentum, ex can. 59. Concilii Eliberitani colligit Albaspinæus in Not. p. 175 ed. Neap. 1770, quem Juvenius sequitur de Sacramen. diss. 5 q. 6 c. 2.

(2) Tertullianus de Baptism. c. 7 p. 226 ed. Rigaltii Paris 1675, S. Cyrilianus Ep. 70 ad Januar., et Ep. 75 ad Jubajanum p. 117 et 124 ed. Paris. 1666, S. Cyrillus Hierosolim. Catech. 5 mystagog. p. 516 n. 1 ed. cit., S. Dionysius seu potius Auctor libri de Eccles. hierarch. c. 2 p. 254 opp. t. 1 ed. Antwerp. 1654. Concilium Laodicenum Can. 48 col. 789 t. 1 collect. Harduini.—(Idque per Episcoporum manus: Syn. Illib. Can. 58 et 77; et S. Pacianus Epist. de Nomine Cathol., ita perspicue: *Si ergo et Lavacri, et Chrismatis potestas ad Episcopos inde descendit.*—N. S.)

(3) Consule Leonem Allatum de Perpet. consens. eccles. occident. et orient. l. 5 c. 18, Goarium in Not. ad Ritual. Græcor. p. 567, Naironum Evopl. cathol. lib. p. 2 c. 5, Vanslebium Histor. eccles. Alexandr. p. 2. c. 12.

(4) Incertum est, quo primum tempore confirmatio multo post baptismum conferri cœperit; et forte id factum est, cum rarior evasit baptismus adultorum. Confer Martenium de Antiq. eccles. rit. l. 4 c. 2 art. 1 §. 5 p. 86 t. 1 laud. ed. Ceterum nunc etiam cum adulti baptizantur, Latine Ecclesie sententia est, confirmationem à baptismo, si fieri commode potest, non esse separandam. Rituale Romanum tit. de Baptism. adultor.

(5) Catechismus Romanus p. 2 e. 5 §. 19. Sed quamquam ipse catechismus non expedire dicat, quod pueris confirmatio ante septennium conferatur, non tamen id ita est intelligendum, quasi nunquam his pueris hoc sacramentum conferri possit. Nam pueri, qui in vitæ discrimine versantur, etiam ante septennium sunt confirmandi: S. Thomas loc. c. art. 8 ad 4; et alia similiter justa causa esse potest, propter quam pueris ante illam ætatem hoc sacramentum detur. Consule Catalanum in Pontific. Roman. tit. 21 §. 7 n. 19 et 22 l. 5 p. 227 ed. Rom. 1740.

(6) Consule Catechismum Romanum l. c. n. 17 et 18, et D. Thomam in Summa p. 5 q. 72 art. 1.

(7) Olim nonnisi jejunis dabatur hoc sacramentum, quod multis collectis monumentis ostendunt Martenius l. c. art. 2 p. 88, et Juvenius de Sacram. diss. 5 de Confirm. q. 9 c. 2. Verum hæc consuetudo ætate D. Thomæ cœpe-

rat oblanguere, uti ipse testatur l. ind. art. 12 ad 2. De hac laudabili antiquæ Ecclesie consuetudine Christianos moneri jubet Catechismus Romanus l. c. §. 20; et recte *ubi congrue observari potest*, inquit D. Thomas l. c. *convenientius est, ut à jejunis (confirmatio) detur, et accipiatur.*

(N. S. Quibus omnibus merito adjicienda est laud. Syn. Valent. Sess. 2 tit. 2 cap. 10, quæ, post recensita præclarissima Melchiadis Epistolæ (apocrypham esse fatemur) verba, hæc subdit; Quæ omnia considerans Synodus, Prælatos hortatur, ut sedulo advertant, ne huic Sacramento debitus in Ecclesia honor deesse videatur, et quoties Sacramentum hoc adultis conferendum erit, nonnisi ea, quæ decet, animi præparatione, accedentibus, et sua etiam peccata confessis conferatur. Et cap. 11, quod eurent Prælati, ut in Civitatibus, in quibus resident, duobus, aut tribus anni temporibus Sacramentum Confirmationis publice ministretur.... Confirmatorum nomina, et ipsorum susceptorum, et Confirmantis in libro uno describenda censemus; ne aut Sacramenti iterandi occasio detur, aut Matrimonia confundantur, si spiritualis cognatio, quæ ex Confirmatione contracta fuit, ignoretur.

42. Confertur hoc sacramentum potissimum in Pentecoste, quoniam hoc maxime die Apostolos Spiritus S. virtute roboratos, et confirmatos fuisse constat (1). Offeruntur autem confirmandi à sponsoribus, sive patrinis, quos probos christianos, et confirmatos esse oportet (2); debentque pro sacri chrismatis reverentia frontem eluere, decedentesque in eam capillos attondere. Episcopus confirmato alapam impingit (3), ut diseat, se paratum esse oportere ad omnia adversa pro Christi nomine invicti animo toleranda, eique pacem impertitur (4); denique ejus frons bombyce diligenter abstergitur (5).

(1) Catechismus Romanus loc. ind. §. 26. S. Carolus Borromeus in V. Conc. Mediolanen.

(2) Proprios confirmationis patrinis adhibuit Ecclesia, cum seorsim à baptismo dari cœpit hoc sacramentum; atque hinc ab antiquioribus Patribus soli baptizatorum patrini memorantur. Eadem fere de utrisque sunt constituta, et qui in baptismo patrini esse nequeunt, iidem etiam in confirmatione hoc munus gerere prohibentur.

(3) Hujus alapæ nulla mentio est in sacramentario S. Gregorii M. aut in iis, qui IX et X sæculo de ritibus scripserunt. Primus forte eam memoravit Durandus Mimatensis Episcopus; ejus vero mysteria explicat S. Carolus Borromeus Instruct. de Sacram. confirm. par. 4 act. Eccles. Mediolanen. t. 1 p. 452 ed. Patavii 1754.

(4) Catechismus Romanus l. c. §. 26.

(5) Olim confirmandorum frontes bandellis, seu vittis lineis cingebantur, quas usque ad sæculum XII. gestabant per dies plures. Amalarius de Divin. offic. l. 1 c. 4 in Bibl. PP. t. 14 p. 266 ed. Lugd. Deinde in nonnullis Ecclesiis obtinuit, ut lineæ vittæ tantum per triduum gererentur.

SECTIO III.

DE EUCHARISTIA.

43. EUCHARISTIA QUID?—44. EJUS MATERIA.—45. QUALIS ADHIDEATUR PANIS?—46 ET 47. FORMA, ET MINISTER.—48. QUIBUS EUCHARISTIA TRIBUTUR.—49. A JEJUNIS SUMENDA EST.—50. QUO TEMPORE OMNES FIDELES EAM SUMERE DEBEANT?—51. EUCHARISTIAE CONFERENDI RITUS.—52. DIES FESTUS CORPORIS CHRISTI, PROCESSIO, EXPOSITIO.—53. EUCHARISTIA NOVE LEGIS SACRIFICIUM.—54 ET 55. LITURGIE.—56. QUO SERMONE LITURGIA ABSOLVENDA SIT?—57. QUIBUS DIEBUS OLIM MISSA CELEBRARETUR?—58. PLURES OLIM MISSÆ AB UNO SACERDOTE CELEBRATAE.—59. QUÀ HORA CELEBRARENTUR?—60 ET 61. MISSA PUBLICA ET PRIVATA.—62. QUO LOCO MISSA CELEBRANDA SIT?—63. DOMINICIS, FESTISQUE DIEBUS FIDELES MISSÆ SACRIFICIO INTERESSE DEBENT.—64. MOS ANTIQVUS OFFERENDI PANEM, ET VINUM.—65. MISSÆ HONORARIUM.—66. PRO EO, QUI HONORARIUM DEDIT, SACRIFICIUM SPECIATIM OFFERENDUM EST.

43.

**S**acramentum omnium nobilissimum est Eucharistia, per quod ipsum Christi corpus, et sanguinem sub specie panis, ac vini sumimus, Deique gratia miris modis augemur, modo illud rite, recteque suscipiamus. Eucharistia vocabulum græcum est, quod latine reddi potest bona gratia, sive gratiarum actio, quod nomen huic sacramento tributum est, tum quod ipsum gratiarum omnium fontem continet, tum quod in ejus institutione Christus Patri gratias egit. Communionis nomine, quo sæpe appellatur, significatur conjunctio fidelium cum Christo, cui nos hoc sacramentum copulat, et vinculum charitatis, quo nos inter nos in eodem Christo conciliamur, et jungimur (1). Dicitur etiam Cœna, quod in illo novissimæ cœnæ salutari mysterio Christus Dominus hoc sacramentum instituit (2).

(1) Apostolus I. ad Corinth. X. 16, S. Joannes Damascenus de Fid. orthodox. l. 4 c. 13 opp. t. 1 p. 275 ed. Le-Quienii Paris. 1712, et Dionysius, sive potius Auctor operis de eccles. hierarch. c. 5 n. 1 l. 1 p. 282 ed. Anfuerp. 1654, Consule Albaspinæum observ. l. 1 p. 4 et seq. ed. Neap. 1770, et de Eucharist. l. 2 c. 4 p. 560.

(2) Alia, quibus Eucharistia appellatur, nomina vide apud Bonam Rer. liturgic. l. 1 c. 3 t. 1 p. 17 et seq. ed. Taurin. 1747, Drouvenium de Re sacram. l. 4 q. 1 §. 1, aliosque complures. Confer etiam Ballerinius not. 6 in tract. 38 S. Zenonis t. 1 p. 251 ed. August. Vindel. 1758.

44. Duplicem habet materiam, panem, et vinum, quorum alter Christi corpus, alterum sanguis efficitur, conversione mi-

rabili, quam *transubstantiationem* vocamus (1). Vinum ex uvis esse debet, panis ex tritico; azymo utitur Ecclesia Latina, Græca fermentato (2). Utramque recte consecrari non ambigitur (3); sed propriæ Ecclesiæ consuetudo ab unoquoque servanda est (4).

(1) Catholica Fides docet, verum Christi corpus, et sanguinem in Eucharistia sacramento contineri, inque eo neque panem, neque vinum remanere, sed hoc totum in Christi sanguinem, et illum similiter totum in corpus converti. Sunt hæc catholica dogmata à Synodo Tridentina sess. 13 de Sacram. Euchar. Can. 1 et 3, definita adversus Calvinum, et Lutherum, quorum alter veram, ac realem Christi præsentiam in Eucharistia negabat, alter una cum Christi corpore, et sanguine, panis, vini que substantiam in eo sacramento remanere, contendebat. Similiter catholica veritate constat, Christum in Eucharistia esse per veram transubstantiationem, per quam totus panis Christi corpus, et totum vinum Christi sanguis efficitur; non per impanationem, quæ esset unio hypostatica Verbi Divini cum substantia panis, aut per consubstantiationem, quæ esset conjunctio substantiæ panis, et vini cum substantia carnis, et sanguinis Christi, adeo ut Eucharistia non solum Christi corpus, ac sanguinem, sed simul etiam panem, vinumque contineret. Late catholicam veritatem demonstrant Theologi, quos inter consule Drouvenium de Re sacram. l. 4 q. 6 c. 4 sect. 2.

(2) De usu azymi, atque fermenti magna est inter eruditos disputatio, cum certo statui non posse videatur, num Latini semper azymo, Græci autem fermentato pane semper usi sint. Antiquiores Theologi Scholastici putarunt, latinam ecclesiam ab initio azymum panem ahuisse usque ad hæresim Ebionitarum, quæ anno Ch. 74 erupit; sed cum ipsi Ebionitæ antiqua legalia simul cum Evangelio servanda esse contenderent, Ecclesiam, ne hæreticos imitari videretur, rejectis azymis, fermentum instituisse, ea vero extincta hæresi, ad azymum rediisse. Ità nimirum sentiant Joannes Scotus in 4 Dist. 11 q. 5, Alexander Alensis q. 52 membr. 5 ad ult. et par. 4 de Sacram. Euchar. q. 10 membr. 4 art. 1 §. 3, S. Bonaventura in 4 dist. 11 art. 2 q. 1, S. Thomas ib. q. 2 art. 2. Verum hæc opinio nullum habet idoneum fundamentum, quo mihi posse videatur, neque ejus rei verbum unum est apud antiquos scriptores, qui per decem priora sæcula res Ecclesiæ scriptis illustrarunt. Nechites Archiepiscopus Nicomediæ apud Anselmum Havelbergensem Dial. l. 5 c. 15 Spicilegii Dacherii t. 1 p. 200 ed. Paris. 1725 tradit, Melchiamdem, ac Siricium Pontifices fermentum apud Latinos instituisse; verum hæc sententia educta est ex libro Pontificali Damasi Pontificis, cujus, ut omnes norunt, suspecta fides est. E recentioribus tres potissimum ea de re doctorum hominum sententiæ circumferuntur, nimirum Jacobi Sirmondi, Joannis Mabillonii, Joannis Bonæ Cardinalis. Contendit Sirmondus in *Disquisit. de Azymo*, Latinos ab initio fermentum consecrasse usque ad sæculum IX., deinceps vero medio illo tempore, quod excurrit inter Photianum schisma, et Michaelèm Gerularium, hoc est inter annum circiter 867, et 1054, azymum adhibere cœpisse. Contra vero Mabillonius Præf. 1 ad sæc. III. Benedictin. n. 64 p. 28. ed. Ven. 1754, et diss. de Azymo et fermentat., perpetuum in Ecclesia Latina azymorum usum ab ipsa Apostolorum ætate fuisse arbitratur. Quæ eadem sententia est Joannis Cabassutii in Notit. eccl. sæc. 2 diss. 12, Christiani Lupi Schol. in can. conc. diss. de actis Leonis IX c. 5 et seq. opp. t. 4 p. 312 seq. ed. Ven., Edmundi Martenii de antiq. eccl. rit. lib. 1 c. 5 art. 7 §. 5 et seq. p. 114 t. 1 ed. An-

tuerp. seu Ven. 1763., Antonii Sandinii diss. II de perpetuo azymor. usu in eccl. Latin., et Joannis Ciampini de Azym. et ferment. conject., qui tamen in hoc à Mabillonio dissentit, quod Apostolis indiscriminatim utriusque panis usum tribuere videtur. Sed Joannes Bona rer. liturg. I. 1 c. 25 per tot. p. 150 et seq. t. 2 ed. Taurin. 1749, quasi mediam sequitur viam inter has duas Sirmonti, et Mabillonii opiniones. Nimirum late demonstrat, Latinos per novem, aut octo saltem Ecclesiae saecula nullum posuisse discrimen inter azymum, atque fermentum, sed modo unum, modo alterum panem sine delecta consecrare solitos fuisse. Sententia hæc ceteris probabilior esse videtur, eaque firmissimis nititur argumentis, quæ late ab ipso Bona l. c. exponuntur. Eam vero, præter ceteros, sequuntur Gravesonius hist. eccl. t. 5 sæc. 9 colloq. 5 p. 99 ed. August. Vindelic. an. 1756, Tournelyus Prælect. Theolog. t. 9 in 4 de Sacram. Euchar. q. 4. art. 5. concl. 5. Juvenius de sacram. diss. 4 q. 2 c. 1 art. 4 §. 5. Drouvenius de Re sacram. lib. 4 q. 1 §. 5. Armenii, et Maronitæ latinorum more azymum consecrant; sed à ceteris orientalibus fermentum adhibetur. Michael Cerularius, Patriarcha Constantinopolitans, duabus literis, quarum alteram dedit ad Joannem Tranensem in Apulia Episcopum, alteram ad Petrum Patriarcham Antiochenum, Latinos increpare ausus est, quod azymo uterentur, et nullam esse eorum consecratione demonstrare conatus est. Sed insanum, atque impium hominem refutarunt Leo IX. præclara epistola, et Cardinalis Humbertus, Silvæ-Candidæ Episcopus, egregio Dialogo, quæ quique extat t. 17. Annalium Baronii p. 92 et seq. ed. Lucæ.

(5) Concilium Florentinum in decreto Eugenii IV. col. 986 t. 9 collect. Harduini.

(4) Catechismus Romanus par. 2 cap. 4 §. 14.

(N. S. Ad venerabile hoc Sacramentum peragendum, ex ipsius Christi doctrina, panis parari debet, et hic ex farina tritici, non alterius frumenti, et ex aqua pura, et limpida confectus, uti decernit Syn. Penna-fid. Cap. 8, quem nos, atque ea ipsa Synodus Hostiam adpellamus. In Ecclesia Latina nonnisi azymo panis consecrari licet, ex antiqua Ecclesiae consuetudine, id quod innuit ead. Syn. Penna-fid. *ibid.* Verum ex eo maxime colligitur, perpetuam non fuisse hanc Ecclesiae nostræ pacem, quod saeculo VII, quem nonnulli Sacerdotes panis usitati, fermentati scilicet, frustrum figura rotundam ad Eucharistiam adsumerent. Syn. Tolet. XVI an. 695, acriter eos duntaxat reprehendens, *Can. 6, quod non panes mundos, et studio preparatos offerrent, id etiam tantummodo præcipit, quod non aliter panis in Altari Domini Sacerdotali benedictionem sanctificandus proponatur, nisi integer, et nitidus, qui ex studio fuerit preparatus, nihil de fermento, quod panis usitatus confectus profecto esset, decernens; quin et præf. Synod. Penna-fid. *ibid.* constituens, quod Sacerdos massam ex farina triticea tantum, et aqua pura sine (uti legendum putamus) ulla fermenti, vel alterius rei adpositione consiciat, satis indicat, aliquod adhuc fermentati usus vestigium eousque remansisse.*

Inde colligere est, quanta cura panis hic ad purissimam hostiam deputandus, consiciendus sit. Ita sane Syn. laud. Penna-fid. *ibid.* sancit, ut Sacerdotes per se (si commode possint) vel saltem per alios idoneos Ministros Ecclesiae, ipsis tamen præsentibus, eum consiciant. In Compil. Jo. Teres Lib. 5 Tit. 24 cap. 8 decernitur, quod Hostias faciant Sacerdotes, vel per se ipsos, vel per Clericos. Vinum etiam de vite parandum est, cui adicienda est aqua, uti sancit præf. Syn. Tolet. XVI cit. *Can. 6, et Cojac. Cap. 5, et quidem modica, ut ad naturam vini trahatur.* Quod eisdem verbis constituit Syn. Tolet. an. 1525, cap. 44.)

13. Prioribus Ecclesiae saeculis panis à Fidelibus oblatus cujuscumque molis, ac figuræ consecrari, sectusque in partes populo tribui solebat. Sed pace Ecclesiae data, diligenti cura paratus est (1), atque in modum coronæ compactus (2), eique impressæ cruces, et characteres, qui Christum exhiberent, licet non eisdem semper, et ubique fuerint (3). Erat autem panis non ita tenuis, ut deinceps esse cœpit, eratque tantæ magnitudinis, ut ex uno, qui consecratur, pane cuncti fideles sacramentum acciperent (4). At deinceps oblata in tenuem abierunt formam ad instar denarii; et tunc apud Latinos, plures oblatae consecratae sunt, grandior una pro sacerdote, minores aliae pro populo, quæ minores oblatae adhuc *particulæ* appellantur. Vino aliquantulum aquæ admiscetur (5), idque ex Apostolica traditione, et exemplo Christi, qui vinum cum aqua commixtum præbuit (6).

(1) Concilium Toletanum XVI c. 6 t. 8 col. 62 collect. Labbæi ed. Ven. Explicat autem Martenius de Antiq. eccl. rit. lib. 1 cap. 5 ar. 7 §. 25 et seq. p. 116 t. 1 laud. ed., quo ritu, qua diligentia, et à quibus conficeretur panis, quem Sacerdos consecrabat.

(2) Epiphanius in Ancorato n. 57 opp. t. 2 p. 60 ed. Paris. 1622., Cæsarius S. Gregorii Nazianzeni frater, dial. 5 de Fid. cathol. pag. 797 Bibl. PP. t. 5 ed. Lugduni 1677, Gregorius M. Dial. lib. 4 cap. 55 col. 404 opp. t. 2 ed. Maur. Paris. 1705. Hinc à quibusdam oblata circulus, et rotula panis appellatur. De forma panis, quo utuntur Græci, videndus Leo Allatus de Consens. occident. et orient. Eccl. l. 5 c. 18 n. 18.

(3) Consule Goarium in Not. ad Eucholog. Græcor. p. 117, Arcudium de Sacram. lib. 5 cap. 58. Card. Bonam Rer. liturg. lib. 1 c. 25 §. 18 p. 209 et 210 t. 2 ed. Taur. 1749.

(4) Confer Juvenium de Sacram. diss. 4 qu. 2 att. 5.

(5) Aliquantulum, inquam, aquæ vino admiscendum est, quoniam multo plus vini, quam aquæ calici infundere oportet c. 15 de Celebr. miss. Concilium Triburiense can. 19 t. 6 collect. Harduini col. 445, duas ex vino partes, unam ex aqua esse jubet. Sed cetera Concilia modicum aquæ infundi volunt, ne vini natura immutetur, neque desiniunt, quota pars calicis ex aqua esse debeat, Causas autem commiscendæ aquæ cum vino explicat Concilium Tridentinum Sess. 22 cap. 7 de Sacrific. miss., et Catechismus Romanus l. c. §. 16.

(6) Nullum quidem est in sacris literis expressum testimonium, quod Christus aquam vino admiscuerit; sed ita tamen ab eo factum esse Concilio-*rum auctoritate*, inquit Catechismus Romanus par. 2 cap. 4 §. 16., et S. Cypriani testimonio comprobatur. Revera in antiquis Liturgiis SS. Basilii, et Cyrilli hujus à Christo factæ commixtionis diserta mentio est; eamque etiam memorant S. Irænaeus Contr. hæres. lib. 4 cap. 35 n. 2 p. 270 ed. Paris. 1710, S. Cyprianus ep. 65 ad Cæcil. p. 100 ed. Rigaltii Par. 1666, S. Hieronymus Comm. in cap. 14, S. Marci col. 325 opp. t. 11 ed. Vallarsii Veronæ, S. Cæsarius Arelatensis Hom. 7 in Biblioth. PP. t. 8 p. 326 ed. Lugdun., Concilium Carthaginense III can. 24 t. 2 col. 1405, Aurelianense IV can. 4 t. 5 col. 1565, Trullanum can. 62 t. 7 col. 1562, apud Labbæum ed. Ven. Ex quo intelligi-

tur, quam graviter desipiant Calviniani, et Lutherani, qui hunc ritum aquæ vino admiscendæ in Eucharistia inter humana commenta, ac recentes traditiones referunt. Quamquam tamen aquæ cum vino commixtio sine mortali peccato prætermitti non possit, ea tamen si desit, constare sacramentum, docet Catechismus Romanus l. c. §. 17. Ceterum quæstio est, quæ sæculo XII. excitari cœpit, num aqua in Christi sanguinem, an primum in vinum, deinde in sanguinem convertatur. Vide Drouvenium de Re Sacrament. l. 4 q. 2 c. 3 §. 4.

46. Verba, quibus consecratur panis, hæc sunt: *hoc est corpus meum*: vinum autem consecratur his verbis: *hic est calix sanguinis mei, novi, et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (1). Munus Ministri, qui Eucharistiam administrat, in ea consecranda, ac distribuenda positum est. Eucharistiam consecrant soli Sacerdotes, non item inferiores clerici, multoque minus laici; quoniam Christus hanc potestatem tantum Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus concessit (2). Num plures simul Sacerdotes conficere Eucharistiam possint, ab antiquis Scholasticis disputatum est; sed id diu à Latinis factum, et nunc etiam à Græcis fieri constat (3). Quin apud nos manent adhuc vestigia antiquæ consuetudinis in Presbyterorum, atque Episcoporum ordinationibus.

(1) Num in forma, qua consecratur calix, ad vim sacramenti tantum necessaria sint verba *hic est calix sanguinis mei*, an etiam cetera requirantur, vetus quæstio est, de qua vide Jueninium de Sacram. Diss. 4 q. 5 c. 5, et Drouvenium de Re sacrament. lib. 4 q. 5 cap. 5. Quamquam autem Christus voluntatis imperio Eucharistiam consecrare potuisset, revera tamen evangelicis verbis ex pane, et vino suum corpus, et sanguinem confecisse, docet D. Thomas in Summa part. 5 q. 78 art. 1 ad 1, quem Theologi fere omnes sequuntur.

(2) Concilium Lateranense IV. cap. 1 t. 7 col. 17 collect. Harduini, et Tridentinum sess. 22 cap. 1 et can. 2 de Sacrific. Missæ. Lutheri somnium est, omnes Christianos jure divino esse sacerdotes, et omnes, præsertim cum id necessitas postulat, Eucharistiæ conficiendæ habere potestatem. Absurdam hanc doctrinam, et ceteros, qui ab ea dissimiles non sunt, errores Gnosticorum, Montanistarum, Collyridianorum, Waldensium, Calvinianorum late refutant Theologi, atque inter ceteros Drouvenius l. c. q. 4 cap. 1. Celebrem Tertulliani locum, in quo omnes Christiani sacerdotes esse, et omnes offerre dicuntur, accurate inter ceteros expendunt Albaspinæus de ministr. Eucharist. lib. 1 cap. 8, Herminierus de Sacram. t. 2 cap. 19. Benedictus XIV. de Sacrific. Missæ sect. 1 cap. 15.

(3) Vetus sane hæc erat Latine, et Græcæ Ecclesiæ consuetudo, quam pluribus monumentis confirmant Morinus de Sacr. Ordinat. par. 5 exerc. 8 cap. 1, Card. Bona Rer. liturg. lib. 1 c. 18 §. 9 p. 21 t. 1 ed. Taur. 1749, Martenius de Antiq. Eccl. rit. lib. 1 c. 5 art. 8 §. 1 et seq. p. 119 t. 1. ed. Antwerp. seu Ven. 1765. Eam apud Latinos desiisse suspicatur Bona l. c.

p. 22, cum late diffusis Ordinibus Mendicantium, multiplicata sunt onera missarum, atque ideo necesse fuit singulos Sacerdotes, ut iis satisfacerent, singulis diebus privatum celebrare. Nimirum ea res tota pertinet ad disciplinam, quam, salva fide, ab Ecclesia mutari posse, nemo catholicus inficiabitur. Vide etiam Dominicum Georgium de Liturg. Rom. Pont. in princ. t. 5, et Catalanum in Pontific. Roman. par. 1 tit. 12 §. 17 p. 140 et seq.

(N. S. Syn. Tolet. VII Can. 2 constituit, ut si Sacerdoti ægritudinis cujuslibet accidat eventus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri ministerium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri consecrationem exsequi officii cœpti. Non enim aliud ad supplementum sui initialis ministerii competit, quam aut incipientis, aut subsequenti completa benedictio Sacerdotis. Idque etiam si Episcopus, vel Presbyter consecrationem perficiens, jejunos non sit. Quod quidem postea Missalis Romani Rubricis adjectum est, de Defect. in celebr. Miss. §. 10 n. 5, et Synod. Tolet. XI Can. 14, ut pro casu quo Sacerdos turbatus fuerit, vel ad terram elisus, è tergo semper habeat, qui ejus vicem exsequatur intrepidus.)

De hoc proposito V. Card. Gousset Theolog. Moral. tract., Paris. edit. 1855, tom. 2 pagg. 203 et seqq.\*

47. Eucharistiam à Sacerdote consecratam etiam Diaconi distribuere possunt. Quamquam enim jus ordinarium eam distribuendi sit penes ipsum, qui consecrat, non id tamen ita necessario pendet ab ordine sacerdotali, ut non etiam aliis committi possit. Et olim quidem Diaconi Eucharistiam populo tribuebant (1); verum id in Occidente præstabant, si necessitas urgeret, autque abesset Presbyter, aut juberet (2). Nunc soli Sacerdotes Eucharistiam administrant; et ejus quidem rei jus proprium, atque ordinarium Episcopi, ac Parochi est, ceteri Sacerdotes ex alterutrius delegatione id præstant (3). Sed jampridem eo jure utimur, ut omnes Presbyteri Eucharistiam præbeant, atque ita jus Parochorum ad viaticum, et paschalem communionem reductum est.

(1) S. Justinus Apol. 1 n. 65 et 67 p. 83 ed. Paris. 1742. Concilium Nicænum can. 18 tit. 1 col. 1551 collect. Harduini.

(N. S. Ex quo desiit communio laicorum sub specie vini, Diaconi ea prærogativa privati sunt; id quod sæculo XII vergente, et XIII ineunte contigitis videtur. Adhuc tamen sequenti temporibus nonnihil amissæ prærogativæ vestigiū retinuisse visi sunt Diaconi; quippe qui, absente Sacerdote, Eucharistiam infirmis ministrare potuerunt, ex concessione Andrea Albalati in Constit. Synod. Valent. an. 1255 Const. de Corpore Jesu Christi.)

(2) Auctor constit. Apostol. lib. 8 cap. 28 apud Cotelerium PP. Apost. t. 1 p. 416 ed. Amstelæd. 1724. Concilium Carthagineense IV. Can. 58 col. 1440 t. 2, et Arelatense II. Can. 15 col. 4 t. 5 coll. Labbæi, Gelasius I. Ep. 9 ad Episc. Lucaniae cap. 8 col. 516 eod. tit. 5. Quin propter gravem aliquam necessitatem minores quoque clericos, atque etiam laicos Eucharistiam tribuisse, constat ex martyrologiis Bedæ, Adonis, Usuardi, atque ex Eusebio Hist. lib. 6 cap. 44 p. 318 ed. Valesii Cantabrig. 1720. Ac formidolosis illis

temporibus, quibus ethnici imperio potiebantur, laicos consecratum panem in domos suas detulisse, ut eo clam sumpto sese contra tyrannos instruerent, testatur Tertullianus lib. 2 ad Uxorem cap. 5 p. 169 ed. Rigaltii Paris. 1675. Quem morem etiam post pacem Ecclesie redditam obtinuisse, demonstrant S. Hieronym. Ep. 48 ad Pammachium n. 15 col. 225 t. 1 ed. Vallarsii Veron. 1754. S. Basilius Ep. 95 ad Cæsar. p. 186 opp. t. 5 ed. Maur. Paris. 1750. S. Zeno lib. 1 Tract. 5 p. 60 t. 1 ed. August. Vindelic. 1758. In suas autem domos Christiani deferebant Eucharistiam aut linea syndone, vel sacculo involutam, aut arca lignea inclusam, quod observant Fratres Ballerini in S. Zenon. lib. 1 tract. 14 p. 115 t. 1 cit. ed. Nunc apud Latinos non modo Dominicum corpus, sed sacra etiam vasa laici contrectare prohibentur. Nemo tamen dubitat, quin nunc etiam laicis hæc facultas dari ab Ecclesia possit; et certe S. Pius V. Mariæ Stuartiæ Scotorum Reginæ, cum ab Elisabetha Anglorum Regina catholicis infensissima carceribus detineretur, concessit, ut manu propria Eucharistiam sumeret.

(5) Hinc in Clem. 1 de Privileg. excommunicantur Regulares, qui sine speciali Parochorum venia Eucharistiam præbent.

48. Suscipere Eucharistiam possunt Christiani omnes, qui justi, ac digni habentur (a); et olim quidem tum apud Latinos, tum apud Græcos obtinuit consuetudo, ut etiam infantibus post Baptismum Eucharistia tribueretur (1). Sed quamquam id probabili ex causa factum fuerit, nonquam tamen Ecclesia infantibus rationis usu carentibus Eucharistiam necessariam iudicavit (2); et Latini jampridem ab ea consuetudine recesserunt (3), quam tamen Græci adhuc retinent (4). Nunc igitur Latini Eucharistiæ participes non faciunt pueros, nisi ea mente, atque ætate sint, ut vim intelligant sacramenti; quod Episcopi, et Parochi iudicio æstimandum est (5). Perpetuo amentes Eucharistiam non sumunt; at si ante amentiam piam, et religiosam voluntatem ostenderit, in exitu vitæ eo sacramento donantur, nisi periculum vomitus, vel alterius indignitatis, et incommodi timeatur (6).

(a) Infideles, catechumeni, hæretici, Ecclesiar. censuris obstricti, ac generatim notorii quippe peccatores, uti publici usurarii, homicidæ, blasphemæ, concubinarij etc. à sacro convivio arcendi sunt: neque enim fas est sanctum dare canibus, aut projicere margaritas ante porcos: II Syn. Prov. Neap. Tit. 3 cap. 4: *Curatus enim nulli Eucharistiam in peccato mortali publice perseveranti ministret, occulto autem peccatori publice non neget, instar Christi, buccellam Judæ proditori tradentis*: Synod. Tolet. an. 1525 Cap. 14. Quod vero ad publicos peccatores spectat, satis non est, ut sint sacramentaliter confessi, verum et requiritur, ut publico scandalo satis fecerint: *Occultos autem peccatores, si occulte peccant, et non eos emendatos agnoverit, repellat*. Ritual. Roman. de Sacr. Euchar.

*Mortis supplicio perituris Eucharistiæ Sacramentum non est subtrahendum, ait I Synod. Provinc. Neap. Porro ante diem, quo mortis supplicium subiturus est reus, Eucharistia ei conferatur, vel saltem mane ejusdem diei, quo ad mortem trahendus est; nullique dubium sit ad id de*

jure Parochos teneri. Idem habet V Syn. Prov. Mediol. Const. 10. Eadem praxis viget quoque in universa Italia, et Germania: at contra in Galliis, et in Hispaniis reis ultimo supplicio damnatis, etiam pœnitentibus, contritis, ac confessis, Eucharistia non conceditur: Gaspar Juenninus *Instit. Theolog. de Sacrament. Dissert. 4 cap. 5.* (N. S.)

Adserit Selvagius; neque in Hispaniis etiam, necis sententia damnatis Eucharistiam concedi, idque proferens Juennini testimonium; verum (tanti viri venia dixerimus) deceptus placet est. Juenninus quippe, loco citato, Dominici Soto auctoritate nixus, obtinuisse olim in Hispania, non ait obtinere nunc, quod SS. Eucharistiæ Sacramentum extremo supplicio puniendis negaretur. Quinimmo Silvium, aliosque contrariæ nunc usitatae consuetudinis testes adducit. Porro etsi Alphonsus Sapiens *Leg. 7 Tit. 15 Part. 1*, capitali pœna plectendis, si petierint, Eucharistiam conferendam esse decrevisset, Lex tamen ista vel ad praxin redacta non est, præsertim quum aliquibus in grave Ven. Sacramenti dedecus cadere visum esset, quod ob atrociora crimina damnatis traderetur, uti Andree Albalati in præf. Constit. de Corpore Jesu Christi §. fin., vel Soti ævo jam exoleverat.

Neque miretur quispiam, Hispaniam nostram, Eucharistiam id genus hominibus denegasse. Sciat oportet, Synodum Illiberitanam spem omnium viti, pacis, reconciliationis, communionis, etiam in fine vitæ recipiendæ, gravissimorum patratibus criminum abstulisse. Sicut quoque Synodum Braçar. I. Cap. 16, alias *Can. 52*, constituisse, quod de his, qui pro suis sceleribus puniuntur, nulla fieret commemoratio, neque eorum cadavera eum psalmis ad sepulturam deferrentur. Et quamvis Syn. Wormat. an. 868, *Can. 10*, in contrariam abierit sententiam; pristinum tamen Hispania morem maluit retinere.

Verum duodecim annis ab edito Dominici Soto volumine I in IV *Sententiarum*, anno videlicet 1557, ex ejus *Distinct. XII Q. 1 art. 11* notitiam hauserat Juenninus, Philippus II mox editam Pii V Constitutionem, qua sancitum erat, ut reis sanguinis sententia damnatis SS. Corporis Christi Viaticum tribueretur, sua confirmandam sanctione decrevit, die 27 Martii an. 1569 quæ inserta est *Lege 4 Tit. 1 Lib. 1 Novis Compil.*; ac ex tunc nullum unquam Hispania reum Eucharistia privavit, sed eisdem prælie quam ad necem adueantur, confertur. Quæ quum ita sint, mirari subest, quod exteros ut plurimum scriptores omnes (si paucos excipias) et præcipue Selvagium Neapolitanum hominem, mores; eique non recens invecti in Hispania, latuerint. *Ex Selvag. Adnotat.*

(1) S. Cyprianus de Lapsis p. 94. ed. Amstelæd. 1700, Auctor constit. Apost. lib. 8 cap. 15 apud Coteleriam PP. Apostol. t. 1 p. 409 ed. Amstelædami 1724, S. Dionysius, potius Auctor Eccl. hierarch. c. 7 §. 11 p. 417 ed. Antwerp cit., S. Augustinus Ep. 98 ad Bonif. t. 2 col. 265 de Peccator. merit. lib. 4 c. 20 col. 15 et 16 t. 10, et Sermon. 172 c. 6 col. 354 t. 5 ed. Maur. Ven. 1751, S. Innocentius I. Ep. 50 ad PP. Conc. Milevitan. n. 5 p. 898 apud Constantium Ep. Romanor. Pontificum.

(2) Concilium Tridentinum sess. 21 cap. 4 de Communion. et can. 4 ejusd. sess. Quod decretum impudenter hæretici carpunt, atque abutuntur potissimum Augustini, et Innocentii locis, ut suadeant, eos infantibus necessariam Eucharistiam agnovisse. Ex horum hæreticorum numero sunt Joannes Dallæus, quique ejus errorem sequuti sunt, Josephus Binghamus origin. eccl. l. 15 c. 4 §. 7 p. 391 et seq. t. 6 ed. Halæ Magdeb. 1759, et Petrus Zornius Hist. Euchar. Infant. Berolini edita an. 1756. Sed horum commenta graviter, et accurate sunt à catholicis, doctisque viris refutata.

Consule D. Thomam. lect. 7 in cap. 6 S. Joannis, Card. Toletum ad d. c. annot. 28. Natalem Alexandrum Hist. Eccl. sæc. 5 cap. 4 art. 5 §. 10 t. 5 p. 409 ed. Ven. 1776. Card. Norisium Vind. August. §. 4.

(5) Vigebat hæc consuetudo apud Latinos etiam XI. sæculo, uti patet ex Hugone à S. Victore de Sacram. l. 1 cap. 20 p. 1576 Bibl. PP. t. 40 ed. Paris., et Radulpho Ardente Sermon. in die Pasch. p. 171 terg. p. 1754, qui duo scriptores ea ætate floruerunt. Sed jam ævo suo antiquum morem desinere cœpisse, ipse Hugo tradit. Neque solum infantes statim post baptismum, sed et omnes innocentes pueri, tum in Oriente, ac præsertim Constantinopoli, tum in Occidente, potissimum vero in Galliis, Eucharistiæ participes fiebant, si quando multæ Dominicæ corporis particulæ superessent. Evagrius lib. 4 hist. Eccl. cap. 56 p. 416 ed. Valesii Cantabr. 1720, Nicephorus Callixtus Hist. eccl. lib. 17 cap. 25 t. 2 p. 772 ed. Paris. 1650, Gregorius Turonensis de Glor. martyrum lib. 1 c. 10 col. 752 ed. Paris. 1699, Concilium Matisconense II. can. 6 apud Labbæum r. 6 col. 675 ed. Ven.

(4) Consule Arcudium de Sacram. Euchar. lib. 5 c. 11, et Janum Nicium Erythræum Epist. 24 lib. 7.

(5) Catechismus Romanus par. 2 cap. 4 num. 62 et 65. Consule Benedictum XIV. Constit. Etsi minime 42 §. 9 p. 68 t. 4 ejus Bullar. ed. Rom seu Ven. 1754, et de Synod. Diœces. lib. 7 cap. 12, qui ea de re copiose disputat.

A XII ad XIV annum, pro judicio et prudentia Confessoris, Eucharistia recipiatur. Syn. Valent. an. 1565, ses. 2, tit. 2, cap. 15.

(6) Catechismus Romanus l. c. n. 64, S. Thomas in Summa part. 5 q. 80 art. 9.

49. Eucharistia non nisi à jejunis sumenda est (1), exceptis ægrotis, quibus non jejunis datur viaticum (2), cum in vitæ discrimine versantur. Nullum quidem ea de re divinum præceptum est: quin Christus Apostolis cœnatis suum corpus, et sanguinem dedit. Verum id ipse fecit peculiaribus, gravibusque de causis, neque Ecclesiæ ademit facultatem stabiliendi jejunii, quod stabilivit (3), et quo aliquem solvere unus Romanus Pontifex justis ex causis potest (4).

(1) De hoc jejuniis, quod à dimidia nocte usque ad tempus, quo Eucharistia sumitur, servandum esse constat, late agit Benedictus XIV. de Synod. diœces. lib. 6 c. 8.

(2) Viaticum ab antiquis scriptoribus Ecclesiasticis appellatur quicquid Christianos munire posset, cum ex hac vita migrabant; ideoque eo nomine non Eucharistia solum, sed etiam Baptismus, Confirmatio, Absolutio, Extrema unctio continebatur, uti ostendit Alhaspinæus Observ. lib. 1 c. 11 p. 27 et seq. ed. Neap. 1770. Ita in Concilio Nicæno c. 15 t. 1 col. 550 collect. Harduini, ultimum, et maxime necessarium viaticum, quod pœnitentibus ex vita excedentibus tribuitur, est absolutio, non Eucharistia; et Concilium Vasense I. can. 2 t. 1 col. 1787 collect. Harduini ed. Paris. memorat generatim sacramentorum viaticum. Sed nunc ejus vocabuli significatio angustior est, ac designat Eucharistiam, quæ morientibus datur.

(3) Late hoc argumentum persequitur Augustinus Ep. 54 ad Januar. c. 6

col. 126 t. 2 ed. cit. ubi postquam inquit: *liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus, et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos: postremo addit: numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod à jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui S., ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi.* Vide etiam S. Thomam in Summa par. 5. q. 80 art. 3, Nicolaum I. in Respons. ad consulti. Bulg. c. 65 t. 5 Concil. col. 575 coll. Harduini, Card. Bonam rer. liturg. l. 1 c. 21 §. 1, ibique Salam in Not. t. 2 p. 408 ed. Taur. 1749.

(4) Confer Benedictum XIV. Const. 55 t. 4 ejus Bullarii p. 248, ed. Romæ seu Ven. 1758, ubi Jacobo III, M. Britannia Regi, post tenuem cibum valetudinis causa sumptum, facultas Eucharistiæ suscipiendæ conceditur. Ceterum in Sacramentario S. Gregorii col. 75 opp. t. 5 ed. Paris. 1705, pueris, qui lac ob necessitatem suxerant, Eucharistia permittitur; quod etiam habet Ordo XV. Ecclesiæ Apantiensis apud Martenium de Antiq. Eccl. rit. l. 1 c. 1 art. 18 t. 1 p. 75 ed. ind. Ordo autem Romanus à Mabillonio descriptus t. 2. Musei Italici num. 46 p. 28, lactentes pueros tantum ante unam horam, quam Eucharistiam capiant, jejunos esse jubet. Quin etiam feria V. in Cœna Domini Eucharistiam in Ecclesiis quibusdam à non jejunis sumi consuevisse, constat ex can. 29 Concilii Carthaginensis III. apud Labbæum t. 2 col. 1405 ed. Ven., qua de re rogatus S. Augustinus Ep. 54 ad Januar. cap. 5 col. 126 t. 2 cit. ed., respondit, servandam esse locorum consuetudinem. Verum mos ille dandæ pueris Eucharistiæ jampridem antiquatus est, et illa, quam memoravi, consuetudo quarundam Ecclesiarum, dandæ non jejunis Eucharistiæ feria V. in cœna Domini, Ecclesiæ lege sublata est. Vide Jueninium de Sacrament. diss. 4 q. 8 art. 2 §. 1.

50. Olim fideles, qui sacrificio intererant, quotidie (1), atque, ut plurimum, sub utraque specie panis, et vini, Eucharistiam accipiebant (2). Sed nullum unquam ea de re præceptum fuit; et certe sub una tantum specie integrum sacramentum suscipi, catholica fides docet (3). Imminuta etiam christianorum charitate, quotidiana illa communio sensim desiit; ac denique necessitas suscipiendæ Eucharistiæ præcipuis quibusdam anni diebus ab Ecclesiâ imposita est. Primum ter in anno, hoc est, in Natale Domini, in Paschate, in Pentecoste (4); postremo semel, hoc est saltem in Paschate, Christiani omnes Pœnitentiæ, et Eucharistiæ sacramenta accipere jussi sunt (5).

(1) Quod ostendit illud Lucae Act. II. 42 de primis Christianis: *erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus;* quod de Eucharistica Communionè Patres intelligunt. Omnes, qui sacris mysteriis intererant, Eucharistiam suscipiebant. Justinus Apol. 11 n. 65 p. 85 ind. ed. Paris., Cyprianus de Orat. p. 192 ed. Paris. 1666, Autor lib. de Eccles. hierarch. cap. 5 §. 12 p. 290 t. 1 ed. ind.; et canone 10. Apostolorum apud Cotelerium PP. Apostol. p. 415 t. 1 cit. ed. damnantur fideles, qui ingrediuntur Ecclesiam, et scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt,



quem canonem explicans de frequenti communione, late disputat Beveregius in cod. canon. Eccl. primit. lib. 2 cap. 3 p. 80 t. 2 apud eundem Cotelierum l. c. Quin sua etiam atate quotidianam communionem Romæ viguisse, testatur Hieronymus Ep. 43 ad Pammachium n. 15 col. 225 opp. t. 1 ed. Vallars. Ver. 1754; quod, ipse inquit, non reprehendo, nec probo. Hieronymo antiquior, Didymus Alexandrinus de Trinit. lib. 3 c. 21 p. 598 ed. Bononiæ 1769, morem eundem memorat Ecclesiæ Alexandrinæ, vocatque Eucharistiam *desideratissimum Pascha*, quoniam fideles hoc sacramentum summo desiderio appetebant. Augustinus autem Ep. 521 col. 125 t. 2 ed. Ven. cit. variam ea de re Ecclesiarum consuetudinem demonstrat.

(2) Antiquitus Christianos, ut plurimum, sub utraque specie Eucharistiam accepisse, patet ex Apostolo I. ad Corinth. XI 26 seq., Justino Martyre l. c., Cypriano ep. 57 p. 255 ed. Amstelædami, Cyrillo catech. 523 n. 21 et 22 p. 552 ed. Paris. 1720, Chrysostomo hom. 82 in Matth. p. 788 t. 7 ed. Montfaucon. Paris.; Leone M. sermon. 41 c. 5 p. 111 opp. t. 1 ed. Rom. 1755, Zenone lib. 2 tract. 58 p. 251 et tract. 55 p. 280 t. 1 ed. August. Vindelic. 1758, aliisque compluribus. Ut plurimum, inquam; nam sæpe sub una tantum specie Eucharistiam datam constat, unde intelligitur, id semper Ecclesiam ratum habuisse, quod nullum sit præceptum, quo laici, et clerici sacrificium non conficientes, Eucharistiam sub utraque specie accipere compellantur. Revera ad ægrotos in lecto decumbentes sub una tantum specie Eucharistia plerumque deferebatur; atque ita eam Serapionem, et Ambrosium accepisse, tradunt Dionysius Alexandrinus apud Eusebium hist. eccles. lib. 6 cap. 44 p. 518 ed. Valesii Cantabrig. 1720, et Paulinus in Vit. Ambros. n. 47 opp. Ambros. t. 4 col. 15 ed. Ven. indic. Similiter pueris infantibus, ut plurimum, sub una specie dabatur sacramentum, et fideles, qui, ethnicis dominantibus, Eucharistiam domi servabant, solum accipiebant panem, quem unum memorant Patres, ac nominatim Tertullianus lib. 2 c. 5 ad Uxor. p. 169 ed. Rigaltii Paris. 1675, non autem vinum, quod facile corrumpitur. Quin etiam in publicis conventibus diu fideles sub una panis specie Eucharistiam suscepisse die Parasceves, ex Ordine Romano manifestum est. Euseb., ac diligenter ea de re contra Protestantibus disserit Bossuetus duobus libellis, quorum alteri titulus est *de Communione sub utraque specie*, alteri *defensa traditio de Communione sub una specie*. Vide etiam Selvagium Antiq. Christian. lib. 3 c. 9, Drouvenium de Re sacrament. lib. 4 q. 3 cap. 2, et Juvenium de sacrament. diss. 4 q. 9 art. 2. In primis autem consulendus est doctissimus Cardinalis Garampius, qui in egregio opere, cui titulus: *Memorie della B. Chiara di Rimini*, diss. 5 p. 177 et seq., tum de quotidiana communionis, tum de Eucharistiæ sub utraque specie accipiendæ usu copiose, et præclare disputat. Ac gravissimas quidem habuit Ecclesia causas, propter quas communicandi consuetudinem sub altera tantum specie, non solum approbaret, sed etiam decreti auctoritate firmaret, easque numerat Catechismus Romanus par. 2 cap. 4 §. 66. Etate S. Thomæ adhuc in quibusdam Occidentis Ecclesiis consuetudo accipiendi sub utraque specie Eucharistiam perseverabat; uti patet ex ejus Summa par. 3 q. 80 art. 12. Græci tamen hanc consuetudinem nunc etiam retinent, atque eam permittendam censuerunt Concilium Florentinum, Leo X. in constit. Accepimus, et Clemens VII. in constit. Provisionis nostræ apud Guerram Pontificiar. constit. epitom. t. 2 p. 506. Confer Leonem Allatum adnot. 1 de eccles. occident. atque orient. consens., et Arcudium concor. occident. et orient. lib. 3 cap. 4. Italo-Græcis hæc consuetudo integra relinquitur à Benedicto XIV. in const. Etsi pastoralis 57 §. 6 p. 106 n. 15

t. 1, et const. Allatæ sunt 47 §. 25 t. 4 ejus Bullarii p. 185 ed. Rom. seu Ven. 1758.

(3) Concilium Tridentinum sess. 21 cap. 1 et 2 de Communion. Quod etiam antea docuerat Synodus Constantiensis sess. 15 apud Labbæum t. 16 conc. col. 218, quæ jam ante istud tempus diutissime illam consuetudinem communicandi sub una specie, ab Ecclesia observatam fuisse, testatur.

(4) Concilium Agathense, habitum VI. sæculo, can. 18 col. 1000 t. 2 collect. Harduini ed. Paris., Sæculares, inquit, qui Natali Domini, Pascha, et Pentecoste non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur. Eadem habet Synodus Turonensis III. habita IX. sæculo, can. 50 col. 1050 t. 4 collect. Harduini. Falso Gratianus Agathensem canonem Concilio Eliberitano, ac Turonensem Fabiano Pontifici adseribit, can. 19 et 21 dist. 2 de consecr.: nam hæc disciplina multo post Eliberitanum concilium, ac Fabianum Pontificem inducta est.

(5) Concilium Tridentinum sess. 13 can. 9 de Eucharist. quo decreto confirmatus est canon concilii Lateranensis in cap. 12 de Pœnitent. et remission. Hic autem canon *Omnes utriusque sexus fideles*, saltem semel in anno proprio Sacerdoti sua peccata confiteri, et Eucharistiam suscipere jubet. Quæsitum est, quis proprius Sacerdos haberi debeat, et omnes fere consentiunt, proprium Sacerdotem, cui sua quisque crimina semel in anno aperire debet, et à quo sacramentaliter absolvendus est, esse Parochum; salva tamen Summi Pontificis in toto orbe Christiano, et Episcoporum in suis diocesis auctoritate, qui et eam exercere ipsi possunt, et aliis sacerdotibus exercendam committere. Quare non tantum qui proprio paroco, sed etiam qui aliis Sacerdotibus à Summo Pontifice, aut Episcopo delegatis, sua confitentur crimina, Ecclesiæ præcepto satisfaciunt. Confer Natalem Alexandrum Dissert. de sensu Canonis Utriusque sexus in Thesaur. Theologic. t. 11 opuse. 9 p. 548 seq. Quod autem dicitur, ab omnibus Christianis Eucharistiæ sacramentum in Paschate esse accipiendum, id de hebdomada sancta, et octava Paschatis accipiendum est, Eugenius IV. in Bulla Fide digna 24 p. 55 t. 3 par. 5 Bullarii ed. Rom. ult.

(N. S. Non ubique ea viguit disciplina, ut quotiescunque Sacris interesset fideles, de SS. Christi Sacrificio participare cogerentur. Synodus enim Tolet. I. Can. 15, non in eos, qui Ecclesias ingressi, aliquando non communicarent, sed in eos tantummodo invehitur, qui nunquam communicabant; constat tamen in Hispania frequentissime, Dominicis præsertim, festisque diebus, ad Sacram Synaxim accedere consuevisse, et si duntaxat qui urbes vel nobilissima oppida incolebant, ubi Episcopus aderat, vel Presbyteri; quocirca Synod. Illiberit. Can. 21 eos tantum, qui in *Civitate erant positi*, Dominicis diebus Ecclesiam adire coegit. Quum enim ob Presbyterorum inopiam Vici quandoque Diaconis regerentur, ut indicat eadem Syn. Illiberit. Can. 77, qui eas inhabitabant, fideles, non nisi serius Missæ interesse, atque de Sacra participes fieri Communionem poterant. Neque ad veterem quotidianæ Communionis usum cum Roberto Sala in Notis ad Card. Bona loco cit. proferas Can. 28 Synodi Illiberit.; nos enim hujus disciplinæ nec minimum vestigium ex hujusmodi Canone, vel augurando, educere potuimus. Verum deinde tepescente charitate, sensim res eo delata est, ut plures Syn., à sæculo VI celebratæ, præcipue Agathen. an. 506 Can. 18, et Compost. an. 1056 Cap. 1, decreverint, laicos ter saltem per singulos annos communicare debere. Tandem, remisso per universum orbem petitis studio, Ecclesia veluti coacta est preceptum suum ad annuam Communionem restringere. Optaret

nunc Ecclesia pristinam illam revocare disciplinam, quæ fere ubique quondam vigeat, quod in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent: Trident. Sess. 22 cap. 6. Sed quum fieri non posse cognoscat in hac præsentis tempestate, satis visum est Hispaniarum Patribus, ut Parochi plebem sibi commissam sedulo doceant, quam salubriter hoc Sacramentum... mentem nostram reficiat, sustentet, ac roboret... et ad frequentem illius usum eos hortentur, et alliciant. Syn. Valent. Sess. 2 lit. 2 cap. 19. Diu et acriter de Sanctissimæ Communionis frequentia disceptatum est. Controversia ad Innocent. XI delata, tota res in prudenti Confessoriorum judicio tandem posita est. Caveant tamen Confessarii, ne summi negotium momenti liberæ ipsorum potestati, ac arbitrio relictum credidisse videantur. Id unum cogitent oportet, extrema nempe benignitatis, et rigoris, superstitionis, et impietatis vitanda. Recentiora Concilia nostra bis, aut ter in anno Clericos, et Sacris initiatos, nunc ter, nunc septies ad Eucharistiam percipiendam adstringunt. Videsis Compil. Tarracon. in *Const. Superfl. de Pœnit. Cap. 2 ex Lib. 5*; Syn. Hispal. an. 1512 *Cap. 24*; Valent. an. 1565 *Sess. 5 Tit. 5 cap. 5*. Syn. Trident. Sess. 25 de *Regul. cap. 10*, Moniales admonet, ut saltem semel singulis mensibus Confessionem peccatorum faciant, et Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant. Ex Syn. Valent. Sess. 2 *Tit. 2 cap. 20*, unusquisque in sua Parœcia annuæ Communionis præceptum adimplere debet, *alioqui ut præcepti Ecclesiastici transgressor habeatur*; quin et Syn. Tolet. an. 1565, *Aet. 5 de Ref. cap. 24* declarat, *neminem præcepto huic satisfacere, nisi à proprio Parocho, aut ab alio de ipsius Parocho, vel Ordinarii licentia, Sacramentum Eucharistiæ susceperit*. Idcirco nullibi nisi in Parochialibus Ecclesiis, Sacram. Communionem in Dominica Paschalis ministrandam, decrevit S. Rit. C. apud Benedict. XIV de *Syn. Diœces. Lib. 9 Cap. 16*.

Profecto ad annuæ Communionis præceptum implendum prima Paschalis dies communi jure adsignata creditur, idque satis aperte prodit ead. Syn. Tolet. *ibid.* Verum moribus jam pridem inductum est, ut ad alios etiam dies Paschale tempus protendatur. Non una est hodierna praxis in cunctis Hispaniarum Diœcesibus. Quædam sunt, in quibus tempus Paschale intelligitur à Dominica tertia, vel quarta Quadragesimæ ad Dominicam in *Albis*; sunt et aliæ, inter quas Toletana, in quibus Paschalis terminus inter Dominicam *Palmarum*, et Dominicam in *Albis* circumscribitur. Peculiaris, et laudabilis profecto est in nostro Regno usitata disciplina, atque eo fine à Synodis Provincialibus stabilita, ut nullus possit Parocho ignorante præceptum subterfugere. Male audiat, esto, apud exterorum aliquos hæc Hispaniensis Ecclesiæ consuetudo; nobis satius est decretis adherere Syn. Salmant. an. 1555 *Cap. 16*; Hispalens. an. 1512 *Cap. 7*; Valent. an. 1565 *Sess. 2 Tit. 2 cap. 14*; et Compil. Tarracon. *Lib. 5. Tit. 16 cap. 3*, quam legisimorum hominum cavillationes vel audire.

Oportet ut Parochi sint diligentes in administrando Sancta Sacramenta... exhortando, ac requirendo suos Parochianos infirmos, ut confiteantur, et sanctum Sacramentum Eucharistiæ recipiant: Syn. præf. Hispal. *Cap. 5*; ita ut Parochum, ob ejus culpam, et negligentiam sine Pœnitentia, et Eucharistia recedunt fideles, suo Beneficio perpetuo privandum, constituat Syn. Penna-fid. an. 1502 *Cap. 3*; ac ab Officio perpetuo, et Beneficio Syn. Salmant. *Cap. 16*.

Parochus, Sanctissimum Christi Viaticum ministraturus, incedat necesse est indutus superpelliceo mundo, et ad collum Orarium deferendo, velami-

ne etiam mundo supra Calicem (qui Pixidis loco erat) posito honorifice ante pectus, deferat cum omni reverentia, et cum Cruce, lumine præcedente, alteroque campanæ sonitum faciente, ut ex hoc apud fideles major devotio... augeatur... et singulis Christi fidelibus, adsociantibus Sanctum Christi Corpus, quum ducitur ad infirmos, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis in Domino relaxamus. Ita laud. Syn. Salmant. *Cap. 6*, quin et sæpius præf. Syn. Hispal. *Cap. 3*, injungit Parochis, ut quoties Ven. Sacramentum ad infirmos detulerint, post regressum ad Ecclesiam, declarent omnibus, qui illud fuerint comitati, qualiter fuerunt lucrati Indulgentias à Sanctis Patribus concessas, et ulterius Indulgentium quadraginta dierum, quam nos eis concessimus pro qualibet vice. Hispania enim nostra ceteris videtur præcelluisse Nationibus in fovenda fidelium pietate erga SS. Eucharistiæ Sacramentum. Videsis Collect. Jo. Teres *Lib. 3. Tit. 24 cap. 4*. Joannes I, Castellæ Rex, an. 1537, decrevit, ut omnes ad unum, ipse etiam Princeps, qui SS. Eucharistiæ Sacramento, dum deferretur ad infirmos, occurrerint, teneantur, dimisso ad humum, etsi conspirent, utroque poplite, Ven. Sacramentum adorare, ipsumque usque ad Ecclesiam comitari: *Leg. 2 Tit. 1 Lib. 1*. Novis. Compilat. Hoc est insigne Religionis exemplum. Dum enim subditi Supremam Regni Postestatem conspiciunt, de curru descendere, eum cedere Regi Regum Jesu Christo, ac deposita Majestate, pedestrem incedere, quasi vi quadam ad pietatem proculdubio stimulantur. Hoc excitatus exemplo, Supr. Castellæ Senatus, eundem à se cultum SS. Eucharistiæ Sacramento deferendum voluit, imposita sibi lege die 27 Maii an. 1711: *Sanct. 5 Tit. 1 Lib. 1* vulgo *Autos Acordados, not. 1. lib. 2 tit. 1*, Novis. Compilat.

51. Certis autem verbis ab ipsis Ecclesiæ primordiis Eucharistia dari consuevit, uti nunc etiam datur (1). Primum Episcopi, tum Presbyteri, deinceps Diaconi, ceterique inferiores Clerici, Monachi, Diaconissæ, Virgines, ac tandem laici, primum viri, postea mulieres (2); et clerici quidem intra, laici extra sanctuarium (3); atque omnes non flexis genibus, uti nunc, sed stantes, prono tamen capite, ac demissis oculis (4), Eucharistiam accipiebant. Cuncti lotis manibus, et facie accedebant (5); manumque excipiebant Christi corpus (6), sanguinem aut calamo subgebant, aut ex calicè ori admoto ebibebant, quin etiam interdum corpus sanguine intinctum porrigebatur (7).

(1) Auctor Constit. apostol. lib. 8 cap. 15 apud Cotelerium PP. Apostol. p. 409 t. 1 ed. Amstelædami cit., et S. Ambrosius de Sacram. lib. 4 cap. 5 n. 25 col. 467 t. 5 opp. ed. Ven. cit. describunt formulam, quæ ea tempestate adhibebatur, eaque erat: *Corpus Christi: sanguis Christi* Aetate S. Gregorii, uti testatur Joannes Diaconus in ejus *Vit. 1. 2 cap. 41* opp. S. Gregor. t. 4 col. 58 ed. Paris. 1705, formula his erat concepta verbis: *Corpus D. N. Jesu Christi conservet animam tuam*. Denique ævo Aleuini, uti ipse tradit de Sabbato S. Paschæ col. 259 *Bibl. PP. t. 10* ed. Paris. 1624, facta est formula ad hunc modum: *Corpus D. N. Jesu Christi custodiat te in vitam æternam*. At non eadem omnino ubique fuit. Recitata à ministro formula, Eucharistiam accipientes respondebant, *amen*. Auctor

Constit. Apostol. l. c. Cornel. P. apud Eusebium lib. 6 cap. 43 p. 515 indic. ed. Augustinus Contr. Faust. lib. 12 cap. 10 col. 251 t. 8 ed. Ven. cit. Leo M. Serm. 93 cap. 5 p. 265 opp. t. 4 ed. Romæ 1753, Cyrillus Hierosolymit. catech. 23 n. 21 p. 331 cit. ed. Paris. Sed jampridem apud nos receptum est, ut fideles Eucharistiam taciti accipiant.

(2) Auctor Constit. Apostolic. l. c.

(5) Concilio Toletano IV can. 18 t. 3 col. 584 collect. Harduini, sancitum est: *ut sacerdos, et Levita ante altare communicent, et in choro clerus, extra chorum populus.* In Africa etiam laici ad cancellos, qui chorum à populo separabant, Eucharistiam accipiebant: quod colligitur ex Augustino Serm. 392 cap. 5 col. 1506 t. 5 ed. Ven. cit. Neophitis tamen, uti constat ex eodem Augustino Serm. 224 cap. 6 col. 969 d. t. 5 cit. ed., beneficii loco permittebatur, ut ad altare accederent. In Mediolanensi Ecclesia laicos extra sanctuarium communicasse, demonstrat factum Ambrosii, qui Theodosium Imperatorem, sibi intra illud locum arrogantem, sanctuario prohibuit. Neque dissimilis fuit Græcorum consuetudo, uti colligitur ex Concilio Laodiceno can. 19 apud Labbæum t. 1 col. 1454 ed. Ven.; verum Imperatori datus est intra sanctuarium locus. Concilium Trullanum can. 69 col. 1579 t. 7 apud eundem Labbæum, Galli tamen etiam laicis ad altare communionem permiserunt, uti ostendunt Concilium Turonense II can. 4 col. 556 t. 6 apud eundem, Gregorius Turonensis Histor. Franc. lib. 10 cap. 8 p. 491 ed. Paris. 1699, Cæsarius Arelatensis Serm. 289 in Append. S. August. n. 5 opp. Augustin. t. 5 par. 2 col. 482 ed. Ven. indic.

(4) Hanc quidem fuisse, et nunc etiam esse Græcorum consuetudinem, manifestum est ex Cyrillo Catech. 123 n. 22 p. 552 ind. ed. Paris. atque ex libris ritualibus: Idem de Latinis non audeat affirmare Card. Bona Rer. liturg. l. 2 c. 17 §. 8 p. 595 t. 5 ed. Taurin. 1753; tantum monet, in missa solemnissimi Summi Pontificis Diaconum stantem communicare, omnino ex veteri ritu. Sed verisimile est, eandem Latinarum fuisse disciplinam. Confer Habertum in Not. ad Pontif. Græcor. p. 270, Valesium in not. ad Euseb. hist. l. 7 c. 9 p. 350 ed. Cantabrig. 1720, Thiersium in Gallie. diss. de Altaribus, Salam ad Bonam l. c. not. 5 p. 596.

(5) S. Jo. Chrysostomus Hom. 5 in ep. ad Ephess. p. 22 t. 11 ind. ed. S. Augustinus Serm. 17 c. 5 col. 96 t. 5 ed. Ven. ind. Eadem ratione mundissimas quisque vestes sumebat, cum ad Eucharistiam suscipiendam accederet; qua in re singulare est illud, quod legitur in vita S. Jonæ Monachi, apud Bollandum 11 Februar. l. 2 p. 520 ed. Antwerp. 1658, quod scilicet per annos octoginta quinque mundam servavit vestem, qua tantum Eucharistiam suscepturus induebatur.

(6) Dionysius Alexandrinus in ep. ad Xistum P. apud Eusebium Hist. eccles. l. 7 c. 9 p. 350 laud. ed. Cantabrig. Cyprianus de Lapsis p. 176 ed. Paris. 1666. Basilius Ep. 95 ad Cæsariam Patric. p. 187 opp. t. 5 ed. Maurin. Paris. 1750. Chrysostomus Hom. in diem natal. Dom. n. 7 opp. t. 2 p. 365, ed. Paris. cit. Damascenus de Fid. orthodox. l. 4 c. 13 opp. t. 1 p. 271 ed. Paris. ind. Augustinus contr. liter. Petilian. l. 2 c. 25 col. 253 t. 9 ed. Ven. ind. Ambrosius apud Theodoret Hist. eccles. l. 5 c. 18 p. 215 ed. Valesii Cantabrig. 1720. Cyrillus catech. 23 n. 21 p. 351 cit. ed. Paris. coneva manu, et sinistra dexteræ subjecta, Christi corpus suscipi jubet. Hoc autem viros inter, atque mulieres describen intercedebat, quod viri nudis manibus, mulieres linteo Eucharistiam excipiebant, uti patet et Cæsario Arelatensi Serm. 229 in append. August. n. 5 opp. Augustin. t. 5 p. 2 col. 376 cit. ed. Ven. et ex Concilio Antisiodorensi can. 36 apud Labbæum t. 6

col. 645 ed. Ven. Atque huc etiam canonem 42 ejusdem Concilii Antisiodorensis referendum putant Card. Bona Rer. liturgic. l. 2 c. 17 §. 3 p. 569 t. 5 ed. c. Martenius de Antiq. Eccles. rit. l. 2 c. 4 art. 10 p. 156 t. ed. Antwerp. seu Ven. c. aliique complures. Nam eo canone sancitum est, *ut unaqueque mulier, quando communicat, dominicalem suam accipiat.* Illi autem *dominicalem* interpretantur linteum mundum, quo subjecto mulieres Eucharistiam accipiebant. Sed cum ea de re Antisiodorenses Patres satis egissent can. 56, neque verisimile sit, eos actum agere voluisse can. 42, recte Baluzius, in Gratianum can. 19 caus. 25 q. 3, ostendit, *dominicalem*, cujus in eo concilio mentio est, fuisse tegmen, quo mulieres ad Eucharistiam accedentes caput operiebant. Porro non uno, et eodem tempore ubique desit mos Eucharistiæ manu excipiendæ. In Ecclesia Romana jam inde à sæculo VI. in os injectam Eucharistiam colligitur ex eo, quod narrat S. Gregorius M. Dial. l. 3 c. 3 col. 284 opp. t. 2 ed. Paris. 1705. Ibi enim refertur communi cuidam muto, et claudo distributa à S. Agapito, qui anno 555. Summus Pontifex creatus est, ac dicitur *corpus Dominicum in os misisse.* Similiter Rothomagensi concilio sancitum est, *ut nulli laico, aut femine Eucharistiam in manibus ponant* (Sacerdotes), *sed tantum in os ejus.* Integrum hujus concilii canonem describit Mabillonius Præf. 12, 4 part. sæc. 5. Benedictin. observ. 11 n. 76 p. 56 t. 5 ed. Ven. 1754, quem editum putat circa annum 880, quo ex tempore, inquit, abrogari cæpit mos ille Eucharistiæ manu excipiendæ, reservata tamen Diacono, et Subdiacono Dominici corporis tractandi facultate. Verum in Romana Ecclesia ante hanc ætatem Christi corpus in os mitti consuevisse, demonstrat Gregorii locus, quem paulo ante descripsi; nisi quis forte hoc singulare exemplum ducat, unde generalis consuetudo educi non potest. Consule Franciscum de Berlendis de oblation. ad altar. commun. § 5 p. 157.

(7) Postremum hunc modum rejecit Synodus Bracarenensis IV. can. 2 apud Labbæum t. 7 col. 579 ed. Ven., probavit autem Concilium Turonense apud Burchardum Dec. l. 5 c. 9. Et vero mos hic sæculo XII omnibus fere ecclesiis communis erat, uti patet ex epist. 2. Ernulfi Roffensis Episcopi ad Lambertum, apud Dacherium spicileg. t. 5 p. 471 ed. Paris. 1725. Confer Martenium de Antiq. eccl. rit. l. 4 c. 4 art. 10 §. 15 p. 157 t. ed. cit.

52. Eucharistia omnibus necessaria, qui eam suscipere possunt; atque in primis eos, qui ex hac vita migrant, tam salutari viatico instructos, et munitos esse oportet (1). Ergo hæc præsertim de causa, ne quis subita vi morbi correptus, sine hoc sacramento decedat, ejus in Ecclesia servandæ usus ab antiquissimo tempore inductus est (2). Labentibus annis Ecclesia nova voluit accedere nostræ venerationis argumenta adversus admirabile sacramentum, quod cum vere contineat gratiarum fontem uberrimum, Christum Jesum, eo modo, quo Deum, colere, ac revereri debemus. Nam institutus est peculiaris dies festus Corporis Christi, et supplicationis genus, quod *processionem* dicimus, et mos inductus, ut Eucharistia publice fidelibus adoranda proponatur (3).

(1) *Duplex est modus, inquit D. Thomas in Summa par. 3 q. 80 art. 11, percipiendi hoc sacramentum, spiritualis, et sacramentalis. Manifestum est autem, quod omnes tenentur, saltem spiritualiter, manducare; quia hoc est Christo incorporari. Spiritualis autem manducatio includit votum, seu desiderium percipiendi hoc sacramentum; et ideo sine voto percipiendi hoc sacramentum, non potest homini esse salus.* Confer etiam Drouvenium de Re sacram. l. 4 q. 8. c. 1.

(2) Samuel Basnagius, Calvinianus homo, annal. t. 2 ad An. 209 p. 255 n. 5, consuetudinem Eucharistiæ in Ecclesia servandæ recentiorum esse arbitratur. Sed Basnagium solide, graviterque refutat Robertus Sala ad Bonam rer. liturgic. l. 2 c. 47 §. 6 not. 1 p. 379 et seq. t. 5 ed. Taur. 1753; atque hujus quidem religiosæ consuetudinis antiquitatem ipse etiam agnovit hæreticus homo Josephus Binghamus orig. eccles. l. 15 c. 4 §. 41 p. 409 t. 6 ed. Halæ Magd. 1754. Mitto antiqua testimonia, quæ pene innumera sunt, quæque viri docti collegerunt; tantum indicabo præclarum locum Cyrilli Alexandrini ep. ad Calosyrium advers. anthropomorphitas p. 365 t. 6 ed. Lutet. Paris. 1656. Porro, inquit, alios etiam esse audio, qui *misticam benedictionem* (hoc est, consecrationem) *nihil ad sanctificationem juvare dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt vero qui hæc asserunt. Neque enim alteratur Christus, neque Sanctum ejus Corpus immutatur (dum species manent), sed benedictionis eis, ac facultas, et vivificans gratia perpetuo in ipsa existit.* Erat autem receptaculum spiritualis alimonie, hoc est, Eucharistiæ, uti loquitur Ambrosius Ep. 4 ad Felic. opp. t. 3 col. 792 ed. cit., vas ad instar columbæ, vel turris, ut plurimum, elaboratum, quod aut in præcipuo, aut peculiari altari servabatur. Gregorius Turonensis de Glor. martyr. c. 86 col. 818 ed. Paris. 1699. Concilium Constantinopolitanum sub Menna Act. 5 col. 1519 t. 2 collect. Harduini ed. Paris. Interdum etiam Eucharistiâ pone majus altare ad summum Ecclesiæ parietem, ara non supposita, in vasculo patente retinebatur. Paulinus ep. 32 ad Sever. col. 497 ed. Muratorii, Veronæ in Baptisteriis supra fontes in pixide, quæ columbam representabat, servatam docet Eucharistiam, quam recenter baptizati accipiebant. Consule Mabillonium Comment. ad ordin. Roman. c. 20 p. 159 t. 2 ed. Par. 1689, Martenium de Antiq. Eccles. ritib. l. 1 c. 5 art. p. 251 ed. laud., Chardonium Histor. sacram. l. 5 c. 15. Supra altare autem Eucharistiâ *non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo*, ut inquit Synodus Turonensis II can. 5 apud Labbæum t. 6 col. 536 ed. Ven., nimirum non quovis loco, et cujusvis arbitrio, sed in medio altari, et sub crucis titulo posita esse debebat. Sic enim interpretor hunc canonem, qui erulitorum torquet ingenia, neque assentior doctissimis viris Sirmondo, et Mabillonio, qui alias hujus canonis interpretationes ediderunt. Illud hoc loco animadvertendum est, Eucharistiam in Ecclesiis non parochialibus sine venia Sedis Apostolicæ retineri non posse. Benedictus XIV constit. Quamvis justo 7 §. 24 p. 58 t. 5 ed. Rom. seu Ven. 1754. Confer Cardinalem Petram in const. Apostol. ad const. I Urbani IV sect. un. n. 29 t. 3 Et quoniam facta mentio est antiquissimæ consuetudinis Eucharistiæ in Ecclesia servandæ, pauca dicenda videntur de celebri, quæ non multis ab hinc annis exarsit, controversia, num scilicet recte administratur Eucharistiâ ex præconsecratis, an omnino ex sacrificio cum præsentibus communicandum sit. Nam anno 1737, cum Græme Episcopatum teneret Cardinalis Calinus, Josephus Guerrerius, cathedralis Ecclesiæ Canonicus, contendere cœpit, Fideles in ipsa Missa post Sacerdotem Eucharistiam accipere oportere, improbandam autem esse consuetudinem accipiendi extra sacrifici-

rium communionem ex præconsecratis. Ut omnis hæc controversia dirime retur, à Benedicto XIV. die 15. Novembris an. 1742 edita est constitutio Certiores 64 t. 4 ejus Bullarii p. 129 ed. Rom. seu Ven. 1754. In ea declarat Pontifex, quod pridem expresserat Synodus Tridentina, optandum quidem esse, *ut in singulis Missis Fideles adstantes, non solum spiritali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior perveniret; statuit tamen, nullam esse necessitatem, qua Sacerdotes missam celebrantes Sacram Eucharistiam omnibus petentibus infra ipsam actionem ministrare cogantur, neque improbari posse consuetudinem communicandi ex præconsecratis, cum id pro tempore, loco, et personis opportunum judicetur.* Nihil tamen minus Michael Maria Nannaronius Dominicanus anno 1770. Neapoli catechismum edidit, quo Guerrerii sententiam defendere conatus est; sed eum refutavit Dominicanus alter Josephus Maria Elephantes, edita Neapoli anno 1774 de hoc argumenti genere peculiari dissertatione. Nannaronius tandem rediit in bonam mentem; sed adhuc adversus consuetudinem distribuendi fidelibus Eucharistiam præconsecratam anno 1779. Patavii dissertationem edidit de *Incruenti novæ legis sacrificii communione*, Carolus M. Traversarius, ex Ord. Serv. B. M. V. Hanc Traversarii dissertationem, et Nannaronii catechismum damnavit Sacra Indicis Congregatio. Totum hoc argumentum accurate pertractavit Benedictus Vulpus libro Venetiis edito an. 1790, cui titulus: *Storia della celebre controversia di Crema sopra il pubblico divin. diritto alla Comunione Eucaristica nella Messa, con una dissertazione sullo stesso argomento.* Consule Franciscum de Berlendis de oblat. commun. §. 5 n. 8 p. 155 ed. Ven., R. Salam in notis ab Bonam rer. liturgic. l. 2 c. 20 §. 2 not. 2 p. 450 et seq. t. 5 ind. ed., Jo. Laurentium Bertium Theolog. discipl. l. 55 in Append. c. 21, Jo. Baptistam Gatticum de orator domest.

(3) Diem festum corporis Christi instituit Urbanus IV. in Bulla Transitus 19 t. 3 p. 1. Bullarii p. 414 ed. Rom. ult. Morem autem solemniter circumgestandi Dominicum Corpus memorant Gregorius Turonensis de Glor. martyr. l. 4 c. 86 cit. col. 818, et Concilium Bracarense IV. can. 6 apud Labbæum t. 7 col. 532 ed. Ven. Cuncta hæc accurate persequuntur Juenius de Sacram. diss. 4 q. 4 art. 4, Thiersius de Exposit. Venerabilis, Chardonius Histor. Sacram. l. 5 c. 14, 15, 16. Confer etiam Martenium de Antiq. Eccl. rit. l. 4 c. 29 t. 3 p. 196 ed. Antwerp. seu Ven. 1764, Benedictum XIV. Inst. Eccles. 5., Muratorium Liturgia Romana diss. de Reb. liturg. c. 24.

(N. S. Regulares nequeunt in suis Ecclesiis SS. Eucharistiam publice exponere, vel extra clausura circumferre, absque Episcopi venia. Syn. Valent. ses. 4, tit. 5, cap. 10, alias 12).

53. Non sacramenti solum rationem habet Eucharistiâ, sed etiam sacrificii; immo unum novæ Legis sacrificium est. Nam quoties illud Sacerdos conficit, toties Christus Dominus sine cruore immolatur, reditque memoria immensæ charitatis ejus, qui pro nostrum salute Deo Patri semetipsum in ara crucis obtulit. Differt *sacramentum à sacrificio*, quod illud consecratione perficitur; omnis vero sacrificii vis in eo est, ut offeratur (1). Deinde sacramentum, præter ceteras utilitates, meriti causam

affert iis, qui illud recte suscipiunt; sacrificium vim habet, non merendi solum, sed etiam satisfaciendi (2). Nam quemadmodum Christus Dominus in Passione sua pro nobis meruit, ac satisfecit; ita qui hoc sacrificium offerunt, quo nobiscum communicant, Dominicæ Passionis fructus merentur, ac satisfaciunt (3).

(1) Catechismus Romanus par. 2 c. 4 §. 71.

(N. S. Præcipuum Sacerdotum munus est SS. Corporis, et Sanguinis Christi consecratio. Sciant igitur oportet Sacerdotes, summam ab eis impendendam esse curam, ut qua fieri possit reverentia, Eucharistiæ Sacrificium peragatur. Unde Sacratissimam rem Sacerdos confecturus, sciens forte se lethali macula inquinatum, pœnitentiâ prius mundandus est, apud Confessarium; uti ante Trident. decreverat Syn. Tolet. an. 1525 Cap. 14; *cujus copia si desit, et necessitas urgeat, contritus, habens propositum, quum adfuerit illius copia, confiteri, poterit celebrare.*

Interiori animi puritati exterior corporis munditia respondeat necesse est, ita ut, ne ullum, vel remotissimum vomitus periculum immineat, jejunium, idque sicut vocant, *naturale*, Missæ celebrationi præcedere debeat. Ita Syn. Brac. II Cap. 10. Consonant Tolet. VII Can. 2, et ead. Tolet. an. 1525 præf. Cap. 14; id adiciens, quod si Sacerdos secundam ipso die celebraturus est Missam, in prima non sumat *perfusionem*. Ad externam etiam Sanctissimæ Actionis venerationem spectant indumenta, quæ Missalis Romani Rubricæ præscribunt. Jam à primis Ecclesiæ sæculis obtinuit, ut aliis in civilibus, aliis in Saeris, sed ejusdem formæ vestibus uterentur Sacerdotes. Mutata dein profana vestimentorum configuratione in Republica, pristinam tamen Ecclesia retinere voluit in Officiis. Inde est quod *Orarii* (nunc *Stola*) veluti proprio Diaconorum, quod commune quondam erat omnibus vestimentum, meminere jam Syn. Brac. I Cap. 9, alias *Can.* 56. Orarii etiam meminit Syn. Tolet. IV. *Can.* 11 alias 29, quippe quod gestare debebat Diaconus *in sinistro humero... et dexteram partem habere liberam, ut expeditus ad Ministerium Sacerdotale discurreret.* De Orario insuper, quo ab utroque humero pendente in sua Ordinatione Presbyter induebatur, tanquam ad *Missarum sollemnia* necessario, loquitur Syn. Brac. III Cap. 4; et ead. Syn. Tolet. IV. *Can.* 28 alias 27, Episcopis assignat *Orarium, Annulum, et Baculum*; Presbyteris *Orarium, et Planetam*; Diaconis *Orarium, et Albam*. Tandem vero Syn. Cojac. an. 1050, *Can.* 5 constituit, quod *vestes Presbyteri sint in Sacrificio, Amulus, Alba, Cingulum, Stola, Casulla, Manipulus*; *vestes Diaconi, Amulus, Alba, Cingulum, Stola, Dalmatica, Manipulus.* Eæ ipsæ sunt, quas hodiernus Romanæ Lyturgiæ ritus expostulat, nisi quod Subdiaconus, una excepta *Stola*, eisdem quibus Diaconus utitur indamentis, quibus nisi Subdiaconus uti nequit, ex præscripto laud. Syn. Valent. *Sess.* 2 *tit.* 2 *cap.* 55. Ministris etiam inferioribus superpellicei usus præscribitur à Syn. Tolet. an. 1525 *cod. cap.* 14. Adhæc Calix necessarius est, *non ligneus, neque fictilis*, uti sanxit præf. Syn. Cojac. *ubi supra*, interius deauratus, Purificatorio ornatus, velamineque serico coopertus, et Patena superius deaurata. Altae denique lapideum omnino, inibi ab Episcopo consecratum, vel mensa eum Ara lapidea portatili, itidem consecrata, tecta mappis, quas sæculo jam VII usitatas legimus in Syn. Toletan. XIII *Can.* 7, usque tribus, et Corporali. Legesis *Rubr. Ge. ver. Miss. Roman.* §. 20 Quo pacto ornamenta, vasaque Ecclesiæ mundari, attrerarique debeant, vel ab ipso sacra-

tissimo eorum usu edocemur. Addeis eamd. Syn. Bracar. III *Cap.* 5; Const. Syn. Valent. *Cap. de Corpore Christi*; Const. Syn. Card. Mendoza *Cap.* 5 Syn. pluries laud. Hispal. *Cap.* 51; Compil. Jo. Teres *Lib.* 5 *Tit.* 24 *cap.* 8; quin et ipsa Syn. Hispal. *Cap.* 21 decernit, quod Sacrista, quantum fieri possit, laicus non sit).

De sacris vestibus V. Cl. Auct. hujus lib. t. 7 sect. 4.

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 22 *cap.* 2 et *can.* 5 de Sacrific. Miss. Hinc catholica veritas de sacrificio, quod vere propitiatorium est, oblatione non solum pro vivis, *sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis.* Quarto sæculo Acrius preces pro defunctis fundendas esse negavit, quam nefariam hæresim ut everteret S. Ephrem Syrus S. Basilii discipulus, multas de defunctis odas, cantus, et carmina, officia scilicet defunctorum omnia, ut inquit Abraham Echellensis ad Catal. Ebedjesu p. 45 composuit, de quibus vide Assemanum in *Bibl. orient.* tit. 4 p. 152 et seq. Errorem illum Acrii renovarunt Protestantes; verum ea de re Ecclesiæ doctrina ita certa est, atque omnium Patrum consentiente auctoritate firmata, ut plane disipiant, qui eam in discrimen revocare conantur. Nam ipsam testatissimam faciunt. S. Cyprianus Ep. 66 p. 109 ed. Paris. 1666, Tertullianus de *Coron.* c. 5 de *Exhort. castit.* c. 11 de *Monogam.* c. 10 p. 102, 525, 531 ed. Ven. 1744, S. Zeno l. 1 *trac.* 16 p. 155 t. 1 ed. August. Vindel. 1758, S. Cyrillus Hierosolymitanus *catech. mystag.* 5 n. 9 et 10 ed. Paris. 1720, S. Epiphanius de *Exposit. fid.* n. 25 t. 1 *opp.* p. 1106 ed. Petav. Paris. 1622, S. Ambrosius Ep. 59 ad *Faust.* n. 4 *opp.* t. 5 col. 1014, et in *Orat. de Obiit.* Theod. col. 295 t. 4 ed. Ven. c. S. August. *Confess.* 1 9 c. 12. col. 163 t. 1 de *Civ. Dei* l. 21 c. 24 col. 641 t. 7 de *Cur. gen. pro mort.* c. 1 col. 115 t. 6 c. ed. Ven. Cassianus *collat.* 49 c. 1 p. 747 ed. Atrebat. 1623, aliique complures, quos longum esset referre. Auctor *Const. Apostol.* l. 8 c. 41 et 42 *PP. Apostol.* t. 1 p. 425 et 424 ed. Amstelæd. ind. orationem describit pro defunctis cum sacrificio fieri solitam. Confer. Card. Bonam *rer. liturgiæ.* l. 1 c. 45 §. 4 p. 507 et seq. ibique Salam in *Not.* t. 1 ed. Taur. 1747. Drouvenium de *re sacram.* l. 5 q. 7 *cap.* 1, Jueninium de *Sacram.* diss. 5 q. 5 *cap.* 1 et seq. Benedictum XVI. de *Sacrific. Miss.* sect. 1 c. 17 §. 1. Atque ex hac quidem catholice Ecclesiæ doctrina de divino sacrificio, quod prodest non tantum vivis, sed etiam mortuis, qui nondum plane sint expiati, piæ Missarum fundationes repetendæ sunt. Quarum fundationum præclarum monumentum occurrit in testamento S. Remigii Episcopi Remensis apud Flodoardum *Hist. Eccl. Remen.* l. 1 c. 13 p. 92 ed. Duaci 1617, qui ita Agricola Presbyterum nepotem suum alloquitur: *vineam, quam Bebrimodus fecit, tibi eatenus derelinquo, ut diebus festis, et omnibus diebus dominicis sacris altaribus mea inde offeratur oblatio.* Ad hunc locum advertens Christianus Lupus Schol. in *can.* 69. *Concil. Trullani opp.* tit. 5 p. 126 ed. Ven. 1724 *adeo antiquum est*, inquit, *pro anima sua missas fundare.* Verum et alia sunt ejusdem rei antiqua monumenta; quin etiam octavo præsertim sæculo mutua societates pro vivis, ac præsertim mortuis commendandis instituta sunt, et perpetua anniversaria frequentiora fieri ceperunt. De his societatibus insignis est locus apud Ven. Bedam, qui in *mercedem vitæ S. Cuthberti à se conscriptæ, hæc rogat in Prologo ad Eadfridum Episcopum, et Monachum Lindisfarnesem* t. 3 præf. p. 152 ed. Colon. Agripp. 1612. *Me defuncto pro redemptione animæ meæ, quasi pro familiaris, ac vernaculi vestri, orare, et Missas facere, et nomen meum inter vestra scribere dignemini. Nam et tu, Sanctissime Antistes, hoc te mihi promississe jam retines; in cujus etiam testimonium futuræ cons-*

criptionis religioso Fratri nostro Godfrido mansionario præcepisti, ut in albo vestre sacre congregationis meum nunc quoque nomen apparet. Plures ea de re extant epistolæ S. Bonifacii Episcopi Moguntini, quas inter digna præsertim est, quæ legatur Ep. 106 ad Optatum Abbatem p. 159 ed. Mogunt. 1605 opp. ed. Maur. Accesserunt etiam anniversaria perpetua, non quod ea tunc primum instituta fuerint, sed quod ea frequentissima facta sunt, eorum quidem multa collegit exempla Mabillonius acta SS. Ord. S. Bened. præf. in sæc. III. par. 1 observ. 27 n. 101 p. 49 ed. Ven. 1754. Frequentissima, inquam, octavo præsertim sæculo perpetua anniversaria facta sunt; verum anniversariorum origo multo antiquior est, atque à primis Ecclesie temporibus repetenda, uti ostendunt Patres, quos paulo supra commemoravi. Doctis tamen viris haud plane compertum, exploratumque est, perpetuo ne fierent, an semel anniversaria officia, quorum antiqui illi Patres meminerunt. Ego assentior iis, qui hæc anniversaria magna ex parte perpetua fuisse arbitrantur, et hujusmodi esse puto anniversarium, cuius meminit Tertullianus de Monogam. c. 10 p. 531 ed. Ven. 1744 eum inquit: *Entinvero et pro anima ejus oral, et refrigerium interim adpostulat ei, et in prima resurrectione consortium ei offert annuis diebus dormitionis ejus. Si semel tantum annum officium persolutum fuisset, unum tantum annum diem, non plures Tertullianus indicasset.*

(5) Catechismus Romanus loc. cit.

54. Sacrificium Eucharistiæ *Missa* nuncupatur, quod vocabulum non Græcum, aut Hebraicum, sed Latinum est; verum, nunc à mittendis, seu transmittendis ad Deum populi precibus, atque oblationibus, an potius à mittendo, suo dimittendo populo, ea formula, quam Diaconus recitabat, *ite Missa est*, non satis constat (1). Certe in *Missa* preces, ac cæremoniæ adhibentur; atque ille earum ordo vocatur Liturgia, quod Græcum est verbum, ac Latine redditur publicum ministerium. Semper hi ritus atque hæc preces, in quibus verba Christi Eucharistiam instituentis principem locum obtinent, adhiberi consueverunt; sed non eadem fuit ea de re Ecclesiarum omnium disciplina (2). Hinc plures pro varia temporum, ac locorum ratione exortæ sunt Liturgiæ (3); et in Oriente quidem celebriores fuerunt Liturgiæ S. Basilii, ac S. Joannis Chrysostomi, in Occidente Romana, Ambrosiana, Gallicana, Hispanica, quæ etiam Mozarabica appellatur (4).

(1) Confer Card. Bonam, qui de *Missæ* nomine, ejusque origine late disputat rer. liturg. l. 1 c. 1 p. 1 et seq. t. 1 ed. Taurin. 1747 præterea Benedictum XIV. de Sacros. *Missæ* sacrific. l. 2 c. 1, Natalem Alexandrum Hist. Eccles. sæc. 13 et 14 diss. 43 n. 40 t. 8 p. 499 ed. Ven. 1776, Gerbertum Princip. Theolog. liturg. sect. 1 c. 2 p. 57 seq.

(2) Apostolos recitata oratione Dominica, et formula consecrationis rem divinam confecisse, scribunt Gregorius M. l. 9 ep. 42 ad Joan. Syrac. c. 940 t. 2 ed. Maur. Paris. 1705, Honorius Augustodonensis in Gemma anim. c. 96

in Bibliot. PP. t. 10 col. 1205 ed. Paris. Walfridius Strabo de reb. eccl. c. 22 col. 680 cit. Biblioth., Berno Augiensis Abbas de quibusd. ad miss. spectan. c. 1 cit. Biblioth. t. 10 col. 697. Contra Proclus Constantinopolitanus de tradit. divin. liturg. p. 159 ed. Lugl. Batavor. 1617 *fusissime, longoque verborum ambitu missam decantasse* tradit, atque eos *preces et hymnos* adhibuisse testatur Chrysostomus hom. 27 in 1 ad cor. n. 5 opp. t. 10 col. 248 ed. cit. Has, quæ inter se pugnare videntur, sententias concilial Card. Bona l. c. c. 5 §. 3 p. 75 inquit, brevem illam formulam Apostolos adhibuisse, cum gravis metus, aut justa alia urgeret causa, longiorem autem, cum per tempus, et occupationes licebat.

(3) Nullus quidem ambigendi locus esse potest, quin vivis ipsis Apostolis aliquis fuerit Liturgiæ usus pluribus constans precibus, quæ in conficiendo sacrificio fundebantur. Scriptum est in act. Apostol. c. 2 v. 42 fuisse Apostolos *pæseverantes in communicatione fractionis panis, et orationibus*; et Paulus I. ad Timot. c. 2 vers. 1 vult fieri *obsecrationes, orationes, interpellationes, et gratiarum actiones pro omnibus, hominibus, pro Regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt*. Hæc autem omnia in sacrificio peragebantur, uti testatur Justinus Martyr Apol. 1 n. 65 p. 82 ed. Paris. 1742, et huc etiam spectat Tertullianus ad Scapulam n. 2 p. 69 ed. Ven. 1744. Morem hunc ab Ecclesia observatum circa annum 547 describebat S. Cyrillus Hierosolymitan. cateches. 23 n. 8 p. 527 ed. Ven. 1765 inquit, *super illam propitiationis hostiam* (en sacrificium propitiatorium, quod negare ausi sunt impii homines, qui *Missam* ahrogarunt) *obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro Imperatoribus, pro militibus, et sociis, pro iis, qui infirmitatibus laborant, pro his, qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus, qui opis indigent, precamur nos omnes, et hanc victimam offerimus*. Propterea S. Augustinus Ep. 149 ad Paulin. n. 16 opp. t. 2 p. 665 ed. Maur. Ven. 1756 considerans, quid à vetustis temporibus in Ecclesia ageretur, *obsecrationes, aut preces, quas Paulus memorat, interpretatur quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici. Orationes etiam significari ait, cum benedicatur, et sanctificatur, et ad distribuendum communitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia dominica oratione concludit*. Habes his paucis expressum *Missæ* canonem, qualis nunc etiam à nobis adhibetur. Præfationis nunc quoque usitata diserta mentio est apud S. Cyprianum de Orat. dominic. col. 501 ed. Ven. 1758, cum nimirum dicimus *Sursum corda*, et populus respondet *habemus ad Dominum*. Evidens igitur, apertumque est, primis etiam Ecclesiæ temporibus certum fuisse ordinem, ritumque precum, qui in re divina conficienda adhibebatur. Verum liturgias, quæ Apostolorum Petri, Jacobi, Matthæi, Marci nomina præseferunt, eorum revera non esse demonstrat Natalis Alexander Hist. Eccles. sæc. 1 c. 12 art. 5 t. 3 p. 52 ed. Ven. 1776. Eadem de liturgiis Petri, Matthæi, et Marci sententia est Cardinalis Bonæ Rer. liturgic. l. 1 c. 8 p. 122 et seq., ibique Salæ in Not. p. 129. Petrus Le-Brun Explicat. *Missæ* t. 2 diss. 1 contendit, ante quintum sæculum nullam aut Græcam, aut Latinam Liturgiam scripto fuisse mandatum, sed preces omnes, ac ritus memoriæ tradi consuevisse. Sed Le-Brunio adversatur Muratorius Liturg. Roman. diss. de Reb. liturgic. c. 1 cujus ego sententiæ assentior. Illud præclare ab ipso Cardinali Bona l. 1 c. 9 §. 8 p. 162 animadversum est, quod discors concordia in omnibus liturgiis manifestum facit, ordinem sacrificii ab Apostolis traditum esse, atque in om-

nem terram diffusum. Quamvis enim non eadem sint verba omnium liturgi-  
rum, neque in omnibus singula earum partes eodem modo locatae sint, ta-  
men omnes *iisdem membris coalescunt, quae sunt peccatorum ante omnia  
confessio, tum introitus, sive quoddam quasi proemium, deinde Psalmi,  
ac lectiones Sac. Scripturae et potissimum Evangelii, Symboli recitatio,  
lotio manuum, commemoratio, et invocatio Sanctorum, preces pro omni-  
bus vivis, et defunctis, gratiarum actio, et benedictio; praeter ea, quae  
essentia sunt, oblationem scilicet, consecrationem, et communionem.*  
Qui sane Ecclesiarum omnium consensus non nisi à Spiritu S. esse potest;  
et certe singularis est insania Protestantium, qui Missae sacrificium Romano-  
rum Pontificum inventum dicunt. Late hoc argumentum, praeter scriptores  
omnes rerum theologicarum, persequitur Robertus Sala in Not. ad Bonam l.  
c. not. 4 p. 165 et seq., quin etiam saniores Protestantes catholicam veri-  
tatem confitenti, ac literis mandare non dubitarunt. Ex eorum numero, praer-  
ter ceteros, sunt Ernestus Grabbius in Irenaeo l. 4 advers. haeres. c. 32.  
Thomas Brettius in peculiar. Diss., quae extat in collect. praecipuar. liturg.  
eccles. Christ. p. 104 Londini 1710. et Samuel Jebbii in Iustini dial. p. 215  
Londini 1719. Hi omnes eum catholicis fatentur, Apostolis, cunctosque  
Ecclesiae Patres Eucharistiam pro novi testamenti sacrificio habuisse, et sub  
speciebus panis, et vini illud Deo Patri in altari oblatum docuisse, de-  
monstrant.

(4) Occupata ab Arabibus Hispania, Christiani, quod essent cum Arabibus  
commixti, *Mixtarabes*, et corrupta voce, *Mozarabes* dicti sunt. Confer  
Rodericum Rer. Hispanie l. 5 c. 22, et Pagium in Baron. ad an. 714 n. 7  
p. 200 t. 12 ed. Luc. Inde Hispanica liturgia *Mozarabica* appellata est,  
quam antiquissimam esse constat. Ritus Mozarabicus servatus in Hispaniis  
fuit usque ad saeculum XI; sed eo saeculo ad exitum vergente abrogatus,  
ejusque loco Romanus suscectus est. Denique Cardinalis Franciscus Xime-  
nius, ne tanta antiquitatis ritus omnino interiret, cum novis characteribus  
in lucem emitti voluit, et collegium instituit Sacerdotum, à quibus quoti-  
die divina officia, et Missarum solemnia eo ritu celebrarentur in sacello,  
quod in majori Ecclesia Toletana aedificavit. Sunt etiam Toleti aliquot Pa-  
roeciae, in quibus hic Mozarabicus ritus adhuc viget; idemque fit Salmanti-  
cae in sacello Doctoris Talabricensis. Confer Alvarum Gomezium de reb.  
gest. Card. Ximenii l. 2; Eugenium Roblesium in Vit. Card. Ximenii c. 25;  
Card. Aguirrium t. 5 concil. Hisp. post concil. Burgense p. 253 et seq.; Cen-  
nium Antiqu. Eccles. Hisp. t. 2 diss. 7.

(N. S. Post prima Ecclesiae tempora, Episcopi suis unusquisque Eccle-  
sias Ritus praescribere ceperunt; quod quidem munus sequentis temporibus  
Metropolitanorum proprium factum est: Synod. Gerund. *Can.* l. Umle Pro-  
futurus Bracarenis acceptam à Vigilio Papa Liturgiam an. 538, ut refertur  
in ejus Epist. *Cap.* 5, in tota sua Parochia utendam decrevit, ac dein Lu-  
cretius in Syn. Bracar. l. *Cap.* 4 alias *Can.* 21. Postremo vero in Syn. Na-  
tion. Tolet. *IV Can.* 2, sub S. Isidoro Hispalensi, sancitum est, ut in om-  
nibus Hispaniarum Ecclesiis unus Liturgiae modus custodiretur. Hinc non-  
nullis persuasum est, S. Isidoro demandatam fuisse curam, ut efformatum,  
vel emendatum à S. Leandro Officium Ecclesiasticum, in ordinem religeret  
ad commune totius Hispaniae Ecclesiae usum, eundemque esse, quem *Gothi-  
cum* hodie, seu *Isidorianum* vocamus. Ut ut sit, Gothica haec precandi  
methodus diu apud nos obtinuit, ita ut vel ipsis dominantibus Arabibus,  
Christiani eis permixti uterentur, quocirca dicta est quoque *Moz-arabica*.  
Romae agentis Alexandro II, post plura à Legato Hugone Candido habita

Concilia, sub Rege Ranimiro abrogari cepit an. 1060 in Aragoniae Regno;  
quae quidem nonnisi an. circiter 1074 desiit tandem in illis partibus, ut evin-  
citur ex Epist. Gregorii VII ad Sanctium. Tum post diuturnas, acresque  
controversias, ac nullo non movente lapide praef. Gregorio, Gothicam Li-  
turgiae loco recepta est *Romana* precandi formula in Castella an. circiter  
1080 sub Alphonso VI, uti colligitur ex Ep. ejusd. Pontific. ad ipsum Alphon-  
sum, apud Aguirre *Tom.* 4 Concil. Hisp. ed. Rom. p. 440.—Gothicam Li-  
turgiam erroribus adpersam, putaverat praef. Gregorius in ead. ad Al-  
phonsum Epistola; sed nos nullum in ea contra Eccl. dogmata interpo-  
latum errorem introspicimus; neque ullum invenit Alexander II, qui Isi-  
dorianam Regulam *catholicam* esse pronuntiavit, ut refert Auctor. *Tract.  
de Offic. Got.*, apud Aguirre, cit. tom. 4, p. 426).

Hucusque Selvagii Adnotatores, Mag. Villodas, *Eccl. Hisp. Antiq.*  
part. 2 sect. 2, illorum assertum, qui Missae et officiorum ritum à septem  
Apostolicis in Hispaniam inductum, alium ab eo esse contendunt, quem  
SS. Petrus et Paulus Romae instituerunt et ordinarunt, rejicit, nostratem  
Isidorum laudans; licet temporis decursu aliquam ritus variationem in utra-  
que factam Ecclesia ex Tolet. Syn. IV deducat.

De his vero, qui *Mozarabicum* ritum saeculo VIII fuisse depravatum, ac  
*Adoptivorum* haeresi occasionem dedisse, opinantur, patentem eorum erro-  
rem deprehendit. Non enim alio, quam Elipandi, quem Francofurtiensi  
concilii Patres, veneranda antiquitatis testimoniorum interpolatorem, corrup-  
toremque traducunt impudentissimum, testimonio nituntur; risu igitur ta-  
lis suppositio excipienda est. Nec nos ab ista sententia deterrere debet ejus-  
dem concilii quae affertur Synodica, qua Patres Hispaniae à mauris occupa-  
tionem erroribus adscribunt, qui in Missae ex Mozarabico ritu celebratione  
docebantur, et continebantur, qui in Missae ex Mozarabico ritu celebratione  
docebantur, et continebantur; quoniam, ut eruditus Baronius ad an. 794  
scilicet notat, hujusmodi epistolae editores, quae mentitus fuerat Elipan-  
dus, cito nimis credentes, effuderunt.

Profecto, Cardinalis Hugo Candidus, in Hispaniam adveniens, ex Mozara-  
bico ritu, cum à Joan. X Papa approbatum animadverteret, nihil prorsum  
mutandum censuit; postea plures alii cardinales istud ipsum pertentantur.  
Aliquando vero tandem, Hispaniae episcopis poscentibus, res Romae diu mul-  
tumque pro utraque parte cum fuisset controversa, ac disputata, in concilio  
Mediolanensi Mozarabicus ritus probatus postremo est, Patrumque laudibus  
proclamatus summis et elatus.

Quod ad Romani in Hispania ritus adoptionem spectat, M. Villodas, cum  
Aguirre, an. 1068 in Aragonia existimat receptum, primo nempe in monas-  
terio S. Joannis *de la Peña*, eodemque ferme tempore in Catalaunia; anno-  
que 1078 per nostrates ecclesias propagatum illud officium, quod postea in  
concilio Burgiensi habito confirmatum, à toto Regno admissum extitit.

Thiersius, *Tract. de Superst.* lib. 2, cap. 10, orationes, ut vulgo loqui-  
mur, Missae vix 500 antiquitatis annos habere, probare nititur. At P. Le-  
Brun ipsissimas in Missali Mozarabico, quod duodecim abhinc saeculis su-  
perstat, exaratas inveniri, opportune contendit.

Postremo, qualiter Mozarabico ritui novissimo Concordato consultum, ex  
ipsius art. 43 et 21 (tom. 1 pagg. 214—15), deduces.

55. Plures autem hi ritus, et haec ceremoniae sunt, de qui-  
bus late agunt Scriptores rerum liturgicarum (1), quaeque ex  
Apostolica, aut Ecclesiastica traditione, et disciplina procedunt.

Omnia sunt instituta, ut majestas tanti sacrificii commendetur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitentur (2). Itaque mysticæ benedictiones, lumina (3), thymiamata, sacræ vestes, in sacrificio adhibentur; similiter receptum est, ut quædam submissa, alia vero elatiore voce in Missa pronuncientur (4).

(1) Confer in primis Cardiualem Bonam rer. liturgie. libros duos, et Petrum Le-Brun explicatio missæ.

(2) Concilium Tridentinum de sacrific. missæ sess. 22 c. 5.

(3) Joannes Henricus Ottius, Calvinianus homo, qui contra annales Cardinalis Baronii examen instituit, iridet hunc ritum accendendi in Ecclesia lumina, eumque ætate Hieronymi minime obtinuisse arbitratur. Sed eum solide refellit Muratorius liturg. Roman. diss. de reb. liturgie. c. 20, et diss. 16 in S. Paulinum p. 855 ed. Veron. 1756. Dicam ea de re paulo post eum sermo de Ecclesiis habebitur.

(4) Si quis dixerit, inquit Concilium Tridentinum sess. 22 de sacrific. missæ can. 9), *Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis, et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere... anathema sit.* Nihil tamen minus post hunc Tridentinum, canonem tam disertum, tamque perspicuum, fuere aliqui, qui elata voce, ita ut à populo intelligi possent, partem illam canonis, et verba consecrationis proferenda esse censuerunt. Novum hunc errorem superiori sæculo compressit Maturinus Savary Sagiensis Episcopus, edito die 16. Martii an. 1698. decreto, quo indicta in eos, qui secus facerent, suspensionis pœna, sanxit, ut canonis verba, prout in Romano Missali notatum, prescriptumque est, secreto, submissaque voce pronuncientur. Quod simili decreto die 22. Januar. an. 1710 à cardinali de Bissy Meldensi Episcopo constitutum est. Arnaldus, et ceteri, qui Arnaldi partes sequuntur, non exiguum dederant operam, ut Christiani homines minus æquo animo ferrent, quod Missæ canon secreto recitaretur. Sed Claudius de Vert, Monachus Cluniacensis, audacter, et omnium apertissime caput extulit adversus hanc secretam canonis recitationem, opere, quod primum evulgavit an. 1706. Adversus hunc hominem Vallemontius theologicam, atque historicam dissertationem opposuit Parisiis editam an. 1710. Du Secret des mysteres, ou Apologie de la Rubrique des Missels: sed eum vehementius, graviusque refutavit Languetus, tunc Episcopus Suessionensis, Præfat. Instruct. Pastoral. 8 Septembr., quæ iterum edita deinceps est an. 1720. Vallemontii dissertationem impugnavit Anonymus Auctor in tractatu Bruxellis edito anno 1717 eum titulo: Apologie de M. du Vert, ou Remarques critiques sur le livre de M. Vallemont du secret des mysteres: sed eum accuratè, copioseque defendit Petrus Le-Brun diss. 15 t. 4 operis cui titulus Explicatio missæ, qua quidem dissertatione solide, graviterque ostenditur, semper in Ecclesiis occidentalis canonem secreto recitari consuevisse. Dignæ in primis sunt quæ legantur ea de re dissertationes duæ, in quibus cuncta habes, quæ ad hoc argumentum pertinent, explicata diligenter. Altera nimirum est dissertatio Le-Brunii, cujus paulo ante facta mentio est, altera vero eum titulo: Della legittima disciplina da osservarsi nella pronuncia del canone della Mes-

sa, etc. anno 1787. Romæ edita est à Francisco Antonio Mondellio, viro erudito, et Auditore olim meo in Romana Academia.

(N. S. Quos in divinis officijs abusus ignorantia inducere tentaverat, hos ab Hispania eliminandos voluit Syn. Braear. I. non uno in capite, et Tolet. III. Can. 23. Presbyterorum tamen aliqui suos unusquisque ritus invexerunt. Quidam non vinum, sed pro ea lac in Divinis litabant Sacrificiis, alii pro Christi Sanguine ubas perperam consecratas porrigebant fidelibus, alii sacro pane intineto Dominico Sanguine populum communicabant, alii tandem Dominicam Orationem *Pater noster*, quam in quotidiana Synaxi proferendam constituit Syn. Gerund. an. 517, Can. 10, nisi Dominicis diebus non recitabant. Putidissima hæc abusionum monstra debellarunt Syn. Brae. III. Cap. 2, et Tolet. IV. Can. 2 et 10. At utinam Sacerdotes nostri, postquam una universæ Latine Ecclesiæ Lyurgia præscripta est, eam penitus addicerent. Officium, et Missam secundum Romanæ Ecclesiæ ritum celebrare, nobis sanctum est, neque alias invenire cæremonias, aliasve orationes proferre licet, neque inventas amplecti: Trident. Sess. 7 de Sacram. Can. 15. Sed ignorantia, aut audacia minime cohibita sunt. *Exquisitas, ac novas festorum adpellationes, contra quam Kalendarii series, et adprobata in Ecclesia consuetudo habeat, superstitiosi homines invenire solent. Quem abusum improbens*, Syn. Valent. jam sæpius laud. in Sess. 4 Tit. 5, cap. 4, alias 5, statuit, *ne ejusmodi festa à Capitulis, vel Parochiis celebranda admittantur.* Syn. Hispal. an. 1512. Cap. 15, statuit, *ut Sacerdos se constituat in loco, quo pervenire valeant illi, qui offerre voluerint, et si fuerit necessarium, multiplicentur Sacerdotes ad recipiendas oblationes.* Consonat eadem Synod. Valent. Sess. 5 Tit. 5, cap. 8. Quid quod Dominica Oratio, quam quotidie legendam decreverunt antiqui Synodorum Patres, in sollemnioribus Ecclesiæ festis missiletur? Quid quod submissa voce recitetur, ut musicorum schola, loco sanctissimæ precatio- nis, theatralibus modulis, theatralibus gestulationibus, theatralibus compositionibus, theatralibus cantuiculis, fidelium mentes depaseat? Quid quod citharæ eorum eadem societas, eisdem citharis, eisdemque modulationibus, quibus vespere aderat in orchestra, fideles à Divinarum contemplatione, ad spectaculorum illecebras mane convertat? Dominicam Orationem clara voce canendam in Missis decantatis, ipsa ejusdem ritus ratio demonstrat, Missalis Romani Rubricæ §. 16 num. 5 prescribunt, et Synod. Compostel. an. 1565 Act. 2 Decret. 25 decernit Id quod intelligas etiam de Symbolo, sicuti Miss. Rom. Rubr. *ibid* monent. Et in Compil. Jo. Teres. Lib. 5, Tit. 21, cap. 10, sancitur, *ne dum Symbolum in Missa cantatur, alternus organi sonitus audiatur.*

Porro in Ecclesia ideo cantus institutus est, *ut populi intelligentia, quantum fieri possit, erudiri valeat, et religiosa pietatis, ac devotionis moderatione piorum auditorum mentes ad Divinæ Majestatis cultum, et cœlestia desideria excitari queant.* Hæc Syn. Tolet. an. 1565 Act. 3 Ref. cap. 11; hodierna tamen modulatio confusa est; neque perennis instrumentorum strepitus quicquam percipere sinit, neque inæqualis prolatio verborum attentioni locum relinquit. Pro coronide Ecclesiasticæ hodiernæ musicæ patronis exhibere lubet ejusd. Syn. Tolet. laud. Cap. 11. *Caveant Episcopi, ne dum in choro musicorum modulos vocum omni generis discrimine confusos admittunt, psalmorum, et aliorum, quæ cantari solent, verba obscurantur, ac simul strepito incondito sensus sepeliatur. Sic denique musicam, quæ organica dicitur, retineant, ut eorum, quæ cantantur verba, et intelligi possint, et potius pronuntiatione, quam curiosis modu-*



lis audientium animi divinis laudibus adficiantur. Sed et illud maxime cavendum erit, ne ipsius musicæ sonus, quid theatrale, aut impudicos amorum, bellorumque elasticos módulos referat in Dei laudibus decantandis. El Compil. Jo. Teres. Lib. 5. Tit. 24. cap. 18. à Cl. Ant. Augustino constituto, decernit, ut Sybillæ carmina, et pastorum nugas, aliasque vulgares cantinelas nullo tempore in Ecclesiis cani permittantur. Tædet hæc in re amplius immorari; duo tamen animadvertere placet. 1. Quod Ecclesiastica Officia ab omni superstitionis specie sunt expurganda: Ead. Syn. Compostel. Act. 2. Decret. 15. Etenim indecorum est, atque etiam impium utiis ceremoniis, quas superstitiosus potius cultus, quam vera Religio invenit: Ead. Syn. Valent. Sess. 5. Tit. 3. cap. 6. 2. Quod inter Sacerdotes celebrantes nulla unquam difformitas adpareat: Syn. Tolet. IV. Can. 2; Braear I. Cap. 4, et 5, alias Can. 21, et 22; Tolet. XI. Can. 5; et præf. Hispal. Cap. 12, et 22.

56. Apostoli, eorumque successores in singulis provinciis divina officia persolverunt eo sermone, qui tunc ipsis communis erat (1); atque ita Hierosolymis Hebraice (2); Antiochiæ vero, Alexandriae, atque in aliis Græcorum civitatibus Grece; Romæ, atque toto Occidente, Latine rem divinam confecerunt (3). Labentibus annis licet hæc linguæ vulgares esse desissent, ac tantum doctis viris innolescerent, tamen Ecclesia eas in divinis celebrandis officiis retineri voluit, tum ut major ipsis accederet veneratio, tum ne frequens verborum mutatio semsim etiam mutationem sententiarum induceret (4). Interdum tamen populis, qui novissime Christi Religionem susceperunt, Sedes Apostolica liturgias permittit, quæ vernaculo eorum sermone conscriptæ sint (5).

(1) Apostolos, eorumque successores usque ad ætatem Hadriani Imperatoris hebraicum sermonem adhibuisse, tum deinceps Ecclesiam græcum usurpare cõpisse, putat Joannes Echius de sacrific. missæ l. 2 c. 2. Verum hæc opinio nullo nititur ideneo fundamento.

(2) Hebraicum idioma, quo usi sunt Apostoli rem divinam conficientes, non illud erat antiquum idioma, quo veteris testamenti Patriarchæ usi sunt, et quod Apostolorum ætate ne notum quidem vulgo Hebræorum erat. Nam eo temporis cursu, quo ipsi Babylone captivi fuerunt, hebraici sermonis, quem à parentibus acceperant, oblivisci, et chaldaicam linguam addiscere cõperunt, qua deinceps usi sunt, aliquid tamen retinentes ex patrio sermone, quem pridem adhibebant. Hinc orta est tertia lingua ex hebraica antiqua, et chaldaica mixta, quæ à regione Syriaca dicta est, quæque deinceps Hebræis vulgaris esse cõpit, et hebraica vulgo appellata, tum quod commixtas habebat ex hebraico sermone voces, tum quod eam Judæi usurpabant. Hæc lingua Christus Dominus usus creditur, et eadem S. Matthæi evangelium, ac S. Pauli Apostoli epistola ad Hebræos scripta traduntur. Atque hic est sermo hebraicus, vel potius syriacus, aut syro-chaldaicus, qui Christi, et Apostolorum ætate vernaculus erat sermo Hebræorum, et quo Apostoli rem divinam confecerunt. Confer Petittierum in diss. critic. in S.

Scriptur, diss. 3 p. 65, et Renaudotium diss. de liturg. orient. origin. et antiq. c. 6, in primis autem videndus est V. Cl. Jo. Bernardus de Rubeis opere Parmæ edito 1772, cui titulus: Della Lingua propria di Christo, è degli Ebrei nazionali della Palestina da' tempi de' Maccabei.

(3) Consule Card. Bonam rer. liturg. l. 1 c. 5 §. 4 p. 79 t. 1. Negant Papebrochius in conat. chronic. hist. diss. 15, et Martenius, de antiq. eccles. rit. l. 1 c. 3 art. 2 t. 1 p. 101, his tantum linguis divina mysteria ab Apostolis celebrata fuisse, ac multa proferunt monumenta, ut conficiant, initio omnes gentes vernaculo sermone suo rem divinam confecisse. Sed eos graviter, lateque refellit Robertus Sala in not. ad Bonam l. c. not. 6 p. 85. Vide etiam eundem Bonam in appendic. t. 1 p. 416, ubi extat dissertatio Honorat. à S. Maria, qua ostenditur, Apostolos tantum his tribus linguis, nimirum hebraica, aut syro-chaldaica, græca, et latina, rem divinam confecisse.

(4) Concilium Tridentinum sess. 22 de sacrific. miss. c. 3. *Etsi Missa, inquit, magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur.* Tum retineri jubet ubique cujusque Ecclesie antiquum, et à Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre, et magistra, probatum, ritum, et can. 9 ead. sess. *Si quis, inquit, dixerit... lingua tantum vulgari Missam celebrari debere... anathema sit.* Porro de missa vulgari sermone non celebranda plures extant doctorum hominum lucubrationes, quas omnes simul collectas superiori sæculo jussu Cleri Gallicani Parisiis edidit anno 1661. Antonius Vitraus, quibus apertissime ostenditur, quam recte, quamque sapienter id ab Ecclesia constitutum fuerit. Late etiam ea de re agit, pluresque laudat, qui hoc ipsum argumentum egregie illustrarunt, Benedictus XIV de sacrific. missæ c. 6.

(5) Ita Sclavius sæculo IX à Joanne VIII. permissa est liturgia vernaculo sermone, uti constat ex ipsius Joanni Ep. 247 ad Sfontopulcrum apud Labæum conc. t. 11 col. 170 ed. Ven. Sed eandem facultatem postulanti Uralislao Bohemorum Regi concedere noluit S. Gregorius VII. Ep. 41 apud Labæum t. 12 Con. col. 464 ed. Ven. Confer Benedictum XIV. de Sacrific. missæ l. 2 c. 5 n. 14.

57. Primis Ecclesie sæculis non omni die sacra mysteria peragebantur. Solum diem Dominicum Paulus (1) memorat; sed tamen ab Apostolis ternos dies in singulas hebdomadas, hoc est Dominicam, et quartam, sextamque feriam, constitutos fuisse, Epiphanius (2) tradit. Accessit etiam deinceps Sabbatum (3), qua die ab omnibus, exceptis Alexandrinis, atque Romanis, sacra mysteria celebrari consueverunt (4). Ætate Augustini variæ erant Ecclesiarum consuetudines, cum alibi quotidie, alibi Sabbato, ac die Dominico, alibi tantum Dominico die res divina perageretur (5). Sed jamdiu Latini cunctis diebus, exceptis feria sexta, ac Sabbato majoris hebdomadæ, sacrificium conficiunt, Græci, illud omittunt per quadregesimam, exceptis Sabbatis, Dominicis, et die festo Anunciationis; et cum non celebrant, adhibent Missam *præsanctificatorum*, hoc est, corporis Christi

ante consecrati, quæ Missa etiam à Latinis feria sexta majoris hebdomadæ adhibetur (6).

(1) Paulus I. ad Corinth. XVI. 2, quod etiam habet Justinus Martyr Apol. 2 n. 67 p. 83 ed. Paris. 1742.

(2) Epiphanius Exposit. fid. n. 22 p. 1105 t. 1 opp. ed. Patavii Paris. 1622.

(3) Basilius Ep. 95 ad Cæsar. Patric p. 486 opp. t. 3 ed. Maurin. Paris. 1750.

(4) Socrates Hist. l. 5 c. 22 p. 295 ed. Valesii Cantabrig. 1720. Verum non multo post etiam Romana Ecclesia aliarum consuetudinem recepit. S. Hieronymus Ep. 71 n. 6 col. 452 tit. 1 ed. Vallarsii Veron. In Oriente Pascha (quo nomine Eucharistia designatur) ter in hebdomade, nonnunquam etiam quater, vel potius quotiescunque voluerimus, celebratum testatur S. Jo. Chrysostomus Orat. 5 contr. Judæos opp. t. 1 p. 611 ed. Montfaucon. Paris. 1718.

(5) Consule Augustinum Ep. 54 ad Januar. col. 124 et seq. tit. 2 et Serm. 58 de Orat. dominic. ad compet. col. 559 t. 5 cit. ed. Ven. Hieronymum cit. Ep. 71. Hæc autem ad solemnem tantum missam, quam majorem dicunt, pertinere monet Martenius l. c. art. 3 § 4 p. 105. Ipse Augustinus Confess. l. 5 c. 9 opp. t. 1 col. 453 ed. Maur. Ven. 1756, Monicaam matrem suam quovis die sacrificio interesse consuevisse testatur, et de Civit. Dei l. 10 c. 20 t. 9 col. 555, altaris sacramentum appellat quotidianum Ecclesie sacrificium Ambrosius etiam quotidie sacrum faciebat Ep. 20 ad Soror. n. 15 opp. t. 3 col. 905 ed. Maur. Ven. 1751. Vos quoque ipsos, inquit, mihi bonos filios gestiebat eripere, pro quibus ego quotidie instauro sacrificium.

(6) De Missa præsentificatorum vide Card. Bonam Rer. liturgic. l. 4 c. 15 §. 5 t. 6, et Salam. in Not. p. 517 ed. Taurin. 1747, Leonem Allatum in Prolegomen. ad Gabrielem Naudæum de Missa Præsentificat. n. 4 p. 1551, et Benedictum XIV. in const. Allatæ 47 §. 51 p. 188, et const. Ex quo primum 54 §. 32 p. 254 t. 4 ejus Bullar. ed. Rom seu Ven. 1758, quibus duabus constitutionibus de Græcorum ritibus late disseritur.

58. Quin etiam uno eodemque die idem Sacerdos plures Missas, et eas non in eodem, sed in diversis altaribus celebrabat (1). Ita in Natali Domini, Kalendis Januarii, in cœna Domini, in Paschate, in Rogationibus, in jejuniiis post Pentecostem, in festo Apostolorum Petri et Pauli, S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii, et aliorum quorundam, unus Sacerdos pluries rem divinam conficiebat, quot nimirum erant officia et festa, quæ iis diebus occurrerant. Aliis quoque diebus plures Sacerdoti Missas celebrare licebat (2); sed sæculo XI positus est usque ad tertiam vicem huic arbitrio modus (3). Denique ut avaritiæ quæstus, et obloquentium suspiciones removeret Ecclesia, sancivit, ut semel tantum, nisi aliud necessitas postulet, à Sacerdotibus quotidie sacrificium fiat, excepto die Natali Christi Domini (4).

(1) S. Gregorius Turonensis de Glor. Confess. c. 50 col. 955 ed. Paris. 1699, Concilium Antissiodorense can. 10 t. 3 col. 445 collect. Harduini. Consule Vicecomitem de Antiq. Miss. rit. l. 3 c. 28, Card. Bonam Rer. liturgic. l. 4 c. 18 §. 5 et seq. p. 15 et seq. t. 2 ed. Taurin. 1749, et Martenium de Antiquit. eccles. rit. l. 1 c. 3 art. 3 §. 4 et seq. p. 103 et seq. t. 1 ed. cit.

(2) S. Leo M. Epist. 9 ad Dioscor. Alexandr. c. 2 t. 1 ecl. 631 ed. Ballerin. Ven. 1755, Regino de Eccles. discipl. l. 1 c. 53 p. 10 ed. Viennæ 1765, Walfridus Strabo de Reb. Eccles. c. 21 in Biblioth. PP. t. 10 ed. Paris. col. 679.

(3) Concilium Salegustadiense anni 1022 can. 5 t. 6 part. 1 col. 829 collect. Harduini.

(4) Can. 53 de consecr. dist. 4 cap. Consultuisti 3, et cap. Te referente 12 de Celebr. Missar. Subditis tamen Hispaniarum, et Lusitanie Regum à Benedicto XIV, in const. *Quod expensis*, 61 p. 296 t. 2 ejus Bull. ed. Rom. seu Ven. 1754, concessa est facultas duas, tresve missas celebrandi in die commemorationis omnium defunctorum, modo nihil exinde accipiant, easque species non applicent. Ceterum nunc etiam necessitas, secundum Innocentii III. decretalem in c. 3 de Celebr. missar. efficere potest, ut ab uno Sacerdote Missa repetatur. Verum Sac. Congregatio apud Paganum in c. In ordinando 4 de Simon. n. 57 declaravit, id tantum posse fieri, cum gravis urget necessitas, quæ primum Episcopo probata sit. Tum Benedictus XIV. in const. *Declarasti* 5 p. 15 t. 2, *certissimum* esse monet, *Missionariis tantum à Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die sacrificium bis operentur; reliquis vero sacerdotibus opus esse, ut hæc de re facultatem ab Episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videatur.* Ipse Benedictus XIV. in const. *Apostolicum* 16 §. 11 p. 62 t. 4 Bull. ed. cit. Missionariis in Anglia degentibus bis interdum uno die sacrificium permisit, cum consensu Vicarii Apostolici, ob fideiis populi necessitatem. Quæ eadem necessitatis causa facit, ut Parochus, qui duas habet distantes Ecclesias, cum in unam universus populus convenire non potest, neque alius est sacerdos, qui rem divinam conficiat, diebus festis, impetrata primum legitima facultate, duas Missas celebrare possit: Benedictus XIV. in const. *Declarasti* 3 p. 9 t. 2 ejus Bullarii ed. cit.

59. Initio sacra mysteria noctu, et vero etiam post cœnam peragebantur, tum ut fideles Christum imitarentur, qui post legalem cœnam primum obtulit sacrificium, tum ut ethnicos latebant conventus, quos in latebris habebant (1). Cum pax Ecclesie data est, confici res divina per diem cœpit; sed tamen etiam post ea tempora Ecclesia retinuit antiquam consuetudinem certis quibusdam temporibus, nimirum in nocte Natalis Domini, in pervigiliis Paschalis, et Pentecostis, atque in diebus ordinationum (2). Nunc sola Missa Natalis Domini noctu celebratur. Privatæ Missæ quavis hora fiebant, uti nunc omni hora recte fiunt ab aurora usque ab meridiem (3); sed pro publicis, ac solemnibus Missis certæ erant constitutæ horæ, nimirum tertia, sexta, et nona (4).

(1) Hinc, Christiani ab Ethnicis appellati apud Minutium Felicem in Lib.

Octavius p. 352 ed. Paris, 1605, *natio latebroza, et lucifuga*; atque hinc *nocturnæ convocationes, et cæcus antelucani* apud Tertullianum Apolog. c. 2 p. 5 de Coron. c. 3 p. 102 et ad uxor. c. 4 p. 168 ed. Paris. 1675.

(2) Late ea de re disputat Card. Bona Reri liturgic. l. 1 c. 24 §. 4 p. 114 et seq. ibique Sala in Notis t. 2.

(3) Consule Martenium l. c. art. 4 §. 5 et seq. p. 107.

(4) Amalarius de Rit. Eccles. l. 5 c. 42 in Biblioth. PP. t. 14 p. 1000 ed. Lugdon. Honorius autem de Gemma animæ l. 1 c. 115 c. 1215. Bibl. PP. t. 10 ed. Paris. cit. ita rem explicat, ut in festis tertia, in privatis diebus sexta, in quadragesima, vel in diebus jejunii nona hora Missa peragatur, idemque tradit Durandus Rational. l. 4 c. 1. Certe diebus festis hora tertia sacrificium offerri consuevisse, manifestum est ex Concilio Aurelianensi III. can. 14. t. 2 col. 1426 collect. Harduini. Gregorio M. Hom. 37 in Evang. n. 9 col. 1652 t. 1 ed. Maurin. Paris. 1705, Gregorio Turonensi de Vit. Patr. c. 8 n. 11 col. 1196. ed. Paris. 1699, Reginone de Eccles. discipl. l. 1 c. 55 p. 10 ed. Vien. 1765 Atque ita intelligendi sunt Epiphanius Exposit. fid. c. 25 p. 1106 t. 1 ed. Paris. 1622, et Walfridus Strabo de Reb. eccles. c. 25 in Biblioth. PP. t. 10 ed. Paris. col. 685, quorum alter *matutinis horis*, alter *ante meridiem* rem divinam conficiendam statuunt.

60. Nam Missa alia publica, alia privata est. Missa publica apud veteres ea præsertim erat, ad quam populus una cum suo Pastore conveniebat, atque in precibus, et oblatione communicabat; aderant autem clerici, qui suorum ordinum muneribus fungebantur (1). Quæ missa dicebatur *collecta, et synaxis*, quod ad offerendum, atque ad communicandum multitudo fidelium colligeretur (2). Verum lapsu temporum cum illa desiit frequens communio Christianorum; missa *publica, sive conventualis, et canonica* appellata est, quæ cum cantu, ritumque solemnem peragitur, quæque in omnibus cathedralibus, collegiatis, et conventualibus ecclesiis pro benefactoribus quotidie celebranda est (3). Parochialis quoque Missa, quam omnes Parochi saltem diebus festis pro populo, cui præsent, offerre debent, publica dicitur (4); ut distinguatur à privatis sacrificiis, quæ pro quovis homine privato, ac bene de ea Ecclesia merito offeruntur.

(1) Non tantum clerici Missæ præsententes erant suorum ordinum munera exercentes, verum etiam Presbyteri adhaerebant Sacerdoti sacra facienti, cum eoque communicabant et ejusdem sacrificii participes erant, quem ritum late explicat Morinus de Sacr. ordinat. p. 3 exerc. 3 c. 11 et seq. Certe Auctor Apostolic. const. l. 3 c. 11 et seq. p. 401 l. ind. Episcopum describit, qui rem divinam agit cum Presbyteris adstantibus, offerentibus, et communicantibus. Verba etiam consecrationis ab adstantibus Presbyteris prolata fuisse tradit Amalarius de Eccles. offic. l. 1 c. 12 in Biblioth. PP. t. 14 p. 945. ed. Lugdon., idemque patet ex vetusto Pontificali Ecclesiæ Rothomagensis apud Menardum in Not. ad sacram. S. Gregor. not. 282 col. 337 opp. S. Gregor. t. 3 ed. Maurin. Paris. 1705. Antiquæ hujus consuetudinis

apud Latinos vestigia supersunt in Episcoporum, et Presbyterorum ordinationibus; sed apud Græcos concelebratio adhuc viget.

(2) S. Augustinus in Brev. collat. diei tertiæ c. 17 col. 573 opp. t. 6 cit. ed. Ven., distinguit collectam à Dominica, veluti speciem à genere, uti nos publicam, solemnemque Missam à sacrificio distinguimus.

(3) Confer ea de re Benedictum XIV. in Const. cum semper 105 §. 41 et seq. p. 225 t. 1 Bullarii.

(4) De Missa Parochiali vide laudatam Const. 105 Benedicti XIV §. 2 et seq. pag. 225.

61. Privata Missa est, quæ sine cantu, ac solemnibus cæremoniis à solo Sacerdote celebratur, uno tantum ministrante; sive pauci alii, sive nulli intersint, sive solus Sacerdos, sive alii etiam Eucharistiam accipiant (1). Privatæ Missæ usus perpetuus in Ecclesia fuit; ut proinde sese deridendos præbeant recentiores hæretici, cum rem novam, et contra Missæ œconomiam prædicant id, quod constanti Ecclesiæ sententiâ, longaque vetustate firmatum est (2).

(1) Missa privata differt à *solitaria*, quam nimirum solus Sacerdos, ministrante, ac præsentem nemine, celebrabat. Id Missæ genus primum instituerunt Monachi sæculo IX., deinde etiam sæculares Presbyteri arripuerunt. Verum hanc Missam vetuerunt sacri canones, quod præsertim absurdum esset in ea Sacerdotem dicere *dominus vobiscum, sursum corda, gratias agamus, oremus*. Concilium Moguntinum an. 815 can. 45 col. 1015, Parisiense VI. l. 1 c. 48 col. 1524 t. 4 collect. Harduini, Nannetense apud Ivonem par. 3 c. 7, can. 61 de Consecr. dist. 1, qui canon sæculo IX. antiquior non est, et ideo male Soteri, aut Anacleto attribuitur.

(2) Vide Concilium Tridentinum Sess. 22 can. 8 et c. 6 de Sacrific. Missæ, Benedictum XIV. in Const. Certiores 64 p. 129 t. 1 ejus Bullar. ed. Romæ seu Venet. 1754. Et sane gravis est insania, atque error Lutheri, aliorumque hæreticorum, qui privatas missas, atque eas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, abrogandas censuerunt. Nam etiam privata Missa, quamquam careat externo illo solemnem rita, qui intimam ejus naturam non attingit, verum est sacrificium, atque in ea similiter, sicut in Missa solemnem, verum Christi corpus, et sanguis consecratur. Atque hæc quoque Missæ, ut recte inquit Synodus Tridentina l. c., *vere communes censerentur debent, partim quod in iis populus spiritualiter communicet, partim vero quod à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur*. Perpetuum ea de re Ecclesiæ usum, pluribus collectis ecclesiasticis monumentis, fuisse demonstrant, Card. Bona Rer. liturg. l. 1 c. 14 §. 1 et seq. ibique Sala in Not. p. 276 et seq. t. 1, Natalis Alexander Hist. eccles. sæc. 4 c. 6 art. 19 §. 1 n. 3 t. 4 p. 300, sæc. 15 et 14 tota diss. 15 p. 476 seq. t. 8, et sæc. 15 ac 16 dist. 12 art. 12 n. 5 p. 556 t. 9 ed. Ven. an. 1776, Tournelyus Prælect. theolog. de Sacrific. Missæ art. 3, Drouvenius de Re Sacram. l. 5 q. 9 per tot.; eandemque rem agunt, petitus ex liturgiis argumentis, Muratorius diss. de Liturg. Rom. c. 16 seq., et Assemanus in Diss. Cod. liturgic. l. 6 par. 7 præmiss. sect. 2 art. 1, 2, 3. Videndus est etiam Emanuel Schelestra-

tus in Act. Eccles. orient. cont. Lutheran. c. 1 de Missis privat. in Eccles. Græc. circ. fin., ubi narrantur conatus Lutheranorum, qui ut orientales ad suam sententiam perducerent, ad Hieremiam Constantinopolitanum Patriarcham miserunt Augustanam confessionem, in qua privatæ Missæ tolluntur. Sed responsum est, ab orientalibus, sicut ab occidentalibus, damnari pravam morem illorum, qui improba obtinendæ eleemosynæ cupiditate ad altare accedunt, non autem illos, qui ea, qua decet, pietate, et religione privatæ Missas celebrant, ut Deo sacrificium offerant.

62. Omni etiam loco, ethnicis dominantibus, sive is esset privata domus, sive carcer, sive cœmeterium, sacrificium offerbatur (1). Cum ad Christianos Imperatores rerum summa delata est, eam ob rem publica templa ædificata sunt; et vero nunc tantum in Ecclesiis consecratis, aut jussu Episcopi benedictis res divina conficitur, nisi secus postulet necessitas, quia tunc ea recte fit quovis commodo, et docenti loco (2). Cum venia Sedis Apostolicæ, etiam in privatis sacellis sacra mysteria celebrantur (3).

(1) Act. Apostol. XX. 7, Auctor. const. Apost. l. 6 c. 50 p. 571 apud Cotelierum l. c., S. Cyprianus Ep. 4 ad Presbyt. et Diacon. p. 42 ed. Paris. 1666., Philostorgius Hist. Eccles. l. 2 c. 15 p. 484 ed. Valesii Cantabrig. 1720

(2) Confer Benedictum XIV. const. Inter omnigenas 89 §. 22 t. 1 p. 180 Bullar. ed. Rom. seu Ven. 1754.

V. Syn. Tolet. an. 1582, Act. 3. Decret. 59, alias 40; et 40, alias 41.

(3) Vide Benedictum XIV. const. Magno 48 p. 216 t. 5 Bullar.

63. Jam Ecclesiæ lege Christiani dominicis, festisque diebus Missæ sacrificio interesse debent. At vetus quidem Ecclesiæ disciplina fuit, ut iis diebus singuli accederent ad Ecclesiam parochialem, ibique interessent sacrificio, quod à Parocho conficiebatur (1). Verum hæc disciplina jampridem antiquata est; et licet deceat Christianos diebus festis ire ad Ecclesiam parochialem, nulla tamen ea de re necessitas est, et qui extra eam sacrificio intersunt, Ecclesiasticæ legi satisfaciunt, neque alicujus criminis rei sunt (2).

(1) Concilium Sardicense can. 14 col. 648 t. 1., Quini-Sextum can. 30 col. 1690 t. 3 collect. Harduini ed. Paris., c. 2 de Paroch.

(2) Leo X. Const. Intelleximus 28 p. 462 t. 3 part. 3 Bullarii Romani, S. Pius V. const. Etsi 58 n. 8 p. 576 t. 4 par. 2. Confer Benedictum XIV. de Synod. diocæs. l. 11 c. 14. §. 7 et seq.

64. Mos in Ecclesia fuit, qui quidem diu servatus est, ut Fideles omnes, qui ad Missam convenirent, suam sacrificii par-

tem, hoc est, panem, et vinum offerrent (1). Eo pane, ac vino Christi corpus, et sanguis conficiebatur, et quod supererat (supererat autem plurimum, quoniam satis lautæ, et copiosæ oblationes erant), id totum alendis clericis, et pauperibus inserviebat (2). Labentibus annis loco panis, et vini pecunia offerri cepit, quæ initio dabatur Ecclesiæ, atque omnibus generatim clericis, deinceps autem data est certo Sacerdoti, ut privatim pro certis, designatisque personis sacrificium offerret (3).

(1) Late ea de re disseram paulo post, cum de oblationibus agendi locus occurret.

(2) Confer Christianum Lupum Schol. in can. 15 Concil. Roman. V. opp. t. 6 p. 101 et seq. ed. Ven. 1726.

(3) Ab ipsis Ecclesiæ primordiis in omnibus Christianorum templis fuisse arcam, in quam fidelium pecunia inferebatur, constat ex Tertulliano Apolog. c. 59 p. 31 ed. Paris. 1675., et Justino Apol. 1 ad Antonium Pium n. 67 p. 84 ed. Paris. 1742. Eandem consuetudinem adhuc IV. et V. sæculo perseverasse, ostendunt Augustinus Serm. 356 t. 5 par. 2 opp. n. 15 col. 1589 ed. Maurin. Ven. 1731. Hieronymus Ep. 71 n. 5 col. 451 opp. t. 4 ed. Vallarsii Veronæ 1754, et Paulinus Ep. 54 sive Serm. de Gazophylacio col. 215 ed. Veron. 1756. Sed quo primum tempore pecunia in arcam inferri desierit, atque ad ipsum altare offerri cœperit, certo definiiri non potest. Testatur quidem Augustinus Ep. 12 ad Aurelium Primat. n. 6 col. 29 t. opp., tempore oblationis, seu Missæ pro defunctis fuisse simul denarios oblatos, sed eos oblatos fuisse constat ea lege, ut pauperibus tribuerentur. Honorius Augustodunensis, qui sæculo XII. floruit, in Gemma animæ l. 1 c. 63 in Biblioth. PP. t. 10 col. 1199 ed. Paris. tunc pecuniam ad altare loco panis offerri cœpisse asseverat, cum fideles, qui sacrificio intererant, sacrorum mysteriorum participes esse desierunt; verum non ipsum designat tempus, quo id factum fuerit. Illud vero compertissimum est, quod recte animadvertit Thomassinus Vet. et nov. Eccles. discipl. par. 5 l. 1 c. 7 n. 8, semper olim sive panem, sive denarium Ecclesiæ, atque omnibus generatim clericis offerri consuevisse, non dari certo Sacerdoti, ut privatim rem divinam ageret pro eo, qui oblationem fecerat. Morem offerendi eleemosynam certo Sacerdoti, ut ejus largitor exuberantem sacrificii fructum in se, aliosve derivet, tantum sæculo VIII. inductum, ac sæculo XII. passim ubique receptum, putat Mabillonius Præfat. 1 in sæc. 5 Benedictin. n. 62 p. 27 ed. Ven. 1754, sed tamen eum longe antiquiorem esse contendit Franciscus Berlandius in diss. Historico-Theolg. de Oblation. par. 2 §. 2. Certe sæculo VIII. ad exitum vergente jam eam consuetudinem fuisse receptam, ostendit Chrodegangus Metensis Episcopus in regula, quam ea ætate pro suis canonicis scripsit, et in qua, c. 52 de Eleemosynis, apud Holstenium codex regular. t. 2 p. 107 ed. Augustæ Vindelic. an. 1759, canonicorum cuique permittit accipere, et in quemvis usum convertere eleemosynam, quæ pro sua sibi Missa offerebatur. Sæculo vero XI. mos hic tam late patebat, ut etiam pueris notus esset, sicuti patet ex eo, quod de S. Petro Damiani memoriae prodidit Joannes Monachus in ejus Vit. c. 2 p. 3 opp. Petri Damiani t. 1 ed. Paris. 1664, quem narrat repertum numum tradidisse Presbytero, qui Deo pro ejus Patre sacrificium offerret. Confer Mamachium del Dritto libero della Chiesa etc. t. 2 par. 1 not. 4 p. 147 seqq. et l. 5 p. 1. not. 1 p. 66 seqq.

(N. S. Quum vel ipse Paulus I Cor. 9 v. 15, et Syn. Valent. an. 1565, Sess. 3 Tit. 3 cap. 7, docuerint rationi, et æquitati consentaneum esse, ut qui Ecclesiæ inservit, ab ipsa quoque speret alimoniam percipere, hinc à primis Ecclesiæ sæculis inductum est, ut quotquot ad Sacram Synaxim fideles convenirent, suam Episcopo stipem offerendam deferrent. Id nobis indicat Synod. Illiberit. *Can. 28.* Hæ oblationes etsi in pane, et vino ut plurimum consistere, ut erudite demonstrat Benedictus XIV de Syn. Dioces. Lib. 5 Cap. 8 n. 2, quarum pars Corporis, et Sanguinis Christi consecrationi, pars Clericorum deputabatur sustentationi; at sequutis temporibus alia quæque præter panem, et vinum offerebantur; non enim panis, qui facile exsiccat, et corrumpitur, servari potest, aut semel, aut bis in anno inter Clericos dividendus, sicuti de oblationibus constituit Synod. Bracar. I., Cap. 21 alias *Can. 38.* Et quidem Syn. Emerit. an. 666, *Can. 14.* de pecunia quæ à fidelibus diebus festis præstari solebat, loquitur tanquam de re haud recens invecta. Verum ex crescente Clericorum numero, sensim eo res deducta est, ut quantum Ecclesiæ offerre consueverant fideles, id ipsum singulis cøperint Sacerdotibus offerre. Hinc ignorantia, et avaritia Clericorum quorundam ansam adripere, ut hunc oblationum usum ad quæstum contorquerent, et Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum quodammodo venditare viderentur, toties in die Missas ingeminantes, quoties sibi pecunia tradere-tur. Eos acriter insectati sunt S. Petrus Damiani Lib. 5 *Epist. 15.*, Alexander II in Syn. Rom. *Can. 55 de Consecrat. Dist. 1.*, Innocentius III, et Honorius III. *Cap. 3, et 12 de Celebr. Miss.* Inhibitum est plures in die celebrare Missas, præterquam in die Nativitatis Dominicæ; in aliam tamen relapsi sunt cupiditatis abusionem nonnulli, ut nonnisi pacto pretio, et quasi mercede conducti, ad Divinam Rem conficiendam accederent. Utramque simul corruptelam extirpare conata est Syn. Tolet. an. 1324 *Cap. 6;* at non defuerunt Sacerdotes, qui aliam implendæ pecuniæ siti viam quæsiere, quasdam supersticiosas invenientes ceremonias, ut elemosynam auferent; id quod vetuit Syn. Valent. Sess. 3 *Tit. 3 cap. 6.*)

65. Quæ pecunia offertur Sacerdoti rem divinam conficienti, non quasi pretium sit consecrationis Eucharistiæ, quod certe simoniæ crimen esset, sed quasi stipendium debitum Sacerdoti, qui cum altari serviat, habere ex eo debet, quæ suppedient ad cultum, et ad victum (1). Et quoniam Episcopi est judicare, quid singulis Presbyteris in unoquoque loco sit necessarium, ut vitam honeste traducant, hinc ejus est definire, quid ipsis rem divinam facientibus tribuendum sit (2). Sacrificium pro eo speciatim oblatum, qui stipem dedit, non ei solum, sed etiam toti prodest Ecclesiæ; verum ille fructum ex eo capit uberiorem, modo ad capiendum sacrificii fructum aptus, et idoneus sit (3).

(1) Lutherani, et Calviniani improbant morem dandi pecuniam Sacerdoti rem divinam acturo, quasi ea pretium sacrificii sit. Sed hanc calumniam jampridem antevererat S. Thomas 2 2 qu. 400 art. 2 ad 2 inquit: *Sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, aut Missæ decantandæ, hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suæ sustentationis.* Et in 4 dist. 25 qu. 3 art. 2 quæstiunc. 1 ad 4. *Facere*

*pactionem, inquit, de Missa celebranda, est simoniacum semper. Si tamen non habet alios sumptus, et non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicuti conducti Sacerdotes faciunt; non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ.* Huc etiam spectat Gersonius in opusc. de Solitud. ecclesiasticæ. t. 2 part. 19 p. 603 ed. Antwerp. 1706 cum ait: *sufficere in primis debet ad consensum hujus veritatis usus totius communitatis Ecclesiæ, qui sic habet, et recipit, cui si quis detrahit, imprudenter se decipit.* Et part. 6 p. 599, Nihil æquius, inquit, secundum omnem legem esse deducit Apostolus I ad Corint. 9, *quam qui altari deser-vit, de altari et vivat.* Hæc eadem, quæ à D. Thoma, aliisque pietate, ac doctrina præstantibus viris de honorario Missarum adversus hæreticos animad-versa sunt, quadrant etiam in libellum Neapoli editum, cui titulus: *Dissertazione sù l'onorario delle Messe;* de quo libello judicium eddiderunt veritatis, ac sapientiæ plenum Scriptores Annalium Trivultiensium *ad menses Januarii et Februarii an. 1749.* In hoc libello eadem pene dicuntur, quæ contra Missarum honorarium dicta, et à pluribus refutata sunt; tum potissimum recensentur mala, et incommoda, quæ ex eo propter sacerdotum avaritiam oriri dicuntur. Sed huic rei satis provisum est à Synodo Tridentina sess. 22 in decret. *de observan. et evitan. in celebr. Missæ,* cum sancivit, ut Episcopi *cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro missis novis celebrandis datur; nec non importunas, atque illiberales elemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certe à turpi quæstus non longe absunt, omnino prohibeant;* atque à Summis Pontificibus, præsertim Benedict. XIV, ejus præclara ea de re est Constitutio 22 p. 34 t. 1 ejus Bullarii ed. Rom. seu Venet. 1754. Si qui sunt Sacerdotes, qui saluberrimis hisce legibus non obtemperant, non ideo tollendum est Missarum honorarium, uti nemo tollenda dicat beneficia, quoniam interdum simoniæ causam præbent; itemque cetera bona, quoniam iis sæpe hominum vitia abuntur.

(2) Consule Benedict. XIV de Synod. dioces. l. 5 c. 9, et in Instit. Eccles. 56. Atque in omnibus quidem, quæ ad Missarum celebrationem pertinent, Episcopus, tamquam delegatus Sedis Apostolicæ, etiam in exemptos jurisdictionem exercet: Benedictus XIV. in Const. *Accepimus* 17 t. 2 Bullarii p. 78 ind. ed.

(3) Walfridius Strabo, de Reb. eccles. c. 22 col. 685 Bibl. PP. t. 10 ed. Paris. cit., visus est improbare consuetudinem, per quam sacrificium speciatim offertur pro illo, qui elemosynam dedit, non plus illud ei prodesse ratus, quam cœtui fidelium universo. Sed specialem pro certa persona sacrificii oblationem expresse docet S. Cyprianus Ep. 66 ad Cler. et Pleb. Furn. consisten. col. 272 ed. Maurin. Ven. 1758, S. Augustinus Confess. l. 9 c. 12 n. 52 opp. t. 1 ed. Maurin. Ven. 1756, et in Respons. ad 2 Dulcili qu. n. 4 t. 11 col. 475, Concilium Carthaginense III. can. 29, et IV can. 79 apud Labbæum t. 2 Concil. col. 1405 et 1443 ed. Ven., aliique complures, quos collegit Mamachijs del Dritto libero della Chiesa etc. t. 3 part. 1 p. 111 et seq. not. 2, ubi ea de re graviter, copioseque agit. Quamquam sacrificium, si rem ipsam, ac præcipuum offerentem, nimirum Christum, spectemus, vim infinitam habeat, tamen, ita Christo ipso volente, ejus effectus finitus est, et ideo plus ei, pro quo speciatim offertur, quam ceteris prodesse, manifestum est. Aut enim sacrificium tamquam propitiatorium, seu satisfactorium habetur, et certe pro illo speciatim satisfacit, ejus debiti dissolvendi gratia Deo exhibetur, aut tamquam impetratorium habetur, et pro-

fecto Deum movet ad uberiora beneficia ei concedenda, pro quo Sacerdos offerens sacrificium, Deum ipsum nominatim rogat. Rem omnem explicat diligenter D. Thomas in 4 dist. 45 art. 4 quæstiunc. 1 et 2. Hinc triplex Missæ fructus distinguitur, *Generalis*, *Specialis*, *Specialissimus*. *Generalis* ad totam Ecclesiam pertinet, *specialis* ad eum, pro quo nominatim sacrificium offertur, *specialissimo* solus Sacerdos fruitur, præterea nemo. Qui specialem sacrificii oblationem respiciunt, ii ne probandas quidem putant speciales preces, quæ pro aliquo funduntur. Sed alia est doctrina S. Cypriani, qui se pluries his precibus commendavit, alia ceterorum Patrum, alia Concilii Constantiensis, quod damnavit 19 articulum Wicleffi, agentis, quod *speciales orationes applicatæ uni Personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, ceterisque paribus*: t. 16. Concil., col. 756. collect. Labbei ed. Venet.

66. Et quamquam Missæ, quæ pro uno nominatim celebrantur, universam quoque Ecclesiam attingant, tamen Sacerdos pro eo speciatim offerre sacrificium debet, à quo eleemosynam accepit, nec licet Missam unam celebrare, ac pro pluribus stipendium accipere. Nam suam adstringunt fidem Sacerdotes, ut pro uno rem divinam agant; ac præterea cavendum est, ne quis divinam illud opus in quæstum vertat, si pro pluribus stipendiis Missam unam celebrare liceret (1). Hinc qui propter beneficium, aut capellaniam, qua fruitur, tenetur onere celebrandæ Missæ, non potest pro eadem Missa eleemosynam accipere (2).

(1) Confer propositiones damnatas ab Alexandro VII. n. 8, 9, 10, in Bullar. t. 6 par. 6 const. 529 pag. 85, et Benedictum XIV. const. Demandatum 87 §. 10 p. 178 t. 1. ejus Bullar.

(2) Vide Decreta Urbani VIII. in Bullar. const. 132. p. 335. t. 5. part. 5. præsertim ad 4. dubium p. 340., et Innocentium XII. in const. Nuper 155. p. 464. t. 9. Bullar. ult. ed. Consule etiam Benedictum XIV. in Instit. Eccles. 56, 56, 92., et de Synod. dioces. l. 5 c. 9; et Gagliardum in Instit. canonic. l. 2 t. 7 n. 56 et seq. ubi de his omnibus, quæ pertinent ad missarum eleemosynas, late disputatur.

SECTIO IV.

De Pœnitentia.

67. EFFECTUS, ET NECESSITAS SACRAMENTI PœNITENTIÆ.—68. EJUS QUASI MATERIA.—69. CONFESSIO PECCATORUM.—70. QUALIS CONFESSIO ESSE DEBEAT?—71. SATISFACTIO, SEU PœNITENTIA.—72. EA VEL PUBLICA, VEL PRIVATA.—73. ANTIQUI PœNITENTIUM GRADUS, SEU STATIONES.—74. FLENTES, ET AUDIENTES.—75. SUBTRACTI, ET CONSISTENTES.—76. STATIONUM PœNITENTIÆ TEMPORA.—77. PœNITENTIUM VITA.—78. PœNITENTIUM RESTITUENDORUM TEMPUS.—79. VETUSTI SOLEMNIS PœNITENTIÆ GRADUS ANTIQUATI.—80. ABSOLUTIO QUANDO DANDA?—81. FORMA SACRAMENTI PœNITENTIÆ.—82. MINISTER HUIUS SACRAMENTI.—83. IN MINISTRO REQUIRITUR POTESTAS ORDINIS, ET JURISDICTIONIS.—84. UNDE SUMITUR POTESTAS JURISDICTIONIS?—85. CASUS EPISCOPO RESERVATI.—86. CASUS RESERVATI SUMMO PONTIFICI.—87. OMNIA CRIMINA ECCLESIE POTESTATI SUBJECTA.

67.

**D**EI gratiam baptismo quæsitam, ac postea nostris criminibus amissam, per sacramentum Pœnitentiæ recuperamus. Itaque quantum ad æternam salutem necessarius est baptismus nondum regeneratis, tantum est necessaria Pœnitentia iis qui post baptismum criminis rei facti sunt (1); et recte hoc sacramentum *secunda post naufragium tabula* appellatur (2); quoniam in eo spes est posita, ac salus eorum, qui se contagione scelerum contaminarunt. Dicitur etiam hoc sacramentum *reconciliatio*, et *absolutio*, et *confessio*, et *manuum impositio reconciliatoria* (3), à Græcis autem *Exomologesis* (4) nuncupatur. Definitur à Theologis: «sacramentum, quo lapsis post baptismum, contritis, confessis, ac satisfacere proponentibus, absolutio à peccatis tribuitur.»

(1) Concilium Trident. sess. 14 c. 2 de Sacram. pœn.

(2) S. Hieronymus, Ep. 34 ad Pammach. n. 6 col. 524 t. 1 opp. ed. Veron.

(3) Concilium Arausicanum l. can. 3 apud Labbæum t. 4 col. 702 ed. Ven. Sed in Concilio Chartaginensi IV. can. 76 col. 1443 t. 2. apud eundem Labbæum dicitur simpliciter manuum impositio.

(4) Exomologesis vocabulum et confessionem, et criminum pœnitentiam significat, quod late ostendunt Fratres Ballerini not. 40 in S. Zenonem lib. 2 tract. 14 p. 197 t. 1 ed. August. Vindel. 1758.

68. Hujus sacramenti quasi materia sunt actus Pœnitentis: Contritio, Confessio, Satisfactio (1). Qui actus omnes in Pœni-

fecto Deum movet ad uberiora beneficia ei concedenda, pro quo Sacerdos offerens sacrificium, Deum ipsum nominatim rogat. Rem omnem explicat diligenter D. Thomas in 4 dist. 45 art. 4 quæstiunc. 1 et 2. Hinc triplex Missæ fructus distinguitur, *Generalis*, *Specialis*, *Specialissimus*. *Generalis* ad totam Ecclesiam pertinet, *specialis* ad eum, pro quo nominatim sacrificium offertur, *specialissimo* solus Sacerdos fruitur, præterea nemo. Qui specialem sacrificii oblationem respiciunt, ii ne probandas quidem putant speciales preces, quæ pro aliquo funduntur. Sed alia est doctrina S. Cypriani, qui se pluries his precibus commendavit, alia ceterorum Patrum, alia Concilii Constantiensis, quod damnavit 19 articulum Wicleffi, agentis, quod *speciales orationes applicatæ uni Personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, ceterisque paribus*: t. 16. Concil., col. 756. collect. Labbei ed. Venet.

66. Et quamquam Missæ, quæ pro uno nominatim celebrantur, universam quoque Ecclesiam attingant, tamen Sacerdos pro eo speciatim offerre sacrificium debet, à quo eleemosynam accepit, nec licet Missam unam celebrare, ac pro pluribus stipendium accipere. Nam suam adstringunt fidem Sacerdotes, ut pro uno rem divinam agant; ac præterea cavendum est, ne quis divinam illud opus in quæstum vertat, si pro pluribus stipendiis Missam unam celebrare liceret (1). Hinc qui propter beneficium, aut capellaniam, qua fruitur, tenetur onere celebrandæ Missæ, non potest pro eadem Missa eleemosynam accipere (2).

(1) Confer propositiones damnatas ab Alexandro VII. n. 8, 9, 10, in Bullar. t. 6 par. 6 const. 529 pag. 85, et Benedictum XIV. const. Demandatum 87 §. 10 p. 178 t. 1. ejus Bullar.

(2) Vide Decreta Urbani VIII. in Bullar. const. 132. p. 335. t. 5. part. 5. præsertim ad 4. dubium p. 340., et Innocentium XII. in const. Nuper 155. p. 464. t. 9. Bullar. ult. ed. Consule etiam Benedictum XIV. in Instit. Eccles. 56, 56, 92., et de Synod. dioces. l. 5 c. 9; et Gagliardum in Instit. canonic. l. 2 t. 7 n. 56 et seq. ubi de his omnibus, quæ pertinent ad missarum eleemosynas, late disputatur.

SECTIO IV.

De Pœnitentia.

67. EFFECTUS, ET NECESSITAS SACRAMENTI PœNITENTIÆ.—68. EJUS QUASI MATERIA.—69. CONFESSIO PECCATORUM.—70. QUALIS CONFESSIO ESSE DEBEAT?—71. SATISFACTIO, SEU PœNITENTIA.—72. EA VEL PUBLICA, VEL PRIVATA.—73. ANTIQUI PœNITENTIUM GRADUS, SEU STATIONES.—74. FLENTES, ET AUDIENTES.—75. SUBTRACTI, ET CONSISTENTES.—76. STATIONUM PœNITENTIÆ TEMPORA.—77. PœNITENTIUM VITA.—78. PœNITENTIUM RESTITUENDORUM TEMPUS.—79. VETUSTI SOLEMNIS PœNITENTIÆ GRADUS ANTIQUATI.—80. ABSOLUTIO QUANDO DANDA?—81. FORMA SACRAMENTI PœNITENTIÆ.—82. MINISTER HUIUS SACRAMENTI.—83. IN MINISTRO REQUIRITUR POTESTAS ORDINIS, ET JURISDICTIONIS.—84. UNDE SUMITUR POTESTAS JURISDICTIONIS?—85. CASUS EPISCOPO RESERVATI.—86. CASUS RESERVATI SUMMO PONTIFICI.—87. OMNIA CRIMINA ECCLESIE POTESTATI SUBJECTA.

67.

**D**EI gratiam baptismo quæsitam, ac postea nostris criminibus amissam, per sacramentum Pœnitentiæ recuperamus. Itaque quantum ad æternam salutem necessarius est baptismus nondum regeneratis, tantum est necessaria Pœnitentia iis qui post baptismum criminis rei facti sunt (1); et recte hoc sacramentum *secunda post naufragium tabula* appellatur (2); quoniam in eo spes est posita, ac salus eorum, qui se contagione scelerum contaminarunt. Dicitur etiam hoc sacramentum *reconciliatio*, et *absolutio*, et *confessio*, et *manuum impositio reconciliatoria* (3), à Græcis autem *Exomologesis* (4) nuncupatur. Definitur à Theologis: «sacramentum, quo lapsis post baptismum, contritis, confessis, ac satisfacere proponentibus, absolutio à peccatis tribuitur.»

(1) Concilium Trident. sess. 14 c. 2 de Sacram. pœn.

(2) S. Hieronymus, Ep. 34 ad Pammach. n. 6 col. 524 t. 1 opp. ed. Veron.

(3) Concilium Arausicanum l. can. 3 apud Labbæum t. 4 col. 702 ed. Ven. Sed in Concilio Chartaginensi IV. can. 76 col. 1443 t. 2. apud eundem Labbæum dicitur simpliciter manuum impositio.

(4) Exomologesis vocabulum et confessionem, et criminum pœnitentiam significat, quod late ostendunt Fratres Ballerini not. 40 in S. Zenonem lib. 2 tract. 14 p. 197 t. 1 ed. August. Vindel. 1758.

68. Hujus sacramenti quasi materia sunt actus Pœnitentis: Contritio, Confessio, Satisfactio (1). Qui actus omnes in Pœni-

tente sunt necessarii, ut integrum sit sacramentum, atque ut ipse plenam, perfectamque suorum criminum veniam consequatur, et ideo pœnitentiæ partes dicuntur. Contritio est *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero* (2); eaque duplex est, altera *charitate perfecta*, quæ cum sacramenti voto conjuncta, *hominem Deo reconciliat, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur*: altera *imperfecta, quæ attritio dicitur*, quoniam *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, et pœnarum metu communiter concipitur*: eaque, si *voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, peccatorem ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit* (3).

(1) Eugenius IV, in Decreto Concilii Florent. col. 440 l. 9. collect. concilior. Hardoini. Conc. Tridentinum sess. 14 c. 5 de Sacram. Pœnit., Catechismus Romanus par. 2 c. 5 §. 15.— Syn. Pœnit. an. 1502, cap. 4.

(2) Concilium Tridentinum l. c. c. 4.

(3) Concilium Tridentinum ibid.

63. Confessio est peccatorum accusatio, eo suscepta, ut virtute clavium veniam impetremus. Accusatio inquam, quoniam nostra scelera non ita commemoranda sunt, quasi otiosis auditoribus rem gestam narrarem, sed accusatorio animo ita sunt enumeranda, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus (1). Omnibus post baptismum lapsis integra peccatorum confessio jure Divino necessaria est: quoniam Christus Dominus, ad caelos migraturus, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præsides, et iudices, ad quos omnia Christianorum mortalia crimina deferantur, ut pro clavium potestate, remissionis, aut retentioris peccatorum sententiam proferant. Quod iudicium ferri, et justa, quæ facinori debetur, pœna imponi non potest, nisi omnia singularim, ac perspicue crimina aperiantur (2).

(1) Consule Catechismum Romanum par. 2 c. 5 §. 58.

(2) Concilium Tridentinum sess. 14 de Sacram. pœnit. c. 5.

70. Itaque omnia mortalia peccata, quæ post omnes excusatas animi laebbras, diligenter cogitanti occurrunt, Sacerdoti aperire oportet, ac præterea patefaciendæ sunt *circumstantiæ, quæ speciem peccati mutant* (1). Cuncta hæc apud solius Sacerdotis aures secreto deponuntur (2). Publicæ confessionis multa extant in antiquis monumentis exempla; eaque justas habuere causas, quas laudant Tridentini Patres, sed nulla unquam Ecclesiæ lege

publicæ confessionis necessitas imposita est (3). Olim sedentes peccata confitebantur (4), qui nunc etiam mos Græcorum est (5); hodie Latini genua flectunt: quam consuetudinem à Mo-nachis, ut videtur, arreptam sæculo XIII, usurpare cœperunt (6).

(1) Confer Concilium Tridentinum l. c.

(2) De sacramentali confessione, quæ apud Sacerdotis aures absolvitur, quamque semper agnovit, ac probavit Ecclesia, late inter ceteros agit Jueninius de Sacram. diss. 6 qu. 5 art. 2, collectis unoquoque sæculo Patrum testimoniis, aliisque ecclesiasticis monumentis, unde intelligitur, illam semper fuisse, quæ nunc est, ea de re Ecclesiæ sententiam. Quare, ut recte monet Julius Laurentius Selvagiùs Antiquit. christian. l. 5 c. 12 §. 42, *risu potius, quam solida confutatione excipiendum est commentum eorum, qui contendunt, Innocentium III auricularem confessionem excogitasse, vel usatam prorsus inauditam*. Ac multi quidem adversus catholicam de auriculari confessione doctrinam sunt, semperque fuerunt impetus, et conatus hæreticorum, qui nullo prorsus modo peccandi licentiam coerceri vellent. Ut mittam Valdenses, Albigenses, Wicleffianos in Calvinianis redi-vivos, Joannes Dalheus, Calvinianus Minister, libros quatuor contra auricularem confessionem in lucem edidit. Sed ejus, ac ceterorum hæreticorum deliramenta late refutavit Natalis Alexander Hist. Eccles. sæc. 15 et 14 tot. diss. 14 p. 501 et seq. t. 3 ed. Ven. cit.; ejusdemque etiam Dallæi ratioculis, atque commentis satisfecit peculiari tractatu, et responsione Dionysius Sanmarthianus, Monachus à Congregatione S. Mauri. Videndi etiam sunt, Emmanuel Schelestratus de concil. Antioch. tot. c. 9 à p. 251 usque ad 507, Mabillonius Præfat. ad sæc. 5 Benedictin. n. 80 seq. p. 58 t. 3 ed. Ven. an. 1754, Jueninius de Sacram. qu. 5 diss. 6 art. 2 c. 1, Drouvenius de Re sacram. l. 6 qu. 5 c. 1, Tournelys Prælect. theolog. de Sacram. pœnitent. qu. 6 art. 2, Selvagiùs cit. c. 42. per tot. aliique complures, qui catholicam dogma de auriculari confessione latissime ostendunt. Dallæi, ac ceterorum hæreticorum errores novissime renovavit Eybelyus libello edito Vindobonæ an. 1764, cujus titulus latine reditus est: *Quid continent documenta antiquitatis Christianæ de auriculari confessione?* quo quidem libello totas Eybelli labor, et totum ingenium est in recoquenda erantibus toties recocta, atque in alienis erroribus describendis, Deterrimum, et dignum homine hæretico librum merito damnavit sapientissimus, idemque optimus Pontifex PIUS VI, Apostolicis literis *Mediatore Dei* datis die 11 Novembris 1784. Illud non omitam, etiam hostes sacramentalis confessionis experiundo discere, ac fateri debuisse, quam utilis, quamque necessaria ea sit non tantum ad salutem animarum, sed etiam pro communi Republicæ bono ad vitia comprimenda, virtutesque inducendas. Hinc, uti narrat Sotus, oculatus testis, in 4 dist. 18 qu. 1 art. 1, cum propter abrogatam à Lutero sacramentalem confessionem, virgines Deo dicatæ ex monasteriis ereptæ, furta, raptus, adulteria, aliaque multa, eaque gravissima mala erupissent, Norimbergensis Civitas Carolum V. Imperatorem publica supplicatione exoravit, ut ibi sacramentalis confessio restitueretur, quoniam tot, ac tantorum scelerum copia nonnisi; ex ejus abrogatione processerat.

(3) Confer S. Leonem M. Ep. 140 opp. l. 2 p. 492 ed. Rom. 1755, et Concilium Tridentinum l. c.



(4) Consule Martenium de Antiq. Eccles. rit. l. 1 c. 6 art. 5 §. 5 p. 265 t. 1 cit. ed. Ven.

(5) Vide Leonem Allatum de Consens. Eccl. Occid. et Orient. l. 3 c. 9 n. 6.

(6) Vide Martenium l. c.

71. Satisfactio est pœna, quæ pœnitenti arbitrio Sacerdotis imponitur. Per sacramentalem absolutionem remittitur quidem culpa, removenturque pœnæ in inferis constitutæ; sed tamen sæpe remanent peccatorum reliquiæ, et quæ criminibus debetur, pœna certo tempore definita (1). Nam omnis æqui ratio postulat, ut pro illatis Deo injuriis aliquid persolvamus; et consentanea est Divinæ clementiæ compensatio, quam ipse postulat, ut ea sit quasi frenum, quo diligentius contineamur in officio, atque à criminibus, pravaque consuetudine abstrahamur (2). Itaque necessaria est satisfactio, per quam eluatur quidquid sordium propter peccati maculam in anima resedit, ac solvamur pœnis temporariis, quibus tenebamur (3).

(1) Concilium Tridentinum sess. 14 de Sacram. pœnit. can. 12, 13, 14, 15, Catechismus Romanus par. 2 c. 5 §. 65.

(2) Concilium Tridentinum sess. 14 c. 8 de Sacram. pœnit., Catechismus Romanus l. c. §. 62 et 65.

(3) Catechismus Romanus l. c. §. 64.

72. Hæc satisfactio passim dicitur pœnitentia, eaque vel publica est, quæ publice, et coram Ecclesia, vel privata, quæ clam, et privatim absolvitur. Mortalia peccata palam admissa publica pœnitentia expianda esse, constans semper Ecclesiæ doctrina fuit, ut ita publicæ offensioni satisfiat (1). Sed et publica pro gravioribus criminibus, licet occultis, pœnitentia frequens olim erat (2); quin etiam felicissimis illis Ecclesiæ temporibus multi erant, qui sceleris puri, publicam pœnitentiam sponte suscipiebant.

(1) Apostolus I ad Timoth. V. 20: Concilium Tridentinum sess. 24 de Reform. c. 8.

(2) Frequentissimam olim fuisse publicam occultorum, eorumque graviorum criminum, pœnitentiam, inter omnes constat; verum magna inter eruditos disputatio est, num hujus, pro occultis criminibus, publicæ pœnitentiæ necessitas aliqua unquam Ecclesiæ lege imposita fuerit. Joannes Morinus, de Pœnit. l. 5 c. 8, Natalis Alexander Hist. Eccl. sæc. 3 diss. 6 p. 54 t. 4 ed. Ven. 1774, aliique complures, Ecclesiæ lege sancitum putant, ut rei graviorum criminum, qualia erant idolatria, homicidium, adulterium, aliaque his affinia, licet ea essent occulta, publicam pœnitentiam agere cogerentur. Contra vero Bellarminus in Controv. de Pœnit. l. 3 c. 14 opp. t. 3 p. 561 ed.

Ven. 1721, Sirmondus Hist. pœnit. pub. c. 2 et 3 opp. t. 4 p. 482 et seq. ed. Paris. 1696, Jacobus Petitus ad Theodor. Cantaurien. pœnit. t. 2 ad calcem p. 61 et seq., Constantinus Roncaglia in Not. ad Natal. Alexandr. l. c. p. 69, atque alii bene multi, nullam fuisse putant Ecclesiæ legem, qua propter occulta crimina, licet gravissima, publica pœnitentia imponeretur. Longum esset in hac questione immorari; confer tamen Tournelyum Prælect. theolog. de Sacram. Pœnit. q. 3 art. 5, et Robertum Salam in Not. ad Card. Bonam Rer. litur. l. 1 c. 17 §. 6 not. 4 p. 580 et seq. t. 1 ed. Taurin. 1747, qui de ea multis disputant.

73. Publica pœnitentia nullis certis definitis spatiis, atque solemnibus initio peracta est, eaque tota erat posita in ejectione ab ecclesia, laboriosisque operibus, quæ rei criminum suscipere cogebantur (1). Sed post schisma Novatianum, quod medio fere tertio sæculo erupit, certa, atque solemnia agenda pœnitentiæ spatia sunt constituta: ut ita vel externis ritibus Ecclesia occurreret Novatianis, qui dimittendi graviora peccata post baptismum admissa, in Ecclesia potestatem esse negabant (2). Omnis hæc solemnitas, atque omnes hi ritus consistebant in certis gradibus, sive stationibus, quæ quatuor numero erant. *stetio, auditio, substratio, consistentia* (3).

(1) Consule Martenium l. indic. art. 4 §. 1 p. 266. Sane ab Ecclesiæ primordiis usque ad ætatem Montani, et vero etiam Tertulliani, nullum fuisse solemnæ tempus agenda pœnitentiæ constitutum, patet ex silentio Tertulliani, qui nusquam ejus rei meminit, quamquam de pœnitentia egerit, itemque ex silentio eorum, qui ante Tertullianum floruerunt. Idem jus fuisse à Montano ad Novatianum, eorum, qui per ea tempora scripserunt, ac præsertim Cypriani silentium ostendit. Quin etiam constat ex eorum temporum monumentis, rem hanc totam Episcopi arbitrio gestam fuisse; licet post Montanum diuturniores, quam antea, pœnæ dari consueverint, quæ omnia late persequitur Jueninus de Sacram. diss. 6 c. 4 art. 1 §. 1 et 2.

(2) Confer Card. Bonam Rer. liturgic. l. 1 c. 17 §. 3, ibique Salam in Not. p. 565 t. 1 ed. Taurin. 1847, Morinum de Pœnitent. l. 4 c. 1 n. 5, Albaspinæum Obser. l. 2 c. 22 p. 111 ed. Neap. 1770.

(3) Quatuor hos pœnitentiæ gradus, ut observat Natalis Alexander Hist. Eccles. sæc. 3 diss. 8 t. 4 p. 77 ed. Ven. 1776, primus singillatim, ac distincte S. Gregorius Neocæsariensis, cognomento Thaumaturgus, can. ult. epistolæ canonicæ memoravit. Negat Morinus hunc canonem revera Gregorii esse; sed eum refellit Natalis Alexander l. c. Eorundem graduum mentio est apud S. Basilium Ep. 199 canon. ad Amphiloeh. 2 can. 22 et Ep. 217 canonic. 5 can. 56 et seq. 64, 75, 77, 80, 81, 83, opp. t. 5 p. 295 et 526 et seq. ed. Maurin. Paris. 1750, Concilium Ancyranum can. 6, 16, 17, l. 1 collect. Hardoini col. 275 et 277, et Trullanum can. 87 col. 1691 t. 5. Apud Latinos jam inde à IV. sæculo Pœnitentium divisiones fuisse, ostendunt Ecclesiæ per ea tempora ædificatæ, ac præsertim antiquissima Basilica S. Clementis, de qua videndi Joannes Ciampinius Vet. monument. Mus. p. 1, et Philippus Rondininus, qui de ea peculiarem librum edidit. Hos etiam pœnitentium gradus, et ordines in vetustis Urbis Basilicis extitisse, Ciampinius

ostendit l. 3. Consule Morinum, Albaspinæum, Martenium locis indicatis, itemque Christianum Lupum in Schol. ad can. 11 concil. Nicæni opp. t. 1 p. 254 ed. Ven. 1724, et ceteros recentiores sacrorum rituum scriptores, qui singulos Pœnitentium gradus accurate describunt.

74. Primo gradu erant *stentes*; qui scilicet extra Ecclesiam in porticu commorabantur, ac lugubri induti veste, sparsisque crinibus, et cinere, ac cilicio sordidati, peccata sua publice confitebantur, et stentes, sæpeque etiam ad pedes provoluti, fideles, qui Ecclesiam ingrediebantur, rogabant, ut sibi à Deo, atque Episcopo pœnitentiæ locum impetrarent (1). Hi potius candidati pœnitentiæ quam veri pœnitentes erant. Proximum tenebant locum *audientes*, qui scilicet Ecclesiæ narthecem ingressi, Divinam Scripturam, sacrasque conciones audiebant, quibus finitis, cum reliquis audientibus, sive ethnicis, sive catechumenis, ab Ecclesia exire jubebantur (2). Erat hic gradus et beneficii, et opprobrii loco, beneficii, inquam, quoniam ita pœnitentiæ digni habebantur, opprobrii autem, quod iterum mittebantur ad audienda fidei rudimenta, quæ, quod graviter peccassent, vix didicisse videbantur.

(1) Vide Cyprianum de lapsis p. 177 cit. ed. Paris, et epistolam Cleri Romani ad Cyprianum Ep. 51 p. 45, ubi stentium status graphice describitur. Ambrosium de Pœnit. l. 1 c. 16 opp. col. 525 et de Laps. Virgin. c. 8 col. 592 t. 5, Concilium Agathense can. 15 t. 2 col. 999, Barchinonense l. can. 6 col. 1454 t. 2, Toletanum III. can. 12 col. 481 t. 3 collect. Harduini. Apud Basilium Ep. 217 ad Amphilochem can. 56 opp. t. 3 p. 526 ed. Paris, de voluntario homicida, quem inter stentes per triennium esse jubet, habentur hæc: *quatuor annis destere, stans extra fores domus orationis*; hæc autem can. 75 p. 523 de incesto, qui sororem vili vit: *triennio desheat, stans ad fores domus orationis*. Antiqua monumenta Ecclesiastica memorant etiam *Hyemantes*, qui *Plentibus* inferiores erant, quoniam extra tectum Ecclesiæ pulsati, sub dio pœnitentiam agere cogebantur. Præsertim Ancyranæ Synodus can. 17 apud Labbeum t. 1 col. 149, Gentiano Herveto interprete ed. Ven., eos qui *rationis experia animalia inierunt, et qui leprosi sunt, vel fuerunt*, jussit inter hyemantes orare. Verum hic gradus aut à *Flecti* non differabat, ut quidam putant, aut erat veluti extra ordinem gradus, in quo rei gravissimorum quorundam criminum versabantur; quoniam ordinarius pœnitentiæ cursus conficiebatur ex quatuor illis gradibus, quos recensimus. Erant autem inter Hyemantes majori excommunicatione percussi; ac plane ab Ecclesia præcisi, quo etiam in loco, procul scilicet à porticu, jussi sunt stare leprosi, ne ceteros inficerent, et qui cum brutis, aut contra naturam luxuriabantur, quos monstra, et furias appellabant. Confer Card. Bonam l. c. §. 5, ibique Salam Not. 2 p. 574 et 577 t. 1, Albaspinæum in Not. ad cit. can. 17 Ancyran. p. 205 ed. Neap. 1770, et Selvagium Antiqu. christ. l. 5 c. 11 §. 21 not. 27, à quibus de hyemantibus, deque leprosis, qui in hoc loco erant, late disseritur.

(2) Memorant *Audientes* S. Gregorius Thaumaturgus l. e., S. Basilium

cit. Ep. can. 57 p. 526, Concilium Nicænum can. 19. col. 466 t. 1 collect. Harduini. Similiter S. Gregorius Nyssenus in Ep. canon. ad Letojum Episc. Mitilenen. canon. 4 et 5 p. 951 et seq. t. 1 ed. Paris. 1615, hæc adversus homicidam voluntarium, post novem annos in fletu exactos, statuit: *tot annos in auditione permaneat, sola Doctorum, et Scripturarum auditione dignus habitus*.

75. In tertio gradu erant *substrati* seu *genuflectentes*, qui stabant intra Ecclesiæ ambitum, usque ad ambonem; ubi post ejectos *audientes*, in genua provoluti (1) manuum impositionem sub certis precibus accipiebant, inde etiam ab Ecclesia exibant; interrim vero jejuniis, precibus, durisque, et laboriosis operibus exercebantur (2). Quartus denique gradus erat *consistentium*, qui ita dicebantur, quod post ejectos catechumenos, ceterosque pœnitentes, cum fidelibus in Ecclesia consistere, precesque funderent (3). Hi participis quidem erant precum, quæ fidelium dicebantur, sed non item corporis, et sanguinis Christi, neque eorum oblationes recipiebantur: quo factum est, ut quarta hæc pœnitentium statio interdum *segregatio*, et *separatio* diceretur.

(1) Illud quasi prætereuntes animadvertemus, non solum Pœnitentes Presbyteris, atque Episcopis præsertim advoli solitos fuisse, sed et ceteros fideles id obsequii genus adversus illos à primis Ecclesiæ sæculis præstare consuevisse. Hinc illa orta est ethnicorum calumnia apud Minucium Felicem (Octavius p. 555 ed. laur.), Christianos *Antistitis, ac Sacerdotis, quasi parentis sui, adorare naturam*. Unde intelligitur, quam graviter desipiant, qui nostras adgeniculationes, seu genuflexiones ad Romani Pontificis, Christi Vicarii, pedes irrident; cum exploratissimum sit, hanc reverentiam ab antiquis Ecclesiæ sæculis etiam in Episcopos, et Sacerdotes semper adhibitam fuisse. Et Summo quidem Pontifici hoc semper obsequii genus Christianos exhibuisse, ejusque pedes osculari solitos fuisse, compertum est. In actis antiquissimis S. Susannæ Virginis, et martyris, quæ recitat Cardinalis Baronius ad an. 294 n. 10 p. 271 t. 5 ed. Lucæ, de Præpedigna, Claudii uxore, narratur, quod *audita viri tanta à Deo facta mutatione, repente ad Cæsum Papam se contulit, ad pedesque conridens, eos ex more exosculata, eoque se ad fidem recipi postulabat*. Cum autem id ex more factum dicatur, perspicuum est, ab ipsis Ecclesiæ primordiis fieri consuevisse; quod et paulo post confirmatur in eisdem actis, ubi de eodem Cajo Pontifice dicuntur hæc: *ad cuius adventum qui erant congregati in domo Gabinii, in terram prostraverunt se omnes ex more*. Eadem etiam de Maximo occurrunt. Vetustus Ordo Romanus, qui Gelasio tribuitur, apud Mabillonium Ord. l. n. II Ord. II. n. 3 Ord. III. n. 10 p. 9, 45, et 56 ed. Paris. 1699, Diaconum inducit osculantem pedes Pontificis, antequam Evangelium legat. In vitis Romanorum Pontificum, quæ Anastasio tribuuntur, pluries mentio est obsequii, quo Imperatores Summo Pontificem exceverunt. Cum Joannes I. an. 525 Constantinopolim adiit, cuncti eum summo honore prosequuti sunt, sed præsertim *Justinus Augustus, dans honorem Deo, humiliavit se pronus, et adoravit Beatissimum Papam Joannem*. Vide Baronium ad an. 525 n. 6.

t. 9. p. 341. ed. Luc. 1744. Non multo post Agapetus simili honore exceptus fuit, quoniam piissimus Augustus Justinianus, gaudio repletus, humiliavit se S. Sedi Apostolicæ, et adoravit Sanctissimum Papam Agapilum. Etiam Justinianus II. ineunte VIII. sæculo, hoc ipsum obsequium præstitit adversus Constantinum Summum Pontificem: *in die autem, qua se invicem viderunt, Augustus Christianissimus cum regno in capite sese prostravit; pedes osculans Pontificis, deinde in amplexum mutuum corruerunt.* Anastasius Bibliothecarius in vitis Sum. Pontificum t. 1 sect. 83 p. 95 sect. 96 p. 102 et sect. 175 p. 160 ed. Rom. 1735. Mitto cetera quæ fusius, et uberius explicat Cajetanus Cennius diss. 6. inter ejus dissertationes Pistorii editas an. 1778 t. 1 p. 171 et seq. Vide etiam Thomassinum vet. et nov. Eccl. discip. par. 2 l. 3 c. 65. et Dominicum à SS. Trinitate Biblioth. Theolog. t. 5 par. 2 l. 4 sect. 11 c. 42.

(2) Vide Concilium Ancyranum can. 16 apud cit. Labbæum t. 1 col. 1491 ejusd. ed., ubi potissimum de substralis agitur. Erat substratorum statio intra Ecclesiæ ambitum à portis usque ad ambonem, videlicet parvum illud, atque altius ædificium, ex quo legebantur Epistolæ, et Evangelium, Dyptica recitabantur, atque ad populum conciones habebantur. Adhuc Romæ extant vetusti quidam ambones in Ecclesia S. Clementis, SS. Nerei, et Achillei, aliisque Ecclesiis, ac de his late scripserunt Du-Cangius in Not. ad Paulli Silentiarum descript. Templi S. Sophiæ n. 75 et seq. ac in glos. med. et inf. latinit. verb. Ambo, Thiersius in diss. eccl. n. 2. Rondininus de Eccl. S. Clemen. p. 95.

(3) Concilium Nicænum can. 11 col. 528 t. 1 collect. Harduini hunc gradum vocat *communicare cum populo orationibus sine oblatione*, et can. 12 et 15 col. 550 *communione orationis* appellat. Concil. Ancyranum can. 4 et seq. col. 27 t. 1 collect. Harduini, utitur his formulis: *communicent sine oblatione; sola oratione communicent: communionem ad preces assequantur.* Quæ formulæ etiam apud plures Latinos Patres occurrunt. Consistentium in Ecclesia locum fuisse ab ambone usque ad altare, inter omnes constat; sed non ita exploratum est, num permixti cum fidelibus, nullo discrimine, an potius ab iis loco disjuncti fuerint. Verisimilius tamen est, eos fuisse sejunctos; nam secus ad cancellos sanctuarii accedere potuissent, à quibus non offerentes, et non communicantes arcebantur.

76. Certa erant stationum spatia pro singulis criminibus constituta; sed ea tamen pro gravitate delicti longiora, aut breviora erant (1); et vero rei gravissimorum quorundam criminum toto vitæ curriculo pœnitentiam agere cogebantur (2). Episcopus stata tempora pro vario pœnitentium studio contrahebat, aut producebat, arbitrato suo; et hoc quidem Episcopi arbitrium interdum tam late patebat, ut posset pœnitentes ex Auditione ad Consistentiam, omissa Substratione, traducere (3). Longius, ut plurimum, erat tempus substrationis, quoniam hæc statio ad eluendas animorum sordes proprie erat instituta, et interdum anno decimoquinto solvebatur (4)

(1) Concilium Ancyranum can. 5 col. 275 t. 1 collect. Harduini, S. Ba-

silius ep. 217 ad Amphilocho. fere per tot. opp. t. 3 p. 324 et seq. ed. Paris. cit.

(2) Hujusmodi pœnitentiam Concilium Eliberitanum can. 5 col. 249. t. 1 collect. Harduini, constituit adversus eos, qui Flaminiis, sive ethnici Sacerdotis officium suscepissent, et can. 15 col. 251, adversus virgines consecratas, quæ se stupro contaminassent; Concilium Neocæsarense can. 2 col. 28 t. 1, adversus mulierem duobus fratribus nuptam; Arelatense I. can. 14 col. 265 t. 1, adversus eos, qui falso fratres accusaverunt; Ancyranum can. 16 col. 277, Valentinum in Gallia, can. 5 col. 790 eod. tit. 1, Herdense can. 5 col. 1065 t. 2, adversus aliorum criminum reos. Confer Muratorium Antiquit. Italic. medii ævi t. 5 diss. 68.

(3) Concilium Nicænum can. 11 col. 528 t. 1 collect. Harduini.

(4) Concilium Ancyranum can. 16. loco mox laud.

77. Toto illo temporis cursu, quo Pœnitentes in iis stationibus versabantur, multa edere debebant dolentis animi significationes, seque etiam à multis, quæ ceteris licebant, abstinere. Et vero cinere aspersi, et operi cilicio (1), ac mares vel raso capite, vel tonsis capillis, mulieres aut sumpto pœnitentiæ velo, aut passis, tonsisque crinibus, pœnitentiam accipiebant (2). Præterea corpus jejuniis cruciabant, eleemosynas dabant pauperibus, iis etiam diebus, quibus ceteri fideles stantes orabant, flexis genibus preces fundebant, seque à balneis, conviviis, ipsoque matrimonii usu abstinabant. (3).

(1) Cilicium erat vestis aspera ex pilis animalium contexta, quæ totum corpus operiebat. Ambrosius de Laps. virgin. c. 8 n. 35 opp. t. 5 col. 592 ed. Maurin. Ven. 1751.

(2) Concilium Agathense can. 15 col. 999 t. 2 collect. Harduini, Toletanum III. can. 12 col. 481 t. 5 collect. ejusd., Ambrosius l. c., Hieronymus ep. 77 n. 4 col. 456 opp. t. 1 ed. Vallarsii Veron. Velum pœnitentiæ, quod mulieres sumebant, memorat Optatus Milevitanus l. 2 contra Parmenian. p. 58 ed. Paris. 1676.

(3) Consule Martenium de Antiq. Eccles. rit. l. 1 c. 6 art. 4 t. 1 p. 266 et seq. ed. c., à quo hæc omnia accurate describuntur.

78. Certus erat pœnitentium restituendorum dies (1), nisi justa adesset causa, propter quam id celerius faciendum videretur. Nam citius restituebantur ii, quos martyrum libelli commendarent (2), qui ad martyrium erant comparandi, qui illustrem Christo pœnitentiam, et obsequentis animi significationem edidissent, qui in vitæ discrimine versarentur; idem denique fiebat, si quid inde mali ab Ecclesia amoveretur, aut si quid boni in eam redundaret (3). Quin etiam multi erant, qui sua crimina privata pœnitentia expiabant, neque publicam subire cogebantur, quamquam graviora flagitia admisissent. Hujusmodi erant juve-

nes, propter, ætatis fragilitatem (4), et mulieres adulteræ, quoniam publica pœnitentia, quæ certum erat earum criminis monumentum, iis mortis causa esse poterat (5); et conjugati, nisi conjugis consensus accederet (6); et clerici majores, qui etiam in monasterio sua crimina desebant, nisi publicam pœnitentiam sponte susceperent (7).

(1) Feria V. in cana Domini olim pœnitentes reconciliari consuevisse, demonstrat Innocentius I. in ep. ad Decentium Eugubium, c. 7 col. 862. apud Constantium ep. Roman. Pontif. Hæc quidem consuetudo erat Ecclesiæ Romanæ, altarumque occidentalium Ecclesiarum, quæ ejus ritus susceperant. Verum in Mediolanensi Ecclesia Pœnitentes reconciliari solebant feria sexta majoris hebdomadæ, uti patet ex S. Ambrosio ep. 20 ad Marcellinam soror. n. 26 col. 908 t. 3, et in Hexæmer. l. 5 c. ult. col. 450 t. 1 ed. Ven. ind. Eandem quoque consuetudinem viguisse in Hispaniis, atque in quibusdam Gallicanis Ecclesiis, ostendit Martenius de Antiq. eccles. rit. l. 1 c. 6 art. 5. §. 10 t. 1 p. 271.

(N. S. Septem prioribus Ecclesiæ sæculis, non modo in gravissimis delictis, verum et in minoribus reservata Episcopo erat facultas pœnitentes reconciliandi: S. Cypr. Ep. 2, Syn. Carthag. III. Can. 52, et Hispal. II. an. 619 Can. 7. Verum ex hac lege idem Canon Carthaginensis videlicet eum eximit, qui in extremis ageret; hic enim poterat à Presbytero reconciliari; alioqui à solo Episcopo, vel eo jubente, à Presbytero: Syn. Iliberit. Can. 52. Nam Canonicam inter, et simpliciter publicam Pœnitentiam id discriminis intercedebat, quod illa non nisi ab Episcopo publice in Ecclesia ante Apsidem per manuum impositionem injungeretur, qua peracta, eadem solemnitate fiebat reconciliatio; hæc vero, pro occultis peccatis, quemadmodum secreto ab Episcopo, vel à Presbytero Episcopi auctoritate imponebatur, ita, ea peracta, etiam reconciliatio occulte fiebat, et quidem vel ab Episcopo, vel Episcopo absente, ipso etiam inconsulto, à simplici Presbytero. Syn. Hispal. II. laud. Can. 7).

(2) Confer Albaspinæum in can. 25 Concil. Eliberit. p. 167 ed. Neap. 1770, et Natalem Alexandrum Hist. eccles. sæc. 5 et 4 diss. 5 t. 4 p. 46, ed. Venet. 1776.

(3) Late hæc omnia persequitur, et multis confirmat monumentis Natalis Alexander, l. cit. diss. 9 p. 30.

(4) Concilium Aurelianense III. can. 24 col. 1428 t. 2, et Agathense can. 15 col. 1000 t. 2 collect. Harduini.

(5) S. Basilius can. 54, ibique Balsamon, et Alexius Aristinus in Scholiis apud Beveregium in Pandectis t. 2 par. 1 p. 47. Consule Card. Bonam Rer. liturg. l. 4. c. 17. §. 5, ibique Salam Not. l. p. 375 et seq. t. 1. laud. ed. Taurin.

(6) Concilium Arelatense III. can. 22 col. 757 t. 2 collect. Harduini.

(7) Siricius P. ep. ad Himerium Tarraconen. Episc. c. 14 col. 636. apud Constantium l. c., Hieronymus ep. 147 ad Sabinian. Diacon. col. 1078 t. 1 c. ed. Veron. Confer Morinum Exere. eccles. l. 2 exere. 14., Natalem Alexandrum dissert. 41 p. 39 l. c., et P. Constantium de Pœnit. major. clerice. in Thesaur. Theolog. t. 12 opusc. 12 p. 191.

79. Solemnes illi, quos numeravi, publicæ pœnitentiæ gra-

das jampridem antiquati sunt (1); et nunc pœnitentia arbitrio Sacerdotis imponitur. Quod eo spectat, ut non certæ, sicuti olim fiebat (2), pro singulis criminibus constitutæ à canonibus pœnæ infligantur; verum Sacerdotes debent salutare, et convenientes satisfactiones injungere (3), quæ scilicet apte conveniant ad novæ vitæ custodiam, atque ad peccatorum castigationem. Hinc Pœnitentiæ ministri, ut suo recte munere fungi possint, scire debent canones pœnitentiales, ut inde criminum gravitatem, et dignam crimine pœnitentiam noscant (4).

(1) Solemnes publicæ pœnitentiæ gradus Constantinopoli sustulit Nectarius, Patriarcha Constantinopolitanus; cujus exemplum etiam reliquæ Græcorum Ecclesiæ brevi sequutæ sunt. Consule Cl. Franc. A. Pacharium, qui rem totam diligenter explicat *Diatrib. de Pœnitentia Constantinopoli sublata à Nectario in Thesaur. Theolog. t. 11 p. 290* In Occidente vetus illa disciplina diutius obtinuit. Nam Latini octavo exeunte, nonoque inenunte sæculo gradus illos integros retinebant, uti patet ex capitularibus Caroli M. et Ludovici Pii l. 5 c. 156, apud Baluzium capitul. Reg. Francor. t. 1 col. 569 ed. Ven. 1772 Medio sæculo IX. solemnes pœnitentiæ ritus memorat Nicolaus I. ep. ad Rivoladrum Episcopum apud Labbæum t. 3 concil. col. 503. ed. Veron. et ep. 24 ad Hincmar. Remens. col. 512 et Concil. Wormatiense an. 868. can. 30 col. 742 t. 5 coll. Harduini. Sed iis in locis tantum tres Pœnitentiæ gradus describuntur, scilicet Fletus, Auditio, Consistentia, omittitur autem Substratio, quod etiam fit in epistolis Summorum Pontificum, et decretis conciliorum, quæ ad eam ætatem pertinent. Denique sæculo XII. gradus illi pœnitentiæ apud Latinos fere ubique desierunt, atque ejus mutata disciplina causa præsertim fuerunt, canonice pœnitentiæ commutatio cum certis precibus, et corporis flagellis, cum pecunia collata in pauperes, atque in alios pios usus conversa, aut cum laborioso aliquo opere, quod in bonum Ecclesiæ redundaret; et ideo peccatores sæpe sunt jussi arma capere contra hæreticos, aut infideles; et communis prope Theologorum ejus ætatis sententia fuit, pœnitentiam in foro conscientie Sacerdotis arbitrio esse constitutam, quæ omnia late enarrat Morinus de Pœnitent. l. 10 c. 16 et 25.

(N. S. Adhuc tamen postea viguisse partim apud nostrates publicæ pœnitentiæ usum, ediscimus ex Syn. Cojic. an. 1050, cap. 4, ac ex Tolet. an. 1525, cap. 18).

(2) Magna erat veterum Patrum cura, et diligentia, ut propria remedia, et justa pro unoquoque crimine pœnitentiæ tempora constituerentur. Ea de re agebatur in conciliis, ubi plures conditi sunt canones, consulebantur etiam primarum sedium Episcopi, et qui ceteris pietate, ac doctrina præstarent; et hi suas dabant literas, quibus aptum, et idoneam ad singula crimina pœnitentiam, et ejus quoque tempus stabiliabant. Hinc collecti sunt *canones pœnitentiales*, ex quorum auctoritate pœnitentiæ imponebantur; et ideo cum Episcopi synodum habebant, inter cetera monebant Presbyteros, ut non ex corde, sed sicut in Pœnitentiali scriptum est, pœnitentias darent apud Reginonem l. 1 c. 98. Similiter Episcopi, cum diocesis lustrabant, illud in primis quærebant, num presbyter haberet librum pœnitentialem, et num secundum ejus leges pœnitentiam imponeret; uti patet ex Buchardo l. 1 c. 74., et Reginone l. 1 c. 95. Multi adhuc extant hujusmodi libri pœnitent-

tiales, evulgati à viris eruditiss., quos memorat Benedictus XIV. de Synod. diocæs. l. 1 c. 11 n. 5.

(3) Concilium Tridentinum sess. 14 c. 8 de Pœnitent.

(4) Consule S. Carolum Borromeum in Præfat. ad can. pœnit., et Card. de Aguirre ad can. 11 et 12 Concilii Toletani III. t. 2 collect. maxim. Concil. Hispan.

(N. S. Illud hic observare præstat, veterem Ecclesiæ disciplinam in pœnitentia sollemni, et publica injungenda, non esse omnino abolitam. Synod. enim Trident., *Sess. 24 Ref. cap. 8*, decernit, ut ubi de criminibus agatur, quæ publicæ, et coram multis sint perpetrata, *condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi* oporteat: verum facultatem Episcopo tribuit, qua possit publicum pœnitentiæ genus, in aliud secretum commutare, si id conducere judicaverit. Adhæc sollemnem pœnitentiam etiamnum Episcopis in Pontificali exhibet Ecclesiæ, ejusque ritum exacte describit, ut pro temporum, locorum, atque criminum gravitate, et personarum qualitate eam reducant. Huic autem injungendæ *Dies cinerum*, quemadmodum publicæ absolutioni *Feria V in Cæna Domini*, aptissimum judicatur tempus: Constit. Syn. Valent. an. 1255 *Constit. de Confess.* et Pontificale R. *Part. 5 num. 2, et 5*. S. Carolus Borromæus ad utriusque publicæ, ac sollemnis pœnitentiæ instaurationem Episcopos, Parochosque hortatur in suis Synodis. At hujus Canonice pœnitentiæ pæne nullum vestigium hodie videmus).

80. Absolutio primis Ecclesiæ sæculis, ut plurimum, post actam pœnitentiam concedebatur (1). Verum cum ea res ad disciplinam pertineat, nullaque sit necessitas præmittendæ pœnitentiæ, ut integrum sit sacramentum, labentibus annis invaluit usus tribuendæ absolutionis, antequam pœnitentia peragatur. Quin et vetusta ætate quamquam ea, quam memoravi, disciplina obtineret, tamen sæpe ante emensa pœnitentiæ spatia absolutio dabatur, si quem libelli martyrum comendarent, si quis præclaram pietatis significationem edidisset, si qua gravis urgeret causa, quæ mitiorem disciplinam postulare videretur (2); diuque obtinuit, ut statim post confessionem dimitterentur crimina, quæ publica pœnitentia expiare non oportebat (3). Merito hinc damnatæ, et proscriptæ sunt duriores, asperioresque sententiæ illorum, qui Christi lege institutum ferunt, ut pœnitentia absolutioni præeat, ac minus probant eam, quæ nunc viget, disciplinam, per quam absolutio pœnitentiam antevertit (4).

(1) Cyprianus Ep. 10, 52, 59 p. 25, 66, 94 ed. Paris. 1666, Pacianus Ep. 1 ad Sympronian. p. 507 Bibl. PP. t. 4 ed. Lugd., Ambrosius de Pœnitent. l. 2 c. 9 col. 549 t. 5 c. ed. Ven., Innocentius I. Ep. 25 ad Decent. col. 362 apud Constantium Ep. Pontif. Roman., Leo M. E. 84 ad Theodor. Forojulien. Episc. opp. t. 2 p. 523. ed. Rom. c., Concilium Toletanum III. c. 11 col. 491 t. 5 collect. Harduini.

(2) Cyprianus Ep. 18 et 19 ad Caldon. 52, 54 col. 71, 75, 165, 187 ed. Ven. 1756, Cornelius Ep. ad Cyprian., quæ inter Cyprianicas est Ep. 46. col. 147., Innocentius I. Ep. 25 ad Decent. n. 10 col. 362 apud Constantium,

Leo M. Ep. 103 ad Theodor. c. 4 col. 1175 opp. t. 1 ed. Ballerin. Ven. 1753, Concilium Nicænum can. 13 apud Labbæum t. 2 Concil. col. 39 ed. Ven., Carthaginense IV. can. 76 col. 1443 ib., Ancyranum can. 5 col. 1487 ib., Araticanum I. can. 3 col. 702 t. 4, Epaonense can. 56 col. 716 t. 5 id.

(3) Consule Morinum de Pœnit. l. 9 c. 14.

(4) Sæculo XV. Petrus Oxomensis, Theologiæ in Salmaticensi Academia Professor, docuit, satisfactionem absolutioni omnino esse præmittendam, isque à Sixto IV. damnatus est. Superiori sæculo hunc errorem aliqui renovarunt, contententes, differendam esse absolutionem sacramentalem, ut prius aliqua saltem laboriosa operâ à Sacerdote imposita Pœnitentes absolvent; sed eum damnarunt Alexander VIII. n. 16, 17, 18 in Bullar. Rom. p. 97 t. 9 ult. ed., et Clemens. XI. in Constit. Unigenitus 187 p. 340 t. 10 ejusd. Bullar. Eundem hunc errorem, quem scripto mandarât Theophilus Brachet, Sacra Facultas Parisiensis die 25 Jun. an. 1644 condemnavit.

81. Formam hujus sacramenti conficiunt verba illa absolutionis, quæ Sacerdos profert, *non nudum præstans ministerium pronuntiandi, remissa esse peccata, sed actum judicalem exercens: Ego te absolvo etc. quibus de Ecclesiæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipsius tamen formæ essentialiam nequamquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae* (1). *Indicativa hæc forma antiquissima certe est apud Latinos* (2); de Græcorum forma non eadem omnibus sententia est (3).

(1) Concilium Tridentinum sess. 14 de Sacram. pœnitent. cap. 5 et 6.

(2) Joannes Morinus l. de Administrat. pœnitent. multis capitibus defendit, deprecativam fuisse formam sacramenti Pœnitentiæ, qua usque ad sæculum XII. Latini uti sunt. Morinum complures sequuntur, licet fateantur, nunc tantum indicativam esse formam, quam Synodus Florentina, ac Tridentina proposuit. Contra Latinorum formam et nunc esse, et semper fuisse indicativam, contendit Edmundus Simonetus de forma Sacrament. Pœnitent. in Thesaur. Theolog. t. 11 opusc. 9 p. 485 et seq. Ætate S. Thomæ, quæ pertinet ad sæculum XIII, indicativa forma jamdudum inducta erat, de eaque loquitur ipse Thomas opusc. 25 alias 22 c. 1., tamquam antiquissima, et ubique recepta, imo potius existimare videtur, nullam aliam umquam obtinuisse. Martenius autem de Antiq. eccles. rit. l. 1 c. 6 art. 5 §. 12. in quatuor antiquissimis libris ritualibus sese indicativam formam deprehendisse testatur.

(3) Simonetus loco mox laudato art. 5 p. 555 et seq. Græcorum formam non deprecativam, sed indicativam esse arbitratur. Sed alia sententia est Morino l. c. c. 12., Jueninio de Sacram. diss. 6 qu. 7 c. 2 art. 1., aliisque compluribus.

82. Minister sacramenti Pœnitentiæ est Episcopus, aut Sacerdos (1). Si quando à Diacono datam absolutionem constat (2), non id referendum est ad sacramentalem absolutionem, quæ rei crimen tollit, quæque ordinis propria est, sed ad cære-

monialem absolutionem, quæ pœnitentem solvit legibus publicæ pœnitentiæ, quæque etiam Diacono committi poterat, cum tota jurisdictionis sit (3). Similiter si quem laico sua interdum patefecisse crimina scriptum est (4), factum id fuit patientiæ, et demissionis causa, non quod laicus per sacramentum Pœnitentiæ solvere quemquam posset (5).

(1) Concilium Tridentinum sess. 14 de Pœnitent. c. 6. Eugenius IV. in decret. union. Armen. t. 9 collect. Harduini col. 440., Leo X. const. 44 t. 3 par. 3. Bullarii p. 439, ubi inter ceteros damnatur Lutheri error, quod videlicet in sacramento Pœnitentiæ, ac remissione culpæ non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus Sacerdos; imo ubi non est Sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiam si mulier, aut puer esset. Quo in luto ante Lutherum hæsitaverant Wicleffus, Flagellantes, et Hussitæ, qui spreto Sacerdotis tribunali, sua apud laicos crimina confitebantur, atque ab iis absolutionem obtinebant, ut videre est in lib. 5 de Gestis Ballevini de Luczenburch. c. 9 apud Baluzium Miscellan. Historic. t. 1 p. 524 ed. Luc. 1761. Quamquam, ut in ceteris, ita etiam in hoc errore Lutherus inconstans, et varius de Captivit. Babylon. unum Baptismum Sacramentum habeat: quo factum est, ut quasi duæ familie proseminatae sint Lutheranorum, quorum alii Pœnitentiæ sacramentum esse affirmant, alii negant. Adeo verum est, non nisi in Ecclesia catholica unam semper, et eandem esse fidem.

(2) S. Cyprianus ep. 12. p. 25. ed. Paris. cit. Constitutiones Odonis Parisiensis Episcopi c. 56. t. 6. par. 2. col. 1946 collect. Harduini, c. Fures de Furtis, si vera est lectio, quæ vulgo traditur, Presbytero, vel Diacono confessi fuerint. Nam Antonius Augustinus in not. ad prim. collect. Decretalium l. 5. tit. 26. c. 4. p. 526. ed. Luc. 1769, legendum esse monet Presbytero, vel Deo, uti est in can. 51. Concilii Triburensis col. 449, t. 6. collect. Harduini, unde illud caput desumptum est.

(3) Confer Cardinalem de Aguirre concil. Hispan. t. 1 p. 729, Natalem Alexandrum Hist. Eccles. sæc. 3 diss. 4 t. 4 p. 49 ed. Ven. 1776, et Benedictum XIV de Synod. diocæs. l. 7 c. 16 n. 5 ad 8. Late etiam, ac solide hoc argumentum persequitur Carolus Blaschus diss. 4, et contra Basnagium Launojum, atque alios ostendit, nunquam Diaconos, etiam urgente necessitate, Pœnitentiæ sacramentum adiuistrasse.

(4) N. S. Non desunt Auctores inter quos Jo. Morinus Lib. 3 de Pœnit. cap. 25, qui docent olim apud Latinos etiam Diaconos confessiones in extremo vitæ periculo exceperisse, lapsisque dedisse reconciliationem, atque absolutionem à peccatis, Presbytero absente. Huic sententia prora, et puppis est illud Cypriani Epist. 12 ad Clerum de Lapsis, ubi hæc habet: Si incommodo aliquo, et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata presentia nostra, apud Presbyterum quemcumque presentem, vel si præsens non fuerit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, et manu eis in pœnitentiæ imposita, veniant ad Dominam cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt. At vero Carolus Blaschus Vir Cl. et de re Canonica benemerentissimus Tom. 2 Opusc. Dissert. 1, post expositas, rejectasque plures Theologorum, Canonistarumque in productum locum interpretationes, suam adfer, qua contendit Cyprianum tantummodo exomologesim Diaconis tribuisse, hoc est, ceremonias, ritusque ab Ecclesia præscriptos, qui tertium publicæ Pœnitentiæ gradum cons-

tituebant, scilicet Prostrationem, hæud vero manuum impositionem, quam absolutio à peccatis comitabatur, quamque Diacono non tribuit Cyprianus. Hanc quidem interpretationem ab Pamelio in Tertull. pag. 200, Baluzio in Epist. Cypriani 15, Petavio in Diatr. de Pœnit. et reconc. Cap. 2, aliisque satis indicatam, jam produxerat in suis Theologicis disciplinis Jo. Laurentius Berti, lib. 34 Theolog. Discipl., cap. 4. At vero eandem Vir egregie doctus in modo indicata Dissertatione, petitis undique ex antiquis Patribus, atque adeo ab ipso Cypriano argumentis, mire adstruit, eruditissime animadversionibus illustrat. Verum non ita facile ac Cypriani verba, interpretari potest Can. 52 Syn. Illiberit. Si quis gravi lapsu in ruinam mortis incidit, placuit, agere pœnitentiæ non debere sine Episcopi consultu; sed potius apud Episcopum agat, cogente tamen infirmitate. Non est Presbyterorum, aut Diaconorum communionem talibus præstare debere, nisi eis jusserit Episcopus.

(4) Can. Qui vult de pœnitent. dist. 6. Multa hujusmodi exempla colligunt Morinus de Pœnitent. l. 8 c. 24., Jueninius de Sacram. diss. 6 qu. 5 c. 4 art. 2, Martenius de Antiq. Eccles. rit. l. 1 c. 6 art. 6 §. 3 p. 274 t. 1 cit. ed. Ven.

(5) Vide D. Thomam in 4 dist. 17 q. 5 art. 3 q. 2, et vide etiam Benedictum XIV, l. c. n. 9 et seq.

83. Ut autem valeat absolutio, in ministro requiritur non tantum potestas Ordinis, per quam ei ex divina institutione committitur judicium animarum in foro pœnitentiæ, sed etiam jurisdictionis. Potestas Ordinis efficit, ut Presbyter judicium hoc sacramentaliter exercere possit; sed frustra id exerceret, nisi haberet subditos, in quos suam explicet potestatem. Atque hæc est potestas jurisdictionis, quæ tota pendet ex imperio in subditos, adeo ut sine subditis nulla sit. Cetera sacramenta sine hac potestate conferre non licet, sed tamen valent collata cum sola ordinis potestate: verum sacramentum pœnitentiæ utramque desiderat; quoniam opus est ministro, per quem et conferatur gratia, et feratur sententia, quæ tantum valet prolata in eos, qui judicis jurisdictioni subiecti sunt (2).

(1) Concilium Tridentinum sess. 14 de Sacram. pœnitent. c. 6 et can. 9, et Catechismus Romanus par. 2 c. 5 §. 54.

(2) Consule Cl. Christianopolim in libro della Nullità delle assoluzioni nei casi riservati c. 2 §. 5 §. 109 p. 158. et seq.

84. Jurisdictio penes Episcopum in omni diocesi est, et ideo nisi quis eam ab Episcopo obtineat, in ejus subditos exercere judicium, ac sententiam ferre non potest. Parochi, cum animarum curæ pacificuntur, sui officii jure obtinent hanc potestatem; quia cum Parochi sint, accipiunt ad Episcopo subditos, quos regant, et in quos jurisdictionem exercent. Ceteri

Sacerdotes, quibus nulli cum beneficio subditi dati sunt, opus habent venia Episcopi, à quo ad hoc munus apti, et idonei judicentur, ac muneris gerendi potestatem accipiant (1). Itaque Parochi posteaquam rite constituti sunt, jure proprio; reliqui Sacerdotes, sive ex sæcularibus, sive ex regularibus, jure delegato pœnitentiæ sacramentum administrant (2).

(1) Concilium Tridentinum sess. 25 cap. 15 de Reformat. Consule Benedictum XIV. Instit. Eccles. Instit. 86, ubi multa sunt, quæ ad hunc locum pertinent.

(2) Nullus ita sit temerarius, inquit Patres Gallicani in comitiis generalibus an. 1625, 1635, 1645, ut ingerat se audiendis confessionibus, quin ad id facultatem scripto traditam ab Episcopo, aut ejus Vicario generali obtinerit. Et Religiosi, quamvis exempti ab illius jurisdictione, excipere non poterunt confessiones, quin prius examen subierint, ab eoque, aut ejus Vicario generali approbati fuerint, ex quorum nutu pendebit, ut indefinitam, aut ad tempus solum facultatem concedant. Hinc Pius IV. Const. in Principis Apostolorum 109. Bullar. Roman. ult. ed. t. 4 par. 2. p. 214, et Urbanus VIII. Const. Cum sicut accepimus 279 t. 6 par. 1 ejusd. Bullar. p. 142 sustulerunt privilegia omnia concessa Regularibus, aliisque omnibus audiendi sæcularium confessiones, non impetrata primum ab Episcopo facultate. Alias eadem re propositiones, à Regularibus quibusdam Andegavensibus evulgatas contra Episcoporum potestatem, confixere Clerus gallicanus in comitiis generalibus an. 1656, et Alexander VII. die 24 Septembris 1665. Const. 120. ejusd. Bullar. t. 6 par. 6 p. 84.

(N. S. Ad sæculum usque XII quisque adstrictus erat proprio Sacerdoti, sive Parocho, aliive Superiori sua peccata confiteri; uti patet ex Cap. Omnis utriusque sexus 12 de Pœnit. et Remis, ubi etiam in hæc verba decernitur: Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, et obtineat à proprio Sacerdote, quom aliter ipse illum, non possit absolvere, vel ligare. Id ipsum constituit Rodericus Tellius in Syn. Tarracon. an. 1291 in Compil. Jo. Teres Lib. 5 Tit. 16 cap. 2, et eandem fuisse tunc Ecclesiæ disciplinam testatur Alphonsus Sapiens in Leg. 21, et 22 Tit. 4 Part 1.

Sæculo XIII aliis, quam Parochis absolvendi facultas indulgeri cepit. Episcopis, et aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatibus exemptis, Gregorius IX primus indulsit, ut etiam præter sui Superioris licentiam, providum, et discretum sibi possint eligere Confessarium. De Pœnitentiario Majori Episcopi, sive de Sacerdote, qui exciperet loco Episcopi fidelium Confessiones, meminit Andreas Albalatus Episcop. Valent. præf. Constit. de Confess. Jo. Archiepiscop. in Syn. Tolet. laud. Cap. 18 concessit Curatis, ut possent consotio, vel alteri discreto Presbytero confiteri: et Jo. ab Aragon. Archiep. Tarracon. in Syn. an. 1229, quod Presbyter volens Missam celebrare, si non habet copiam proprii Confessoris, possit cuilibet Presbytero idoneo sua peccata confiteri. Videsis Compil. Jo. Teres Constit. Superh. ex Lib. 5 de Pœnit. cap. 5. Tum idem hic Gregorius Fratres Prædicatores privilegio fidelium confessiones excipiendi impertit: Bulla data in Urbe-Veteri 17 Kalend. April. an. 1250, id quod indicat præfatus Andreas Albalatus *ibid.*; quod dein alii Mendicantes, præsertim Minores, consequuti sunt: Clement. Dudum de Sepulturis; et Syn. Dertus. Cap. 17. Verum Bo-

nificius VIII sanxit, ut Regulares administrandæ Pœnitentiæ veniam pro idoneis Fratribus ab Episcopis, Prælativæ, Diœcesanis postularent: quod si autem hi renuerent, possent quorumlibet confessiones libere audire: Cap. 2 de Sepult. in Extrav. Communibus. Tum Benedictus XI, Ordinis Prædicatorum, maluit Ordinarios cogere ad impartendam tres intra dies designatis à Superiore Fratribus petitam veniam, quibus elapsis, munus Confessarii obirent sine impedimento: Extrav. Comm. Cap. 1 de Privilegiis. Dein Clemens V Bonifacii Constitutionem innovavit: Clement. Dudum 2 de Sepulturis: illam vero Benedicti Alexander V, ex ordine Minorum, restituit: Constit. Regnans in excelsis. Tum qui sequenti sunt R. Pontifices, potius favere, quam adversari ejusmodi Regularium privilegiis studuerunt Tandem Synodus Trident. Sess. 25 Ref. cap. 15 decernit, nullum, etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et ad probationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis, et consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus. V. Syn. Valent. Sess. 2, tit. 2, cap. 16. Laud. Jo. Archiepisc. Tolet. in Syn. an. 1524, Cap. 7, Presbyteris, ut possent frequentius celebrare, tunc tantummodo concessit alii Presbytero confiteri, quom non possint commode copiam sui Curati habere. Plures Synodi, etiam post Concilium Tridentinum, antiquam consuetudinem semel saltem in anno proprio Parocho confitendi, servandam decrevere: Parocho saltem constare debet, suos parochianos annuæ Confessionis præcepto fecisse satis. Id ipsum Conc. Hisp. voluisse, deprehendet, qui eorum canones attente legat).

85. Hæc autem ab Episcopo data potestas, modo angustioribus coercetur finibus, modo latioribus explicatur. Nam ea res pendet ab Episcopi arbitrio, qui ut jurisdictionem attribuit, ita eam arelat, constringit, explicat suo arbitratu. Ex quo patet, posse Episcopum suo lubitu tantum in certos homines, atque in certa crimina potestatem concedere; unde intelligitur, quamobrem Sacerdotes nequeant ferre sententiam in certos homines, ac judicare de quibusdam criminibus, quorum sibi judicium Episcopus reservavit. Inde jus oritur *casum*, quos *reservatos* vocamus, quod efficit, ut Sacerdos, excepto mortis articulo (1), nihil possit in iis rebus, quarum potestatem Episcopus non mandaverit (2).

(1) Mortis articulus à periculo differt. Est namque mortis periculum, inquit Melchior Canus de Pœnitent. par. 9., in his dumtaxat, unde mors frequenter solet accidere.... At articulus mortis intelligitur, cum regulariter certa mors est. Non solum in articulo, sed etiam in gravi mortis periculo, cum abest Parochus, aut alius ab Episcopo approbatus confessarius, quemlibet Sacerdotem absolutionem impartiri posse, ostendit Carolus Blachus in Appendic. ad diss. 2 de Pœnitent.

(2) Concilium Tridentinum sess. 14 de Sacram. pœnit. cap. 7 et can. 11. Inquit autem ipsa Synodus cit. c. 7, quod nulla sit reservatio in articulo

mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt. Quæ verba cum pateant amplissime, ac nullum Sacerdotem excipiant, omnibus fere Scriptoribus Juris Canonici argumento sunt, quod, urgente necessitate, absolvere possit quisvis Sacerdos, etiam excommunicatus, suspensus, degradatus, hæreticus, modo absit publica offensio, ac periculum subversionis. Graviter, et copiose in hoc argumenti genere versatur Carolus Blascus diss. 2 de Pœnitent. Verum autem adeo est, quod supra dixi, neminem sine Episcopi venia absolvere quemquam posse à casibus ipsi Episcopo reservatis, ut id etiam ad eos pertineat, qui absolventi à casibus reservatis Sedi Apostolicæ, facultatem obtinuerunt. Et habentes, inquit Clemens X. Constit. Superna 10 §. 7 p. 52 t. 7. Bullar. Rom. ult. ed., facultatem absolventi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Consule S. Carolum Borromeum Concil. Provinc. III. tit. de his quæ ad pœnitent. sacram. pert. et Concil. Provinc. V. eod. tit. Act. Eccles. Mediolan. par. 1. p. 79 et 190 ed. Patav. 1754.

86. Quod autem Episcopus in sua diœcesi, id potest Summus Pontifex, supremo jure, cui subsunt omnes, in Ecclesia universa. Nam per totam Ecclesiam ejus propagata, ac diffusa jurisdictio est; et ideo nulla est aliorum potestas in iis, quæ huic uni Summæ Potestati servata sunt (1). Ac recte quidem, et merito graviora quædam crimina Summo Pontifici, aut Episcopo reservata sunt, ut ea difficultate absolutionis cohiberentur, et gravioribus morbis peritioris medici remedium adhiberent (2).

(1) Concilium Tridentinum sess. 11 de Pœnitent. c. 7. et merito sapientissimus, atque Optimus Pontifex PIUS SEXTUS, literis doctrinæ, veritatis, dignitatis, auctoritatisque plenis, quas edidit die 28 Novembris an. 1786, Eybelium dampnavit, ausum in libro: Quis est Papa?, calumniari reservationem absolutionum, quæ ad Sedem Apostolicam pertinent. De casibus à Summo Pontifice, aut ab Episcopo reservatis, deque nullitate absolutionis, quæ contra reservationis legem data est, copiose disputat Cl. Christianopolis libro Romæ edito anno 1785, cui titulus: Della Nullità delle assoluzioni ne' casi riservati. Vide etiam Cl. Bolgemum in egregio libello Maerata edito an. 1785 cui titulus: Esame della vera idea della S. Sede §. 155 et 154 p. 206 et seq. Falsi autem sunt Van-Espeus Jur. eccl. univers. t. 1 par. 2 tit. 6 c. 7 n. 9, et Dominicus Cavallarius Instit. Jur. Canon. par. 2 c. 16 §. 7 in not., qui graviora crimina Sedi Apostolicæ tantum reservari cœpisse putant post sæculum X. et initio quidem potius Episcoporum, quam Summorum Pontificum auctoritate. Nam Romanos Pontifices jam VI. sæculo quosdam sibi casus, ut dicimus, suo sibi jure reservare solitos fuisse, demonstrat S. Gregorius M., quem nemo ignorat absuisse quam maxime à violandis juribus Episcoporum. Is autem, Ep. 7 l. 5 col. 631 t. 2 opp. ed. Paris. cit., Joannem Larissensem Metropolitanum, si quid ageret contra quam ab Sede Apostolica præscriptum fuisset, privandum statuit communione sacrorum, quam non recuperaret, excepto ultimo vitæ suæ tempore, nisi concessa Romani Pontificis jussione. Vide etiam S. Leoaem M., Ep. 12 ad Anastas. Thessalonicens.

c. 1 et ult. p. 49 seq. et 55 seq. Homicidas autem ante annos circiter nongentos, quod vere observat Martenius de Antiq. eccles. rit. t. 1 l. 1 c. 6 art. 6 n. 6 p. 275, veniæ impetrandæ causa ad Summum Pontificem missos fuisse constat ex lib. 3 de Gest. Santor. Rotonens. c. 1 sac. 4. Benedictin. Cum autem homicidium esset ex genere eorum criminum, quæ in quibusdam Ecclesiis veniæ locum non relinquebant, fortasse eum hæc disciplina austeritas emolliri, ac mitigari cœpit, id retentum est, ut eorum graviorum criminum rei non nisi à Sede Apostolica veniam consequerentur. Nam ea semper ipsius lenitas, benignitasque fuit, ut etiam cum antiqua vigeret disciplina severitas, ipsa tamen justis de causis veniam interdum daret in criminibus, quæ alicubi ordinaria lege uni Dei judicio relinqui, non autem ab Ecclesia dimitti solebant. Ita Tertullianus, posteaquam in Montani errores incidit, Zephyrinum Pontificem reprehendit, quod veniam daret mœchis, quibus illam aliæ Ecclesiæ antea denegare consueverat.

(2) Concilium Eliberitanum can. 52 t. 1 Concil. collect. Labbæi col. 996. Apud Presbyterum, inquit, si quis gravi lapsu in ruinam mortis incidit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potius apud Episcopum. Ergo gravius crimen jam tunc Episcopo reservatum erat. Sed et nota cunctis est antiqua Ecclesiæ disciplina de publica pœnitentia, quæ donec viguit, publicæ pœnitentium reconciliatio ad Episcopum pertinebat, eademque obsolescente Summi Pontifices, et Episcopi potestatem absolventi à gravioribus quibusdam criminibus, extra mortis periculum, sibi reservarunt. Quinimo non tantum Episcopis, sed etiam Majoribus Sedibus ab atrocioribus quibusdam criminibus absolutionem reservari consuevisse jam indo à V. ineunte sæculo, ostendit Synesius Ep. 67, unde constat, Theophilo Alexandrino Patriarchæ, cui Synesius suberat, Lamponiani cujusdam absolutionem fuisse servatam. Inquit autem ipse Synesius cit. Ep. 67 p. 215 ed. Paris. 1655. Sed ego in iis perseveravi, quæ semel decreverim; solvendi porro jus, et auctoritatem ad Pontificiam Sedem rejeci.

(N. S. Quum primum cœperunt Episcopi alios præter Parochos Confessarios instituere, tunc etiam cœpisse videtur reservationis usus, ita ut atrociora generatim crimina Episcopis tunc absolvenda reservarentur. Addeis Syn. Constit. Valent. an. 1255 de Confes. Dein vero quædam speciatim peccata duxerunt sibi reservare Episcopi, uti gessit sæpius laud. Jo. Tolet. in præf. Synod. ibidem. Sunt quoque casus veteri consuetudine R. Pontifici reservati; à quibus, ut quis absolvi potuisset, olim Romam eundem fuit. At hodie Episcopis, nonnullisque Presbyteris facultas de iisdem absolventis à R. Pontifice impertiri solet. In Hispania exstat Bulla S. Cruciatæ, quæ pœnitentibus concessum est, ut ab reservatis Episcopo toties absolvi à Confessario possint, quoties illa committant; semelque intra ejusdem Bullæ publicationis annum, et in mortis discrimine, ab iis omnibus, quorum absolutio R. Pontifici est adligata, si hæresis crimen excipias.

De casibus R. Pontifici reservatis, hic tantummodo observare juvat, reservationum utilitatem in eo præcipue positam esse, ut homines, perpensa absolutionis difficultate, ab illis criminibus abhorreant, et ad resistendum peccato ea cautiore reddantur, quo peccata arctabuntur verecundius confiteri. Ita mox laud. Jo. Tolet. ibid. Pœnitentiarius veluti Episcopi delegatus est, ut de iis cognoscat, et absolvat. In mortis autem articulo, quilibet Presbyter à quibuscunque, etiam Papæ reservatis, criminibus morti proximum absolvit; modo is quædam pœnitentiæ signa edat; qui enim pœnitentiam in mortis agit periculo, non diatine à reconciliationis gratia differendus est; sed si præcincto mortis urgeatur periculo, pœnitentia per ma-



nus impositionem accepta, statim ei reconciliatio adhibenda est. Hæc Synod. Tolet. XI *Can. 12.* Consonat Illiberit. passim: *Nican. Can. 12.* Barcinon. an. 540 *Can. 8.* Ne plures. Nunquam enim Ecclesia nisi petentibus absolutionis Viaticum impendendum esse censuit. Unde Synod. Tolet. XII *Can. 2* ita decernit: «Sacerdos, qui non sentienti, neque petenti, ausu temerario pœnitentiam dederit, neque se exhortatu ejus, qui pœnitentiam accipit, manuum iudiciis, vel quilibet aliis evidentibus significationibus invitatum fuisse probaverit, unius anni excommunicationis sententiæ subjacebit.» Egroti ante omnia, ut hoc sacramento se muniant, admoneantur, præsertim à medicis, quibus præceptum est, ut ad ægrotos adducti, antequam illorum curam suscipiant, eos moneant, ut idoneo Confessario sua peccata edulceantur: alioquin ultra triduum ad eos visitandos non accedant, juxta Const. Pii V; quia valde præposterum est, neglecta nobilioris, ac semper duraturæ animæ cura, curando momentaneo pulveri tantopere invigilare: Synod. I Provinc. Neap.

Prima, quæ hac de re occurrit Const. et ex qua posteriores emanasse credibile est, recte dixeris Decret. Innocent. III in *cap. 15 de Pœnit. et Remiss.*, qua medicis injunctum est, «ut quum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, et inducant, ut medicos advocent animarum, ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur; idque sub pœna privationis ab ingressu Ecclesiæ.» Syn. Dertus. hoc salubre, atque utile statutum, aut oblivione, aut contentu frustrari considerans, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrendâ, medicis præcepit *cap. 19*, ut nullum infirmum ultra tertiam vicem visitare præsumant, de quo non sciunt, quod in illa ægritudine salutari Pœnitentiæ Sacramentum susceperit. Didacus Deza in Syn. Provinc. Hispal. *cap. 4.* animadvertens, «quod medici, parum Deum timentes» præf. Innocent. III Decretalem minime observarent, «statuimus, ait, ut in posterum omnes medici nostræ Archiepiscopales, et Provinciæ sint diligentes in observatione dictæ Decretalis, statimque in prima visitatione moneant, et hortentur... infirmos, ut confiteantur, et disponant suam conscientiam, et ita facere non omittant cum qualibet persona, cujusvis status, et conditionis existat; quod si talis infirmus id non præstiterit, medicus, postquam de eo notitiam habuerit, illum secunda vice non invisat, neque curet... sub pœna excommunicationis, et ducentorum marapetinarum.» Consonat Syn. Valent. Sess. 2 tit. 2 *cap. 8.* Pius V, die 8 Martii an. 1566, Innocentii Constitutionem confirmans, decrevit, medicos non debere ultra tertiam diem infirmos invisere, non confessos, «nisi longius tempus infirmo Confessor, ob aliquam rationabilem causam, concesserit.» Decrevit etiam, quod medici inobedientes, «ultra pœnas in dicta Constitutione contentas, perpetuo sint infames, et gradu Medicinæ, quo insigniti erant, omnino priventur, et à Collegio, seu Universitatè Medicorum ejiciantur, ac pœna etiam pecuniaria, arbitrio Ordinariorum, ubi deliquerint, mulentur. Eandem Constitutionem suæ inseruit Collectio Jo. Teres lib. 5 tit. 16 *cap. 7.*—V. legg. 57 tit. 4, Part. 1; 1. tit. 11 lib. 8, et 5, tit. 1, lib. 4, Noviss. Compilat.)—Bullæ Cruciatæ concessio, de qua hic Selvag. Adnotat, S. P. regnante, à S. P. N. Pio IX, ejusd. gratiæ prorogatione duodecim ad annos, 18 Maj. 1849 sancita, eum in sensum modificata est, ut in posterum semel tantum, præter casum mortis imminenti, à peccatis Episcopo reservatis absolvi liceat; cum id antea, *toties quoties* committerentur, præstare Confessarius posset.\*

Jam vero illud quam maxime possunt, Episcopis curandum est, ac quam

diligentissime providendum, ne temere Sacerdotes ad confessiones audientibus admittantur, sed curam adhibeant non mediocrem, ut tam sæculares, quam regulares Clerici exactissime de vita, moribus, et doctrina examinentur, et probentur, ne vel cæco cæcum ducente, ambo in foveam cadant, si scientia desit. Idem Antonius August. in Syn. Tarracon. in Compil. Jo. Teres lib. 5 tit. 24 *cap. 15.* Immo ad quorumlibet confessiones audiendas «multum intererit, à quibus illud Sacramentum Ministris conferatur.» Syn. Valent. Sess. 2 tit. 2 *cap. 12.*

Tum Confessarii eadem Syn. *ibid.*, haud levis intentatis pœnis, graviter mandat, ne petant, aut exigant à pœnitentibus pecuniam, aliudque temporale lucrum, sive ob pœnitentiam pro peccatis perferendam, sive quod res sit restitutioni obligata, sive pro votorum commutatione, sive pro celebratione Missarum; nec omnino quidquam quovis quæsito colare.\*

Summo in id incumbendum est studio, ut in injungenda satisfactionis pœna, quantum vires pœnitentis patiantur, qualitati criminum respondeat: «ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.» Trident. Sess. XIV *cap. 8.* Sed prudenter, ac perite ea medicamina adhibeant, quæ singulis morbis sunt accommodata: Syn. Valent. *ubi supra.*

Adhæc Confessarii dimittant necesse est eos pœnitentes, qui fratris honorem deturparunt, qui aliena bona retinent, qui in proxima peccandi occasione versantur. Eadem Syn. Valent. *ibid.* qui enim, progreditur, peccata quantum in se est, non avellit radicitus, nec vitam in melius commutare statuit, fructum hujus Sacramenti non adsequitur. Recidivis quoque, et inolita delinquendi habitudine implicatis, absolutionem minime elargiatur. Hæc totius retro antiquitatis doctrina est; scilicet Syn. Illiberit. *can. 5, 8, 47 et 62;* et Siricii ad Himerium Tarracon. *cap. 5.*—Syn. Tolet. III *Can. 11* de laxata jam tum hæc in re disciplina, ita conqueritur. «Comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias, non secundum Canonem, sed sædissime pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quotiescunque peccare libuerit, toties à Presbytero se reconciliari expostulent.» Syn. Tolet. VI *Can. 7:* «Sacerdos... si eos (recidivos) quolibet munere, vel favore, aut diligentia admonere noluerit, et aut revertentes suscipiat, aut contemnentis de Ecclesia (non) rejiciat, simili sententia plectatur, quousque emendationis, vel damnationis eorum ab eo sententia promulgetur.» «Quam profanis, sacrisque Legibus interdictum sit iudicibus omnibus, ne se muneribus corrumpi patiantur, quo liberiores sint, ad suum jus cuique tribuendum; multo id magis in confessionis iudicio servandæ est; ubi salus agitur animarum.» Syn. Tolet. an. 1582 Act. III Decret. 26 alias 27. Et ut à Sacramentorum administratione tollatur omnis avaritiæ suspicio, neque votorum commutatio in propriam Confessarii utilitatem edenda est, quamvis Confessarius «accepta aliqua pecuniæ quantitate, se Missas celebraturum esse dicat... Qui contra fecerit in excommunicationem incidat.» Syn. Valent. Sess. 2 tit. 2 *cap. 18.*—V. leg. 45, tit. 20 lib. 10 *Noviss. Compil.*, et reg. Sched. 30 Maji 1850, qua irrita declarantur legata confessariis eorumque Eccles. et Monast. relicta à pœnitentibus, extremo morbo laborantibus.\*

«Caveat autem omnino Confessarius, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodatur peccatorem... quoniam qui peccatum in pœnitentiâ iudicio sibi detectum præsumpsit revelare, non solum à Sacerdotali officio deponendum, verum etiam ad agendam perpetuo pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum» decrevit Innocent. III de

*Pœnit. de Remiss. cap. 12;* cui consonat *Lex 55 tit. 4 Part. 1* Rigorem auxilii Syn. Penna-fid. *cap. 5*, constituens, quod si qui tam nefandi criminis rei inventi fuerint, tanquam deportati, et in metallum damnati, perpetuo carceri mancipentur, pane, et aqua pro vitæ sustentatione solummodo reservatis; quin et *cap. 6* omnibus ejusdem Provinciæ Tolet. Episcopis injunxit, ut Constitutionem hanc in sua quisque Diocesi promulgandam curent.

Animadvertat quoque Confessarius, Pœnitentiæ forum locum non esse aptum superfluis sermonibus. Præf. Synod. Tolet. anno 1582 *Act. 5 Decr. 28*, alias 29, Sacerdotem, qui cum femina, cujus antea Confessionem audivit, polluitur, per suspensionem ab Officio, et Beneficio, aliisque pœnis puniendum saxit. Plures Summi Pontifices in Confessarios solicitantes Constitutiones edidere: Paulus IV., Pius IV., Clemens VIII., Paulus V.; tandem vero Gregorius XV an. 1622. Alexander VII an. 1665, et nuper Benedictus XIV 4 Julii an. 1741.

Ut omnem turpitudinis occasionem à Sacri Tribunalis sanctitate averteret idem Summus Pontifex, eadem Constitutione omnibus prorsus Confessariis, omnem omnino facultatem excipiendi Confessionem personæ complicitis in peccato turpi abstulit, præter casum extremæ necessitatis, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote.

Ad vitanda hæc abusionum monstra, plura, prudentissimo sane consilio, nuper constituta sunt de confessionum excipiendarum modo. Superpellieci usum præscribunt præf. Syn. Tol t. an. 1582 *Act. 5 Decr. 50* alias 51, et Valent. *Sess. 2 tit. 2 cap. 17*, quin et hæc eadem Syn. (*ibid.*) Confessionalia confici decrevit, in quibus apto, et patenti loco confessiones polissimum seminarum audiri possint. Alphonsus Sapiens *Leg. 26 Tit. 4 Part. 1*, mulieres confessuras, non è regione, sed prope Confessarium adesse voluit. Mox laud. Synod. Tolet. *Decret. 27*, alias 28, Confessionalia ita confici statuit: *ut inter Confessorem, et mulierum pœnitentem honestatis causa ferrea lamina, aut tabella minutis foraminibus pertusa, interponatur*.

87. Nullum esse scelus, quod Ecclesiæ potestati non subji-  
ciatur, contra Montanistas, et Novalianos definitum est; et  
vero hanc potestatem initio Ecclesiam, nullo discrimine, exer-  
cuisse, demonstrant Paulus (1), et Joannes Evangelista (2),  
quorum alter incestus in nocentem reo, alter homicidæ veniam  
dedit (3). Quoniam vero Christus dimittendorum, æque ac re-  
tinendorum criminum jus Ecclesiæ fecit non desperatione indul-  
gentiæ, sed rigore disciplinæ (4), factum est, ut alicubi venia,  
et cum Ecclesia reconciliatio non daretur reis graviorum quo-  
rundam criminum, quibus spes omnis veniæ in una Dei miseri-  
cordia relinquebatur (5). Verum disciplina hæc, quæ non diu  
obtinuit (6), propria fuit peculiarium quarundam Ecclesiarum  
(7), non totius Ecclesiæ catholicæ, quæ reis criminum pœniten-  
tia functis, præsertim in vitæ exitu, nunquam pacem, aut sa-  
cramentalem absolutionem denegavit (8).

(1) Ep. 2 ad Corinth. c. 2.

(2) Eusebius Hist. Eccles. l. 5 c. 25 p. 112 ed. Valesii Cantabrig. 1720.  
(3) Consule Hermam Pastorem lib. 2 mandat. 4, et Auctorem Constit. Apostolic. l. 2 c. 25 utrumque apud Cotelerium PP. Apostol. t. 1 p. 88 et 256 cit. ed. Amstelæd.

(4) Augustinus Ep. 185 ad Bonifac. n. 45 eol. 661 opp. t. 2 ed. cit.  
(5) Graviores hæc crimina, quæ in his locis cum Ecclesia reconciliatio-  
nis spem adimebant, erant idolatria, homicidium, adulterium.

(6) Zephyrinus Pontifex mœchis veniam dedit; qua de re eum acerbe  
carpit Tertullianus de Pudicit. c. 4 p. 555 ed. Ven. 1744, posteaquam in  
Montani hæresim lapsus fuerat. Verum Zephyrinus non novam aliquam disci-  
plinam induxit, sed potius jam inductam confirmavit. Confer etiam Cypria-  
num Ep. 52 col. 177 ed. Ven. 1758, qui mirari se ait, quosdam ita obstina-  
tos esse, ut dandam non putent lapsis pœnitentiæ, aut pœnitentibus  
existiment veniam denegandam, postremoque addit, neminem putamus à  
fructu satisfactionis, et spe pacis arcendum. Concilium Nicænum, can. 19  
col. 466 t. 1 collect. Harduini, nemini morienti sacramentalem absolutionem,  
quam viatici nomine appellat, denegandam statuit; qui canon ostendit  
adhuc ea ætate quosdam fuisse, qui reis quorundam criminum veniam denegabant.  
Secus enim ejus condendi canonis causa defuisset. Concilium Sardi-  
cense, quod non multo post Nicænum habitum est, can. 1 col. 657 t. 1  
collect. Harduini, Prælati Ecclesiarum, qui per ambitionem sedem muta-  
verant, ne in exitu quidem laicam communionem habere permittit; quod  
decretum ita mitigavit Damasus Pontifex, in Ep. ad Paulin. Antiochen. apud  
Holstenium in collection. Roman. par. 1 p. 135, ut illi à communionem alieni  
haberentur, quamdiu ad eas redierint civitates, in quibus primum sunt  
constituti. Quam Pontificiam sanctionem memorat etiam Theodoretus Hist.  
eccles. l. 5 c. 11 p. 210 ed. Cantabrig. 1720. Sed et ante Damasum Julius I  
quo Pontifice Sardicense Concilium habitum est, reum animarum dixit  
Presbyterum, qui morientibus veniam denegaret: can. 12 caus. 26 qu. 6. Cæ-  
lestinus I, qui Summus Pontifex creatus est an. 423, Ep. 4 ad Episcopos  
provine, Viennen. et Narbonem, c. 2 col. 1067. apud Constantium Ep. Ro-  
man. Pontifex, graviter reprehendit Gallicanos Præsules, qui morientibus  
veniam denegabant, ac denique sic concludit: *quovis tempore non est de-  
neganda pœnitentiæ postulanti*. Eadem sententia est Innocentii I. Ep. 25  
ad Decent. Eugubin. c. 7 col. 862 apud eundem Constantium, et eadem  
Leonis M. Ep. 24 c. 5 opp. t. 2 p. 529 ed. Romæ 1755, cum, inquit, in dis-  
pensandis Dei donis non debeamus esse difficiles.

(7) Fuit hæc disciplina quarundam in Africa Ecclesiarum, uti testatur  
Cyprianus Ed. 55 ad Antonian. p. 247 ed. Amstelæd. 1700: et quidem apud  
antecessores nostros quidam de Episcopis istis in provincia nostra dandam  
pacem mœchis non putaverunt, et in totum pœnitentiæ locum contra adu-  
lteria clausurunt. In Hispaniis graviorum quorundam criminum reis etiam  
in exitu vitæ communionem denegatam, ostendunt plures Eliberitani Con-  
cilii canones; nemini tamen unquam pœnitentiæ copia denegata est. Imo  
eodem Eliberitano Concilio can. 22 t. 1 concil. collec. Labbæi col. 995 ed.  
Ven., cautum expresse est, ut hæretici ad Ecclesiam redeuntes, à pœniten-  
tia non repellantur. Si quis, inquit, de Catholica Ecclesia ad hæresim  
transitum fecerit, rursusque recurrerit, placuit, huic pœnitentiæ non  
esse denegandam, eo quod cognoverit peccatum suum. Confer Natalem Ale-  
xandrum Histor. eccles. sæc. 5 diss. 7 propos. 2 t. 4 p. 72 ed. Ven. 1776.

(8) Dyonisius Petavius Animadvers. ad Epiphani. hæres. 59 t. 2 p. 227.  
ed. Paris. 1622, Gabriel Albaspinæus l. 2 observ. 7 p. 90 ed. Neap. 1770,

Jacobus Sirmondus Hist. pœnitent. public. t. 4 c. 1 col. 481 ed. Paris. 1696, Edmundus Martenius de Antiq. eccles. rit. l. 1 c. 6 art. 2 t. 1 p. 261 ed. indic., alique putant, tribus prioribus, aut saltem II. et III. sæculo Ecclesiam idolatris, homicidis, adulteris veniam denegare consuevisse. Contra Morinus de Pœnitent. l. 9 c. 20 et seq., Natalis Alexander loco mox laudato, Cardinalis Capizucchi in Select. qu. theolog. p. 52, Tournelyus Prælect. theolog. de Sacram. pœnitent. qu. 9 art. 2, Balthasar Francolinus in Cleric. Roman. par. 1 disp. 2, alique complures ostendunt, numquam Ecclesiam eo severitatis venisse, ut reis atrociorum quorumvis criminum in vitæ exitu veniam non concederet. Præ ceteris vero Cardinalis Orsius peculiari ea de re edita dissertatione demonstravit, *Catholicam Ecclesiam tribus prioribus sæculis capitalium criminum reis pacem, et absolutionem neulquam denegasse*. Certe in Ecclesiis quibusdam aliquamdiu viguit severior illa disciplina, quam ea ætate retinere licuit, cum adversus eam nulla adhuc Ecclesiæ lex esset. Verum Catholicæ Ecclesiæ sententia semper fuit, nulla esse crimina, quorum rei vere pœnitentes veniam, et absolutionem aliquando non obtinerent. Hinc quemadmodum Tertullianum ab Ecclesiæ communione rejectit, ejusque nimiam severitatem repressit Zephirinus, Novatianum, qui criminum reis implacabilem se, inexplicabilemque præbebat, Cornelius, deincepsque Innocentius, ita duritiam, et asperitatem Episcoporum aliquot Galliæ Cælestinus, et postea similem aliorum duritiam Leo M. damnarunt; quos et alii Romani Pontifices usque ad hanc nostram ætatem sequuti sunt; ex recentioribus S. Pius V., Gregorius XIII. Urbanus VIII. Innocentius X. Alexander VIII. et Clemens XI. qui antiquos Montanistas, Novatianos, Ebratitas, Eustathianos, et Luciferianos in Michaelæ Bajo, Cornelio Jansenio, ceterisque similibus redivivos, nimiam, atque à Christi, et Ecclesiæ benignitate alienam severitatem præseferentes, damnarunt, et rejecerunt. Consule Cardinalem de Aguirre Concil. Hispan. t. 2 diss. 7, 8 et 9 in canon. 11 et 12. Concilii Toletani II. vulgo III. an. 539 p. 358 et seq., ubi late agitur de antiqua Hispaniarum ea in re disciplina, et in Not. ad Can. 1, 2, 3 et 7. Concilii Eliberitani t. 1 p. 353 et seq., qui Eliberitani canones valde torquent eruditorum ingenia, cum duriores, asperioresque videantur. De his ipsis canonibus agit etiam Cardinalis Orsius laudat. diss. sect. 4 c. 1 digres. 5 et c. 3 n. 4.

## SECTIO V.

### DE EXTREMA UNCTIONE.

88. EFEECTUS SACRAMENTI EXTREME UNCTIONIS.—89. EJUS MATERIA REMOTA.—90. MATERIA PROXIMA.—91. FORMA.—92. MINISTER.—93. PARÓCHUS MINISTER ORDINARIUS.—94. QUIBUS DATUR HOC SACRAMENTUM?—95. GRÆCORUM UNCTIO.—96. QUANDO DATUR SACRAMENTUM EXTREME UNCTIONIS?

88.

**E**xtrema unctio, quæ et Oleum Sanctum, et Oleum infirmorum appellatur, sacramentum est, quod ex hac vita migrantibus tribuitur (1). Propterea dicitur Extrema Unctio, quoniam

hæc omnium sacrarum unctionum, quas Christus Dominus Ecclesiæ commendavit, ultimo administranda est. Hujus sacramenti vim expressit Jacobus Apostolus his verbis (2): *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei*. Quibus ex verbis facile est intelligere materiam, formam, ministrum hujus sacramenti; atque iis utitur, ut hæc cuncta esplicet, Synodus Tridentina (3).

- (1) Concilium Tridentinum sess. 14 de Extrem. unct. can. 1.  
 (2) Epist. Catholic. 5. 14.  
 (3) Sect. 14 de Sacram. extrem. unct. c. 2.

89. Materia, unde conficitur Extrema Unctio, est oleum olivarum (1), et oleum quidem merum; quoniam nulla permixtionis mentio in libris ritualibus, atque in antiquis monumentis occurrit (2). Oleum ab Episcopo benedictum esse debet (3), atque hæc quidem vetus Ecclesiæ consuetudo est (4). Apud Latinos solus Episcopus oleum infirmorum consecrat feria V. cœnæ Domini (5), ab eoque illud quotannis accipiunt singuli, quibus opus est (6); apud Græcos etiam Presbyteri, et vero non semel in anno, sed singulis vicibus, quibus illud adhibere oportet (7).

- (1) Concilium Tridentinum sess. 14 de Extrem. unct. c. 1., Catechismus Romanus de Sacram. extrem. unct. par. 2. n. 5.  
 (2) Innocentius I. in Ep. 25 ad Decent. Episc. Eugub. c. 8 col. 365 apud Coustantium Ep. Rom. Pontif. hujus sacramenti materiam esse inquit *oleum chismaticis*, qui locus Suaresium l. 4 in 3 par. Disp. 40 sect. 1 n. 10., aliosque Scholasticos in eam opinionem adduxit, ut crederent, olim balsamum cum oleo misceri consuevisse. Verum sæpe apud ecclesiasticos scriptores *chrisma* merum oleum infirmorum est. Confer Juvenium de Sacram. diss. 7 q. 3 c. 1, et Tournelyum de Sacram. extrem. unct. q. 1 art. 3.  
 (3) Eugenius IV. in Decr. pro instruct. Arm. Conc. Florent. col. 440 t. 9. Concil. collect. Harduini, Concil. Tridentinum sect. 4 de Sacram. extrem. unct. can. 2. Episcopus aurem oleum benedicit præsentibus Presbyteris, aliisque clericis, de quibus agit Pontificale Romanum t. de Offic. in fer. V. cœna D. § 3, ibique Catalanus in Not. n. 4 t. 3. p. 57, unde, ut putat Martenius de Antiq. Eccles. rit. l. 4 c. 22 §. 3 n. 3 t. 5 p. 37 ed. cit., factum est, ut quidam Presbyteri sibi olei consecrandi potestatem adscriberent; sed iis restitit concilium Carthaginense II. can. 3 col. 1245 t. 2., et Toletanum I. can. 20 apud Labbæum cit. t. 2 col. 1474 ed. Ven. Quæstio lamen est inter Theologos, num ex Christi Domini institutione, an tantum ex Ecclesiæ præcepto, Episcopi benedictio sit necessaria. Verum ut ex Christi institutione consecratio aliqua requiratur, ut oleum fiat apta materia sacramenti

Jacobus Sirmondus Hist. pœnitent. public. t. 4 c. 1 col. 481 ed. Paris. 1696, Edmundus Martenius de Antiq. eccles. rit. l. 1 c. 6 art. 2 t. 1 p. 261 ed. indic., alique putant, tribus prioribus, aut saltem II. et III. sæculo Ecclesiam idolatris, homicidis, adulteris veniam denegare consuevisse. Contra Morinus de Pœnitent. l. 9 c. 20 et seq., Natalis Alexander loco mox laudato, Cardinalis Capizucchi in Select. qu. theolog. p. 52, Tournelyus Prælect. theolog. de Sacram. pœnitent. qu. 9 art. 2, Balthasar Francolinus in Cleric. Roman. par. 1 disp. 2, alique complures ostendunt, numquam Ecclesiam eo severitatis venisse, ut reis atrociorum quorumvis criminum in vitæ exitu veniam non concederet. Præ ceteris vero Cardinalis Orsius peculiari ea de re edita dissertatione demonstravit, *Catholicam Ecclesiam tribus prioribus sæculis capitalium criminum reis pacem, et absolutionem neulquam denegasse*. Certe in Ecclesiis quibusdam aliquamdiu viguit severior illa disciplina, quam ea ætate retinere licuit, cum adversus eam nulla adhuc Ecclesiæ lex esset. Verum Catholica Ecclesiæ sententia semper fuit, nulla esse crimina, quorum rei vere pœnitentes veniam, et absolutionem aliquando non obtinerent. Hinc quemadmodum Tertullianum ab Ecclesiæ communione rejectit, ejusque nimiam severitatem repressit Zephirinus, Novatianum, qui criminum reis implacabilem se, inexplicabilemque præbebat, Cornelius, deincepsque Innocentius, ita duritiem, et asperitatem Episcoporum aliquot Galliæ Cælestinus, et postea similem aliorum duritiem Leo M. damnarunt; quos et alii Romani Pontifices usque ad hanc nostram ætatem sequuti sunt; ex recentioribus S. Pius V., Gregorius XIII. Urbanus VIII. Innocentius X. Alexander VIII. et Clemens XI. qui antiquos Montanistas, Novatianos, Eoratitas, Eustathianos, et Luciferianos in Michaelæ Bajo, Cornelio Jansenio, ceterisque similibus redivivos, nimiam, atque à Christi, et Ecclesiæ benignitate alienam severitatem præseferentes, damnarunt, et rejecerunt. Consule Cardinalem de Aguirre Concil. Hispan. t. 2 diss. 7, 8 et 9 in canon. 11 et 12. Concilii Toletani II. vulgo III. an. 539 p. 358 et seq., ubi late agitur de antiqua Hispaniarum ea in re disciplina, et in Not. ad Can. 1, 2, 3 et 7. Concilii Eliberitani t. 1 p. 353 et seq., qui Eliberitani canones valde torquent eruditorum ingenia, cum duriores, asperioresque videantur. De his ipsis canonibus agit etiam Cardinalis Orsius laudat. diss. sect. 4 c. 1 digres. 5 et c. 3 n. 4.

## SECTIO V.

### DE EXTREMA UNCTIONE.

88. EFEECTUS SACRAMENTI EXTREME UNCTIONIS.—89. EJUS MATERIA REMOTA.—90. MATERIA PROXIMA.—91. FORMA.—92. MINISTER.—93. PARÓCHUS MINISTER ORDINARIUS.—94. QUIBUS DATUR HOC SACRAMENTUM?—95. GRÆCORUM UNCTIO.—96. QUANDO DATUR SACRAMENTUM EXTREME UNCTIONIS?

88.

**E**xtrema unctio, quæ et Oleum Sanctum, et Oleum infirmorum appellatur, sacramentum est, quod ex hac vita migrantibus tribuitur (1). Propterea dicitur Extrema Unctio, quoniam

hæc omnium sacrarum unctionum, quas Christus Dominus Ecclesiæ commendavit, ultimo administranda est. Hujus sacramenti vim expressit Jacobus Apostolus his verbis (2): *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei*. Quibus ex verbis facile est intelligere materiam, formam, ministrum hujus sacramenti; atque iis utitur, ut hæc cuncta esplicet, Synodus Tridentina (3).

- (1) Concilium Tridentinum sess. 14 de Extrem. unct. can. 1.  
 (2) Epist. Catholic. 5. 14.  
 (3) Sect. 14 de Sacram. extrem. unct. c. 2.

89. Materia, unde conficitur Extrema Unctio, est oleum olivarum (1), et oleum quidem merum; quoniam nulla permixtionis mentio in libris ritualibus, atque in antiquis monumentis occurrit (2). Oleum ab Episcopo benedictum esse debet (3), atque hæc quidem vetus Ecclesiæ consuetudo est (4). Apud Latinos solus Episcopus oleum infirmorum consecrat feria V. cœnæ Domini (5), ab eoque illud quotannis accipiunt singuli, quibus opus est (6); apud Græcos etiam Presbyteri, et vero non semel in anno, sed singulis vicibus, quibus illud adhibere oportet (7).

- (1) Concilium Tridentinum sess. 14 de Extrem. unct. c. 1., Catechismus Romanus de Sacram. extrem. unct. par. 2. n. 5.  
 (2) Innocentius I. in Ep. 25 ad Decent. Episc. Eugub. c. 8 col. 365 apud Coustantium Ep. Rom. Pontif. hujus sacramenti materiam esse inquit *oleum chismaticis*, qui locus Suaresium l. 4 in 3 par. Disp. 40 sect. 1 n. 10., aliosque Scholasticos in eam opinionem adduxit, ut crederent, olim balsamum cum oleo misceri consuevisse. Verum sæpe apud ecclesiasticos scriptores *chrisma* merum oleum infirmorum est. Confer Juvenium de Sacram. diss. 7 q. 3 c. 1, et Tournelyum de Sacram. extrem. unct. q. 1 art. 3.  
 (3) Eugenius IV. in Decr. pro instruct. Arm. Conc. Florent. col. 440 t. 9. Concil. collect. Harduini, Concil. Tridentinum sect. 4 de Sacram. extrem. unct. can. 2. Episcopus aurem oleum benedicit præsentibus Presbyteris, aliisque clericis, de quibus agit Pontificale Romanum t. de Offic. in fer. V. cœna D. § 3, ibique Catalanus in Not. n. 4 t. 3. p. 57, unde, ut putat Martenius de Antiq. Eccles. rit. l. 4 c. 22 §. 3 n. 3 t. 5 p. 37 ed. cit., factum est, ut quidam Presbyteri sibi olei consecrandi potestatem adscriberent; sed iis restitit concilium Carthaginense II. can. 3 col. 1245 t. 2., et Toletanum I. can. 20 apud Labbæum cit. t. 2 col. 1474 ed. Ven. Quæstio lamen est inter Theologos, num ex Christi Domini institutione, an tantum ex Ecclesiæ præcepto, Episcopi benedictio sit necessaria. Verum ut ex Christi institutione consecratio aliqua requiratur, ut oleum fiat apta materia sacramenti

extrema unctionis, cum tamen illud ex delegatione Summi Pontificis, sive tacita, sive expressa, etiam à Presbytero benedici possit, tantum Ecclesiae lege inductum est, ut oleum infirmorum ab Episcopo benedicatur. Consule Benedictum XIV. de Synod. diocæs. l. 8 c. 1 n. 4.

(4) Innocentius I. l. c., Gregorius M. in Sacram. col. 67. opp. t. 3 ed. Maurin. Paris, 1705.

(5) Disciplinam conficiendi quotannis chrismatis feria V in cœna Domini memorat Fabianus P. in can. 18 de consecr. dist. 3; verum hic canon pertinet ad falsas Isidori decretales. Hoc certum est, uti observat Van-Espenius Jus eccles. par. 2 tit. 5 c. 5 n. 15., disciplinam illam sæculo VII. obtinuisse, quoniam eam memorant Sacramentarium S. Gregorii vetustus ordo romanus, atque omnes, qui per ea tempora de divinis Officiis scripserunt. Constitutus deinceps fuit etiam olei conficiendi locus, scilicet Ecclesia cathedralis, in c. 12 de Celebr. Miss.

(6) Non nisi à proprio Episcopo sacra olea, hoc est chrisma, et oleum catechumenorum, ac infirmorum accipiendum est can. 122 et 123 de Consecr. dist. 4, neque exemptionis privilegium aliquem ea lege solvit, quod late ostendit Passerinus de Stat. homin. t. 5 qu. 189 art. 10 inspect. 10 n. 910 et seq. Quotannis autem sacra hæc olea sumenda sunt; nam vetus, quod superest, ponitur, ut inquit Rituale Romanum t. 1 Comm. tit. 2 c. 1 §. 54 n. 5 p. 71 ed. Rom. 1767., in lampadibus Ecclesie ante sacramentum, ut comburatur; reliquum autem, quod est in pyxidibus, sive capsulis cum bombyce igni comburitur; et novum deinde cum novo bombyce in pyxidibus, sive capsulis imponitur. Vide etiam Concilium Provinciale IV. Mediolanense à S. Carolo habitum: Act. Eccles. Mediolan. par. 1 t. 1 p. 113 ed. Patav. 1754.

(7) Confer Goarium in Eucholog. Græc. p. 456, Arcudium l. 5 c. 2, Allatium de Consens. utriusque eccles. c. 16. Quam Græcorum consuetudinem ratam habuit Clemens VIII. Instruct. seu Const. 107. Bullar. t. 5 par. 2. p. 72, et Benedictus XIV. Const. 57 §. 4 t. 1 ejus Bullar. p. 104 ed. cit.

(N. S. Quam reverentia Sacrum Oleum deferri, contrectari, et servari debeat, optime expressit Andreas Albalatus in Constit. Syn. Valent. an. 1555, Constit. de Extrema Unctione: «Omibus in ægritudine constitutis tradatur à Sacerdotibus, et in Ecclesiis publicè prædicetur, et in Sancto die Jovis quilibet Sacerdos Parochialis mittat pro Oleo infirmorum, Catechumenorum, et Chrismate sancto, très ampullas, et cum omni magno honore, et reverentia Sanctum Oleum ad infirmum deferatur, et eos unget Sacerdos cum magno honore, et orationum celebritate, quæ ad hoc sunt institutæ.... Illud tamen notandum est, quod istud Sacramentum tantum præstatur adultis, et sicut Pœnitentia iteratur, ita et istud Sacramentum.» Id tamen præscribendum voluit Syn. Tarracon. circiter an. 1248, ut «Sacramentum Extremæ Unctionis potentibus libere, et sine pecunia à Sacerdotibus ministraretur.» Collect. Const. Superfl. de Sacra Unctione ex Lib. 1 cap. un. De Sacri Olei custodia V. Hispal. Syn. an. 1512, cap. 50; et Collect. Jo. Teres. lib. 5 tit. 26 cap. 1.)

90. Consecrato oleo ægrotus inungitur; quæ unctio materia proxima appellatur. Quoniam vero Jacobus Apostolus nullam certam indicavit corporis partem, quam inungere oporteret, hinc varia ea de re fuit Ecclesie disciplina. Olim una pars

corporis, puta pectus, inungi consuevisse videtur (1). Placuit deinde plures partes inungere, ac præter ceteras, alicubi partem morbo affectam (2), quo reserebant verba Jacobi: *et alleviabit eum Dominus*. Nunc Latini unguunt quinque organa sensuum, videlicet oculos, aures, nares, os, manus, itemque pedes, et renes: verum renum unctio in sæminis propter honestatem omittitur, et omittitur etiam in viris, cum ea morbi vis est, ut infirmus commode moveri non possit (3). Græci Sacerdotes unguunt ægri frontem, mentum, ambas genas, deinde pectus, tum utramque manum, postremo pedes (4).

(1) Consule Mabillonium Præf. ad sæc. I. Benedictin. n. 97 p. 56 ed. Ven. 1755.

(2) Vide Menardum in Sacram. S. Gregorii M. col. 510 et 511 t. 5 opp. S. Gregor. ed. cit.

(3) Confer Rituale Romanum t. 1 in Comm. t. 5 c. 2 §. 15 n. 2 p. 556 ed. cit., et Decretum Eugenii IV. pro instruct. Armen. col. 440 t. 9 Concil. collect. Harduini. Constat inter omnes, pedum, ac renum unctiones necessarias non esse ad vim sacramenti; verum inter Theologos quæritur, num reliquæ quinque unctiones omnes necessario requirantur, ut integrum sacramentum sit. Plerique sic statuunt, valere hoc sacramentum collatum per unicum unctionem, prolata tamen formula universali, quæ sensus omnes complectatur; quod tamen facere non licet, nisi id summa necessitas possit. Late ea de re agit Benedictus XIV. de Synod. diocæs. l. 8 c. 3.

(4) Vide Arcadium l. 5 c. 7.

91. Formam comprehendunt preces, quas Sacerdos fundit, cum ægrotum ungit: *per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus etc.* (1). Et quoniam Jacobus Apostolus non designavit verba, quibus Sacerdotem ungentem uti oportet, hinc Ecclesie variis orationibus et formulis, iisque conceptis verbis tum precantibus, tum directis usæ sunt (2). Synodus Tridentina precativam formulam proposuit; sed cum non expresse rejecerit indicativam, hinc factum videtur, ut etiam post Synodum aliquæ Ecclesie eam formulam retinuerint (3). Nunc omnes Latini precativa formula utuntur; forma Græcorum non iisdem est concepta verbis, sed tamen eodem redit, ac similiter deprecativa est (4).

(1) Concilium Tridentinum sess. 14 c. 1 de Extrem. unct.

(2) Albertus M. in IV. dist. 25 art. 4 plures vetustos Germaniæ rituales libros se legisse testatur, qui indicativam formam describunt, eamque disciplinam ab ipsis Gregorianam appellari dicit. Sacramentale Venetum à Leone X, ut fertur, approbatum, indicativam habet formam, quod Arcudius refert l. 5 c. 5. Plures etiam describit Morinus de Sacram. pœnit. l. 8 c. 16 aliarum Ecclesiarum formas, quæ conceptæ sunt verbis aut indicativis, (aut

precibus intermixtis. Vide Menardum in Not. ad sacrament. S. Gregor. not. 923 col. 557 et seq. t. 3 opp. S. Gregorii ed. Paris. 1705, et Martenium de Antiqu. eccl. rit. l. 1 c. 7 art. 3 §. 4 t. 1 p. 501 ed. cit.

(5) Confer Benedictum XIV. de Synod. diocæs. l. 8 c. 2, ubi quæritur, num propter formam directis verbis prolatam sacramentum valeat.

(4) Vide Arcudium l. c.

92. Minister hujus sacramenti jure Divino est Episcopus, aut Sacerdos, quoniam uterque *Presbyter* est, quem Jacobus memorat (1). Et quoniam Jacobus plurali numero *Presbyteros* nominat, plures olim Sacerdotes apud Latinos vocari solebant (2), uti nunc etiam plures à Græcis vocantur (3), ad hoc sacramentum administrandum. Sed jamdiu in Occidentali Ecclesia universa tantum Sacerdos unus adhibetur, atque eum solum recte ægrotum inungere certo jure cautum est (4). Non enim pluralis numerus, quem Jacobus expressit, Divinum aliquod præceptum continet, cum præsertim in sacris libris sæpe pluralis numerus singularis vicem obtineat (5).

(1) Concilium Tridentinum cit. sess. 14 c. 5, Innocentius I. cit. Ep. ad Decent. Eugub. c. 8, quem in locum vide Petrum Constantium in Not. col. 865, ubi omnem evellit scrupulum, quem forte alia ipsius Innocentii verba de ministro extremæ unctionis incipere videntur posse.

(2) Id multis collectis monumentis ostendunt Menardus in Sacramentar. S. Gregorii not. 909 col. 554 l. c., et Martenius l. c. §. 5. Quæ disciplina adhuc, in Galliis vigeat sæculo XII., uti patet ex constitutionibus Odonis Episcopi Parisiensis apud Harduinum Collect. Concil. t. 6 par. 2 col. 1941, imo vero eam deinceps etiam consequenti ætate obtinuisse, demonstrant synodalia Statuta Ecclesiarum Eduensis, Cadurcensis, Rutenensis, et Tutelensis apud Martenium c. 17 t. 4 Anecd. Recte tamen animadvertit ipse Martenius, illam Latine Ecclesiæ consuetudinem non ita firmam, atque constantem fuisse, ut non interdum ab uno tantum Sacerdote ægrotus ungeretur. Nam Artemium febre correptum, ab unico S. *Nepotiano visitatum*, atque oleo S. *perunctum* narrat S. Gregorius Turonensis l. 1 Hist. c. 41 p. 51 ed. Ruinartii Paris. 1699, atque etiam S. Eugendum *ab uno de fratribus* inunctum legitur in ejus vita apud Bollandum 1 Januar.

(3) Adhibent autem Græci Sacerdotes septem, uti patet ex eorum Eucharologio, atque testantur Simeon Thessalonicensis apud Saintebeuvium de Sacram. extrem. unct. Disp. 6 art. 2, et Arcudius l. 5 c. 5.

(4) Cap. Quæsit de Verb. signif.

(5) Confer S. Augustinum de Consens. Evangelist. l. 5 c. 16 opp. t. 5 par. 2 col. 128 ed. Ven. 1750, et S. Thomam l. 4 Contr. Gent. c. 75.

93. A quovis Presbytero collatum hoc sacramentum valet; sed tamen soli Parocho illud conferre licet, qui ordinarius ejus minister est, aut ei, cui suam Parochus jurisdictionem commisit (1). Quod si mors instet, ac Parochus præsens esse non possit cuivis Sacerdote licet jam jam moriturum inungere (2).

(1) Catechismus Romanus par. 2 c. 6 §. 15. Hinc in Clem. 1 de Privileg. vetatur Presbyter sine Parocho venia hoc sacramentum administrare, ac si Religiosus sit, excommunicationis pœna plectitur.

(2) Consule S. Carolum Borromeum in Concil. Mediolanen. V. part. 1 actor. Mediolanen. par. 1 p. 190 ed. Patav. 1754.

94. Datur hoc sacramentum infirmis, *de quorum morte timetur* (1), sive mortis periculum proxime immineat, sive absit longius; modo ea sit vis morbi, ut in gravi vitæ discrimine versari videantur (2). Decet autem ægrotum ungere, cum integris adhuc sensibus utitur, non cum omnino fractis viribus, ac omni spe salutis amissa, vita carere incipit. Nam ita salus corporis facilius restituitur, atque ita infirmus, integra adhuc mente, et ratione valens, fidem, ac religiosam animi voluntatem afferre, et sacramenti gratiam percipere uberiores potest (3). Pueri, qui nulla admiservant peccata, quorum reliquias hoc sacramentum deleat, sacro oleo non ungentur; similiter et amentes, nisi interdum rationis usum habuerint, atque eo potissimum tempore suscipiendi sacramenti voluntatem significaverint (4).

(1) Eugenius IV. in Decret. apud Harduinum collect. concil. t. 9, col. 440.

(2) Concilium Tridentinum sess. 14 de Extrem. unct. c. 5, Catechismus Romanus cit. cap. 6 §. 9.

(3) Catechismus Romanus par. 2 de sacram. extrem. unct. n. 9, S. Carolus Borromeus conc. provinc. l. et III. Act. eccl. mediolan. par. 4 p. 41 et 79 ed. Patav. 1754. Circa sæculum XIII, loca quædam occidentalis Ecclesiæ mos perversus invasit differendi hoc sacramentum ad extremum vitæ tempus; quem morem induxit falsa opinio, quod eo sumpto non amplius liceret uxorem cognoscere, et carnes comedere, ac condere testamentum. Falsam hanc opinionem evellere curarunt Synodi ea ætate habitæ, præsertim Wigorniensis c. 19 col. 557 t. 7, et Exoniensis c. 6 col. 1081 t. 7 collect. Harduini Consule Thiersium de superstit. c. 7 t. 2. Mabillonium Præf. in sæc. 1. Benedictin. n. 100 p. 58 ed. Ven. 1755.

(4) Vide Catechismus Romanum loc. mox indic.

95. Græci non eos tantum unguunt, qui corpore, sed etiam qui mente egrotant, quales sunt peccatores, qui edita peccatorum confessione pœnitentiam agunt (1). Nam apud eos feria V in cæna Domini, postquam Episcopus infirmorum oleum solemniter ritu consecravit, non illud servari jubet, ut suo tempore ad ægrotos deferatur, sed totum insumit inungendo illos, qui præsentibus sunt. Verum hæc Græcorum unctio, sacra tantum cæremonia, non verum sacramentum est (2).

(1) Confer Allatum de consens. Eccl. Occident. et Orient. l. 9 c. 16.

Goarium in not. ad Eucholog. Græcor. p. 452 et seq. ed. Paris, 1647, Arcudium concord. l. 5 c. 4 et ult. Quam Græcorum consuetudinem tolerandam statuit Innocentius IV. ep. 10 ad Ottonem Card. Tusculan. apud Labbæum t. 14 concil. col. 17 ed. Ven.

(2) Confer Benedictum XIV de Synod. diœces. l. 5 c. 5 n. 4 et seq., qui graviter, et copiose ea de re disputat adversus Arcudium, Jueninium, Sainteuvium.

96 Sacramentum extremæ unctionis in veteri disciplina cum pœnitentiâ, ut plurimum, conjungebatur, ut per utrumque sacramentum omnes eluerentur animæ sordes, ac plane expiatus homo Eucharistiam acciperet (1). Desiit jamdudum hæc disciplina, et nunc post acceptum viaticum ægrotus inungitur (2). Toties autem sacra unctio repetitur, quoties aliquis incidit in morbum, à quo in vitæ discrimen adducitur (3), verum in uno eodemque morbo, cum æger in eodem vitæ periculo versatur, semel tantum unguendus est (4).

(1) Hæc quidem disciplina antiquitus generatim obtinebat, ut ægrotis primum Extrema Unctio, deinceps Eucharistia tribueretur, quod late ostendunt Hugo Menardus in sacrament. S. Gregorii not. 915 col. 556 opp. S. Gregorii t. 5 ed. Paris. cit., Mabillonius Præf. ad sæc. 1 Benedictin. n. 98 p. 57 ed. Ven. cit., Pougetus instit. catholic. t. 2 par. 5 sect. 1 c. 6 §. 4. Verum contraria consuetudo alicubi obtinuit, neque nunquam aliquis hanc consuetudinem improbare ausus est, quasi Extrema Unctio ante Eucharistiam omnino danda videretur. Sane Cæsarius Arelatensis serm. 265 in append. opp. S. Augustini t. 5 par. 2 col. 457 ed. Ven. cit. Eucharistiam ante Extremam Unctionem ægrotis concedi jubet, *quoties, inquit, aliqua infirmitas supervenerit, corpus, et sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat, et inde corpusculum suum ungat*; idemque habet serm. 279 col. 465. Concinit id, quod scriptum est in vita S. Eligii Episcopi Noviomensis l. 2 c. 2 t. 2 spicileg. Daeheri p. 97 ed. Paris. 1725, quodque ipse tradit Eligius de rectitud. cathol. conversat. n. 6 in append. opp. S. Augustini t. 6 col. 268 indic. ed., ac præterea consentiunt Isaac Lingonensis Episcopus in capit. tit. 1 c. 25 apud Harduinum collect. concilior. t. 5 col. 425 ed. Paris. Herardus Turonensis Archiepiscopus in capit. n. 21 apud Labbæum t. 10. Conc. col. 62 ed. Ven., Prudentius Trecensis Episcopus in serm. de vit. et morte S. Mauri apud Camusatium in Prompt. antiquit. Triassin. diœces. p. 47 ed. August. 1610. Idem videri potest in vita B. Roberti de Arbrissello num. 27 et 28 apud Bollandum 25 Februar. c. 5 p. 613 ed. Antwerp. 1658, in vetusto Pontificali Florentino apud Mabillonium Itiner. Italie. p. 161, et in antiquo libro Rituali Eugubino, quem vidit Cl. Card. Garampius, quemque ipse memorat in libro Memorie della B. Chiara di Rimini diss. 5 p. 187 in not. l. 6. Ex quibus intelligimus, neque novam esse, neque minus probandam videri posse disciplinam, quæ viget, quæque justissimas habet causas, dandi ægrotis Extremam Unctionem, posteaquam Eucharistiam acceperunt.

(2) Rituale Romanum tit. de extrem. unct.

(3) Concilium Tridentinum cit. sess. 14 c. 5 de Extrem. Unct., Catechismus Romanus par. 2 c. 6 §. 41, S. Thomas in supplement. 3 q. 55 art. 1.

(4) Consule Benedictum XIV. de Synod. Diœces. l. 8 c. 8, qui late ea de re agit, atque etiam refert falsam opinionem illorum, qui hoc sacramentum aut nunquam, aut tantum post certum tempus iterari posse putabant, et illorum etiam, qui illud in eadem ægrotatione, eodemque vitæ periculo repetebant.

## SECTIO VI.

### DE ORDINE.

97. QUID ORDO, ET QUOT ORDINES SINT.—98 ET 99. MATERIA, ET FORMA ORDINIS.—100. MINISTER, ET SUBJECTUM ORDINIS.

#### 97.

**O**rdo sacramentum est, quo solemnî inauguratione spiritualis potestas ad sacra obeunda munera confertur. Proprie ipsa potestas data ordo est: (a) sacra autem cæremonia, per quam illa datur, ordinatio dicitur. Ordines sunt numero septem, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus; atque horum priores quatuor *minores*, posteriores tres *maiores* appellantur (1). Presbyteratum seu Sacerdotium, et ordinem, et sacramentum esse certum est; verum non constat inter Theologos, num Episcopatus, ac Diaconatus sacramenta sint à Sacerdotio re ipsa distincta; et num Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, itemque Subdiaconatus ordines tantum sint, an etiam sacramenta (2).

(a) (N. S. *Ordinis* vocabulum apud veteres Ecclesiæ Patres haud raro eo sensu accipitur, quo Hierarchiam denotat, sive sacrorum ministrorum dispositionem, et principatum, quo inferiores superiori parent, eidemque subjecti sunt: oportuit enim Ecclesiam, quæ Sanguine Christi constructa fuit, pulcherrimo quodam ordine constitutam esse, ut quemadmodum in rebus natura constantibus, ac etiam in cælestibus aliis aliis sunt superiora, ita in Ecclesia, quæ inter hæc medium statum obtinet, quædam aliis potestate et dignitate præstarent. Syn. Valent. an. 1565 Sess. 2 tit. 2 cap. 29; atque hinc, qui Ecclesiastica pollent auctoritate, *in ordine constituti* dicuntur.)

(1) Concilium Tridentinum sess. 25 de Sacram. ordin. cap. 2: Catechismus Romanus part. 2 cap. 7 §. 12

(2) Late ea de re disputant Theologi, et Canonistæ, quos omnes referre longum esset. Satis erit indicare Benedictum XIV de Synodo diœces. l. 8 c. 9, et Robertum Salam in Not. ad Card. Bonam rer. liturgic. l. 1 c. 25 §. 47 not. 1 t. 2 p. 565 ed. Taur. 1749. De simplici tonsura questio est inter Theologos, et Canonistas, num ea ordo sit, uti animadvertimus l. 1 tit. 2 sect. 2 §. 53 p. 155.

98. De materia, et forma ordinis Eugenius IV (1) habet hæc: *materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem (a): Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem.* Tum pergit Eugenius, ac forma, inquit, *Sacerdotii talis est; accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis, et mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.; et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.* Locus hic Eugenii caput, et radix est controversiarum, quæ inter homines doctos de ordinis forma, et materia sunt.

(a) (N. S. Quantum attinet ac Hypodiaconatum, benedictionis, id est preceationis, una cum vasis ministerii, meminit Syn. Tolet. VIII an. 653 can. 6: *Sicut in quibusdam Ecclesiis vetustas tradit antiqua, et sacra dignoscitur consuetudo substare prolata.*)

(1) In Decreto Concil. Florentin. col. 440 tit. 9 Conc. collee. Harduini.

99. Nam plurimi sunt præstantes ingenio, et doctrina viri, qui trium majorum ordinum, quos hierarchicos dicimus, Episcopatus videlicet, Presbyteratus, Diaconatus, materiam faciunt manuum impositionem (1), formam orationem, quam Episcopus manus imponens recitat. Et certe hæc Græci materiam, et hæc formam agnoscunt; neque unquam de vi harum ordinationum Latina Ecclesia dubitavit. Accedit, quod illa instrumentorum traditio recentioris disciplinæ est; quoniam Apostolos, atque antiquos Ecclesiæ Patres per manuum impositionem majores illos ordines contulisse, memoriæ proditum est. Eugenius autem, cum illam memoravit instrumentorum traditionem, verbaque illa descripsit, non ordinis materiam, et formam definivit, unde vis sacramenti penderet; sed tantum proposuit Romanæ Ecclesiæ ritum, quem manuum impositioni Armenios adjungere optabat, ut ita cum Ecclesia Romana communes haberent ritus atque ad eam firmiter adhærescerent. Omnis hæc disputatio propria Theologorum est (2).

(1) Cæteros tamen ordines Diaconatu inferiores per solam instrumentorum traditionem conferri, inter omnes constat.

(2) Sunt et alii, qui tertiam sequuntur sententiam, ponentes ordinis materiam in utroque ritu, scilicet: in illa instrumentorum traditione, atque in manuum impositione. Totam hæc questionem, præter ceteros, graviter, et copiose pertractat Benedictus XIV. de Synod. diœces. l. 3 c. 10.

(N. S. Morinus, aliique non imi subsectii Theologi, et Canonistæ, in sola manuum impositione *essentiam* Sacramenti Ordinis constituunt: id quod pluribus demonstrant.

1. Apostolus, in duplici ad Timotheum epistola, ubi de ejusdem sive in Episcopum, sive in Presbyterum ordinatione agit, non nisi manuum impositionis meminit: atque adeo soli manuum impositioni gratiæ collationem adscribit: I. IV v. 14, II. I v. 6. Idem prorsus dicit de S. Luca, qui *Actorum* 6 v. 6, Diaconorum referens ordinationem, hæc habet: *Hoc statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.*—Sed adversæ sententiæ patroni reponunt, non omnia, quæ ab Apostolis gesta sunt, in Sacris Litteris relata esse.

2. Ad decimum usque sæculum per solam manuum impositionem Episcopi, Presbyteri, et Diaconi ordinati sunt: nulla enim vel Sacræ Uctionis, vel instrumentorum porrectionis mentio occurrit in omnibus Ritualibus, et Sacramentariis sæculo X. antiquioribus.—Verum alii ante decimum Ecclesiæ sæculum, immo sæculi VII initio, Episcopi inaugurationem per Orarii, Anuli, et Baculi, Presbyteri per Orarii, et Planetæ, Diaconi per Orarii, et Albæ traditionem, peractam inveniunt in Synod. Tolet. IV. an. 653, *Can. 23* alias 27.

3. In plerisque Orientalibus Ecclesiis, non modo antiquitus, sed et hodie, in Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum ordinationibus sola adhibetur manuum impositio; neque unquam Latinis improbatæ sunt ejusmodi ordinationes.—Sed hoc idoneo à Latinis permissum contendunt adversarii; quia neque exploratum, neque definitum hucusque est, quænam sit *essentialis* ordinationis cœremonia; in rebus autem, ajunt, nondum definitis, cuiquam sine piaculo libere sentire nunquam improbatum Ecclesia.

4. Concilium Carthag. IV. *Can. 2, 3, et 4*, Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum describens ordinationem, non nisi manuum impositionem memorat, nulla adjecta porrectionis instrumentorum mentione, quam tamen Canonibus sequentibus expresse exhibet, quum de Ordinatione inferiorum Clericorum loquitur.—Verum alii parum fidunt huic Concil. Carthag. nomine IV; gravem enim apud eruditos hujusmodi Concilii Canones ingerunt falsitatis suspicionem. Videsis Berardi in *Grat. P. I. Cap. 15*, quin et *Can. 2* in Episcopi ordinatione, Evangeliorum Codicem super inaugurandi scapulas adponendum decernit. Eadem habet de Diaconis Syn. Ancyranæ *Can. 9*.—At Synodus Ancyranæ Diaconi ordinationem recenset per manus impositionem; sed non solam hæc esse ordinationis cœremoniam decernit.

5. Concilium Trident. *Sess. 14* de Extrema Uctione, *cap. 5*, constituit, ejusdem Sacramenti ministrum esse aut Episcopum, aut Sacerdotes ab Episcopo per manuum impositionem rite ordinatos.—Sed Trident. *ibid.*, Episcoporum, et Presbyterorum ordinationem ex instituto non tradit; eam tamen per præcipuam ordinationis notam, quæ proculdubio est manus impositio, voluit duntaxat indicare).

100. Episcopus ordinarius est minister hujus sacramenti; extra ordinem, et cum venia Summi Pontificis, etiam presbyteri Subdiaconatum, ceterosque inferiores ordines conferre possunt (1). Ordinationes factæ ab Episcopo excommunicato, schismatico, hæretico valent, modo cum legitima potestate, debitoque ritu, materia, forma, intentione perficiantur (2). Soli ma-



res ordines suscipere possunt; non item fœminæ, quas turpe est in Ecclesia loqui, ac docere (3). Cetera, quæ ad hoc sacramentum pertinent, superiori libro explicuimus.

(1) Confer ea, quæ diximus l. 1 tit. 3 sect. 6 §. 55, p. 193.

(2) Anglicanas ordinationes, cæteris etiam missis, nullas omnino, atque irritas esse, facile deprehendet quisquis ad solam advertat formam, quæ secundum Eduardi VI. rituale jam usurpatur. Nam ea Christi Domini institutioni, et Apostolicæ Traditioni adversatur, apertasque hæreses complectitur. Hinc merito Romana Ecclesia, cæterarum mater, et magistra, sancivit, ut, quoties minister aliquis Anglus ad Catholicam Ecclesiam redeat, si dignus sit, qui in Clerum cooptetur, tamquam merus laicus, omnes ordines suscipere debeat secundum Ritualis Romani leges.

(3) Apostolus I. ad Corinth. XIV. 34, et I ad Timoth. II. 12.

(N. S. Operam Episcopus in eo sedulam navabit ut, omnem Simoniacæ pravitatis labem à Sacris Ordinationibus avertat; nihil enim magis Ecclesia improbandum censuit, quam ordinationes obsequiis, et pecunia impetratas. Addeis Epist. 2 Hormisdæ P. ad Episcop. Hispan. an. 521 Cap. 2; Syn. Barcinon. an. 599 Can. 1, et 2; Tolet. VI. Can. 4; Tolet. VIII. Can. 5; Tolet. XI. Can. 8 et 9; Bracar. III. Cap. 3. Immo Episcopus ipse in sacris peragendis ordinationibus, vel minimam simoniaci criminis suspicionem à se ablegare debet, ita ut neque ullo unquam titulo, prætextu, aut colore, vel exigi aliquid, vel aliquid sponte oblatum suscipi permittat. Syn. Vallisole. Cap. 20; Hispal. an. 1512 Cap. 33; et Trident. Sess. 21 Ref. cap. 1.)

## SECTIO VII.

### DE MATRIMONIO.

101. MATRIMONIUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM.—102. EJUS DEFINITIO.—103. MATERIA, FORMA, MINISTER.—104. CONSENSUS IN MATRIMONIO NECESSARIUS, ET QUOMODO DECLARETUR?—105. MATRIMONIUM LEGITIMUM, RATUM, CONSUMMATUM.—106. VERUM, PRÆSUMPTUM, PUTATIVUM.—107. MATRIMONIUM CONSCIENTIÆ.

101.

**M**ATRIMONIUM etiam novæ legis sacramentum est (1). Cum enim Christianus homo Christianæ mulieri rite, et recte nubit, utrumque divina virtute donari voluit Christus Dominus ad perpetuam unius vitæ societatem relinendam, atque ad filios instituendos sapienter educatione, doctrinaque christiana. Recte ab Apostolo (2) matrimonium dicitur honorabile connubium; quoniam in baptizatis signum est conjunctionis Christi cum Ecclesia, propter quam Dominus Patrem suum Deum reliquit, et venit ad terras, sicut de homine dictum est; relinquet homo

patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori sue (3). Matrimonii nomine intelligitur tum ipse contractus inter virum, ac mulierem initus, tum vinculum, quod ex contractu oritur, quod solvi non potest (4).

(1) Concilium Tridentinum sess. 24 can. 1 de Sacram. Matrim.—Idem contra Manichæos et Priscilianistas definierant Syn. Tolet. I. can. 16 (reg. fid.), et Bracar. I. can. 11. V. Leon. Magn. Ep. 95, alias 15, ad Thurih. Asturie.

(2) Epist. ad Hebr. XIII 4.

(3) S. Hieronymus in e. 5 ad Ephes. col. 660 vers. 52 l. 7 ed. Veron. 1737.

(4) Eugenius IV. in Decret. pro Armen. apud Harduinum collect. Cone. t. 9 col. 440. Ita sola vocis explicatione dirimenda est quæstio, quæ à Scholasticis de matrimonii essentia proponitur. Hanc autem perpetuam matrimonii firmitatem, ex jure divino procedere certum est, idque docent Bonifacius VIII. in e. unie. de Vet. et vot. redempt. in 6; et Concilium Tridentinum in Decret. de Sacram. Matrim. sess. 24.

102. Est autem matrimonium viri, et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas, quæ individuam continet vitæ consuetudinem. Ex quo intelligitur, quam procul absit à matrimonii ratione conjunctio non maritalis, neque individuam continens vitæ consuetudinem, uti est concubinatus (1), adulterium, stuprum, itemque conjunctio duarum personarum, quas dirimens impedimentum nuptias inire vetat (2). Maritalis autem conjunctio non in corporum commixtione præcise, verum in animorum præcipue copulatione consistit (3); et translatio domini in corpus utriusque conjugis ab usu separari potest (4).

(1) Concubina proprie est mulier, quam quis non mariti animo, sed concubitus tantum causa domi retinet, atque hæc consuetudo, sive concubinatus, individuam non continet vitæ consuetudinem, et procul absit à matrimonio, quod dissolvi non potest. Decet tamen animadvertere, quod concubina interdum dicitur vera uxor, ducta tamen sine dote, et nuptiali solemnitate, uti colligitur ex L. 144 ff. de Verb. signific. L. 52 ff. de Donat. et Novell. 48, eaque à vera uxore tantum dignitate differbat, quia scilicet concubina, etsi vera esset uxor, non transibat in familiam mariti, neque, uti uxor legitima, ejus juriam, privilegiorum, honorum particeps fiebat, quod ostendunt Merillus observat. l. 3 c. 16, Antonius Augustinus de Eminent. Gratian. l. 4 Dialog. 15 opp. t. 3 p. 80 ed. Lucæ, Du-Gangius in gloss. verb. «Dos.» De his concubinis, quas à pellicibus sedulo distinguere oportet, loquuntur antiqui Canones, qui concubinas ad Baptismum, et concubinarios ad communionem admittunt; et has porro spectant Auctor const. Apostolicæ. l. 8 c. 52 apud Cotelierium PP. Apostol. p. 418 t. 1 ed. Amstel. 1724; Patres Concilii Toletani I; et Isidorus apud Gratianum can. 4 et 5 dist. 54. Ad hæc sane concubinatus genus non adverterunt Van-Espenius, et cæteri, qui Gratianum reprehendunt, quod Toletanum illum canonem in decreto

res ordines suscipere possunt; non item fœminæ, quas turpe est in Ecclesia loqui, ac docere (3). Cetera, quæ ad hoc sacramentum pertinent, superiori libro explicuimus.

(1) Confer ea, quæ diximus l. 1 tit. 3 sect. 6 §. 55, p. 193.

(2) Anglicanas ordinationes, cæteris etiam missis, nullas omnino, atque irritas esse, facile deprehendet quisquis ad solam advertat formam, quæ secundum Eduardi VI. rituale jam usurpatur. Nam ea Christi Domini institutioni, et Apostolicæ Traditioni adversatur, apertasque hæreses complectitur. Hinc merito Romana Ecclesia, cæterarum mater, et magistra, sancivit, ut, quoties minister aliquis Anglus ad Catholicam Ecclesiam redeat, si dignus sit, qui in Clerum cooptetur, tamquam merus laicus, omnes ordines suscipere debeat secundum Ritualis Romani leges.

(3) Apostolus I. ad Corinth. XIV. 34, et I ad Timoth. II. 12.

(N. S. Operam Episcopus in eo sedulam navabit ut, omnem Simoniacæ pravitatis labem à Sacris Ordinationibus avertat; nihil enim magis Ecclesia improbandum censuit, quam ordinationes obsequiis, et pecunia impetratas. Addeis Epist. 2 Hormisdæ P. ad Episcop. Hispan. an. 521 Cap. 2; Syn. Barcinon. an. 599 Can. 1, et 2; Tolet. VI. Can. 4; Tolet. VIII. Can. 5; Tolet. XI. Can. 8 et 9; Bracar. III. Cap. 3. Immo Episcopus ipse in sacris peragendis ordinationibus, vel minimam simoniaci criminis suspicionem à se ablegare debet, ita ut neque ullo unquam titulo, prætextu, aut colore, vel exigi aliquid, vel aliquid sponte oblatum suscipi permittat. Syn. Vallisole. Cap. 20; Hispal. an. 1512 Cap. 33; et Trident. Sess. 21 Ref. cap. 1.)

## SECTIO VII.

### DE MATRIMONIO.

101. MATRIMONIUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM.—102. EJUS DEFINITIO.—103. MATERIA, FORMA, MINISTER.—104. CONSENSUS IN MATRIMONIO NECESSARIUS, ET QUOMODO DECLARETUR?—105. MATRIMONIUM LEGITIMUM, RATUM, CONSUMMATUS.—106. VERUM, PRÆSUMPTUM, PUTATIVUM.—107. MATRIMONIUM CONSCIENTIÆ.

101.

**M**ATRIMONIUM etiam novæ legis sacramentum est (1). Cum enim Christianus homo Christianæ mulieri rite, et recte nubit, utrumque divina virtute donari voluit Christus Dominus ad perpetuam unius vitæ societatem relinendam, atque ad filios instituendos sapienter educatione, doctrinaque christiana. Recte ab Apostolo (2) matrimonium dicitur honorabile connubium; quoniam in baptizatis signum est conjunctionis Christi cum Ecclesia, propter quam Dominus Patrem suum Deum reliquit, et venit ad terras, sicut de homine dictum est; relinquet homo

patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori sue (3). Matrimonii nomine intelligitur tum ipse contractus inter virum, ac mulierem initus, tum vinculum, quod ex contractu oritur, quod solvi non potest (4).

(1) Concilium Tridentinum sess. 24 can. 1 de Sacram. Matrim.—Idem contra Manichæos et Priscilianistas definierant Syn. Tolet. I. can. 16 (reg. fid.), et Bracar. I. can. 11. V. Leon. Magn. Ep. 95, alias 15, ad Thurih. Asturie.

(2) Epist. ad Hebr. XIII 4.

(3) S. Hieronymus in e. 5 ad Ephes. col. 660 vers. 52 l. 7 ed. Veron. 1737.

(4) Eugenius IV. in Decret. pro Armen. apud Harduinum collect. Cone. t. 9 col. 440. Ita sola vocis explicatione dirimenda est quæstio, quæ à Scholasticis de matrimonii essentia proponitur. Hanc autem perpetuam matrimonii firmitatem, ex jure divino procedere certum est, idque docent Bonifacius VIII. in e. unie. de Vet. et vot. redempt. in 6; et Concilium Tridentinum in Decret. de Sacram. Matrim. sess. 24.

102. Est autem matrimonium viri, et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas, quæ individuam continet vitæ consuetudinem. Ex quo intelligitur, quam procul absit à matrimonii ratione conjunctio non maritalis, neque individuam continens vitæ consuetudinem, uti est concubinatus (1), adulterium, stuprum, itemque conjunctio duarum personarum, quas dirimens impedimentum nuptias inire vetat (2). Maritalis autem conjunctio non in corporum commixtione præcise, verum in animorum præcipue copulatione consistit (3); et translatio domini in corpus utriusque conjugis ab usu separari potest (4).

(1) Concubina proprie est mulier, quam quis non mariti animo, sed concubitus tantum causa domi retinet, atque hæc consuetudo, sive concubinatus, individuam non continet vitæ consuetudinem, et procul absit à matrimonio, quod dissolvi non potest. Decet tamen animadvertere, quod concubina interdum dicitur vera uxor, ducta tamen sine dote, et nuptiali solemnitate, uti colligitur ex L. 144 ff. de Verb. signific. L. 52 ff. de Donat. et Novell. 48, eaque à vera uxore tantum dignitate differbat, quia scilicet concubina, etsi vera esset uxor, non transibat in familiam mariti, neque, uti uxor legitima, ejus juriam, privilegiorum, honorum particeps fiebat, quod ostendunt Merillus observat. l. 3 c. 16, Antonius Augustinus de Eminent. Gratian. l. 4 Dialog. 15 opp. t. 3 p. 80 ed. Lucæ, Du-Gangius in gloss. verb. «Dosa.» De his concubinis, quas à pellicibus sedulo distinguere oportet, loquuntur antiqui Canones, qui concubinas ad Baptismum, et concubinarios ad communionem admittunt; et has porro spectant Auctor const. Apostolicæ. l. 8 c. 52 apud Cotelierium PP. Apostol. p. 418 t. 1 ed. Amstel. 1724; Patres Concilii Toletani I; et Isidorus apud Gratianum can. 4 et 5 dist. 54. Ad hæc sane concubinatus genus non adverterunt Van-Espenius, et cæteri, qui Gratianum reprehendunt, quod Toletanum illum canonem in decreto

descripserit. Occurrit et mentio concubinarum, quas viri accipiebant non solum sine tabulis nuptialibus, sed etiam cum vinculo, quod solveretur; et cum his quidem viri individuum servabant vitæ consuetudinem, sed eas tamen suo libitu dimittebant. Genus hoc concubinitus non infrequens olim fuit, neque deerant, qui licere putarent unam sibi feminam jungere, quam a se abjicerent suo arbitrato; sed Ecclesia semper hujusmodi conjunctiones extra matrimonium improbat. De concubinitus discrimine late agunt Benedictus XIV. de Synod. diœc. l. 9 c. 12, et Carolus Blascus in Epistola de Interpretatione can. Fraternalitatis dist. 54. inter ejus opuscula Neapoli edita an. 1758 p. 4 et seq.

(2) Consule Catechismum Romanum par. 2 c. 8 §. 3.

(5) Vide S. Augustinum Serm. 51 cap. 15 col. 295 tit. 5 cit. ed. Ven., et S. Ambrosium de Inst. Virgin. cap. 5 et 6 opp. t. 5 col. 518. et seq. ed. Maur. Ven. 1751. Unde illud apud Patres, et in canonibus frequenter occurrit: non concubinitus, sed consensu matrimonium existere.

(4) Hinc verum matrimonium fuit inter Beatissimam Virginem, et S. Josephum, quamquam immaculata semper Virgo ad perpetuo servandam virginitatem sese voto obstrinxisset. B. Virgo, ut inquit S. Thomas in 4. Sent. dist. 50 q. 2 art. 1 ad. 2, antequam cum S. Josepho matrimonium contraheret, divinitus intellexit, quod Joseph in simili proposito erat, et ideo non se commisit periculo nubens, nec tamen propter hoc aliquid veritati deperit, quia illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum; talis enim conditio, cum sit contra matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret. Cæterum quod dixi translationem dominii in corpus utriusque conjugis ab usu secerni posse, id ita est intelligendum, ut uterque in alterius corpus dominium habeat, quamquam nihil referat, quod eo jure non utatur. Si enim cum initer matrimonium, expresso pacto caveatur, ut neque vir in corpus mulieris, neque vicissim mulier in viri corpus dominium habeat, hoc pactum irritum matrimonium facit, quoniam ejus bono adversatur. Consule Benedictum XIV. de synod. diœces. l. 15 c. 22 n. 10 et seq.

403. Materia Sacramenti Matrimonii est contractus, per quem vir, et femina suam obstringunt fidem, ac perpetuam coeunt vitæ societatem. De forma vero, et ministro magna disputatio est. Sunt enim qui Sacerdotem benedicientem nuptiis, ministrum, Sacerdotalem benedictionem, sacramenti formam esse arbitratur. Sed plerique sacramenti ministros ipsos contrahentes faciunt, formam in verbis, aut signis, quæ consensum declarant, positam esse sentiunt (1).

(1) Theologorum de his rebus sententias, quæ variæ sunt, enumerat atque expendit Benedictus XIV. de synod. diœces. l. 8 c. 45. Vide etiam eadem de re Blaschum Diatrib. 5 p. 251, ubi de forma Sacramenti Matrimonii late disputatur.

404. Matrimonium mutuo consensu contrahitur, quoniam societas est, neque sine consensu jungi societates possunt. Hic vero consensus tum verbis, tum signis ostenditur; ac debet res-

picere tempus præsens, quoniam in futurum collatus matrimonium non conjungit, sed spondet (1); editurque vel verbis, vel signis certam voluntatem declarantibus; quin etiam vicaria alterius opera uti quis potest; modo ad id speciale mandatum detur, Procurator commissum sibi munus per se gerat, et mandans, cum matrimonium contrahitur, in consensu perseveret (2).

(1) Vide Catechismum Romanum par. 2 c. 8 §. 6.

(2) C. ult. de Procurator, in 6.

105. Dividitur matrimonium in legitimum, ratum, et consummatum. Legitimum secundum gentium leges contrahitur cum solo naturali consensu, caret Ecclesiæ auctoritate, ac sacramenti dignitate; et hujusmodi sunt matrimonia infidelium. Ratum est, quod contrahunt fideles ex regulis Christianæ Religionis; et est quidem ratum, donec conjugum corpora commixta non sunt. Cum hæc accessit maritalis conjunctio, matrimonium consummatum efficitur, ac significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, cujus conjunctionis causa perfectum, et consummatum dicitur. Nam propter sacramentum, quod gratiam confert, itemque ob civile negotium, etiam ratum perfectum censetur.

106. Est item matrimonium verum, præsumptum, putativum. Verum dicitur, quod rite, et recte contractum est inter virum, et mulierem, quorum uterque ad nuptialem consociationem aptus, et idoneus est. Præsumptum educebatur olim ex juris præsumptione; puta si post consensum de futuro ineundo conjugio, vir cum muliere concubuisset (1). Sed jure novo Concilii Tridentini nullum hoc matrimonium est (2). Putativum vocamus, quod re quidem est irritum ob latens impedimentum, sed specie valet; quia coram Ecclesia contractum est, et impedimentum vel uterque, vel alter conjugum ignoravit. Filii ex hoc matrimonio suscepti, legitimi habentur (3), et dos suis gaudet privilegiis.

(1) Cap. 15 et 50 de Spons. et matrim. cap. 5 et 6 de condition. apposit. in despons. At inanis conatus ad copulam præsumptum matrimonium non efficiebat cap. 52 et ult. de Sponsal.

(2) Concilium Trident. sess. 24 c. 1 de Reform. matrim.

(3) Cap. 41. Qui fil. sint. legit.

107. Nec prætereundum matrimonium conscientie, quod coram Ecclesia contrahitur, ea lege, ut semper occultum maneat. Matrimonium hoc, ut cetera Christianorum matrimonia pa-

lam, et rite inita, verum est sacramentum (1), et jungitur coram Parocho, ac duobus testibus, qui omnes arcani silentii lege obstringuntur (2); sed à reliquis differt, quia contrahitur omissis tribus denuntiationibus (3), neque contractum describitur in libro, quo Parochus omnium matrimonia describit (4). Non omnes inire suo lubitu possunt hoc matrimonium, quod, cum occultum sit, gravia mala importare potest; sed ab Episcopo ex justa, gravique causa permittitur (5). Hujus simile est matrimonium *ad Morganaticam* (6), quod in Germania præsertim contrahunt viri nobiles, cum post obitum nobilis mulieris, quam pridem uxorem habebant, ac genitos ex ea filios, aliam ducunt humili loco natam. Uxor hæc, atque ex ea suscepti liberi à viri, ac patris dignitate excluduntur: quod in matrimonio conscientia secus est (7).

(1) Hertius, Willembergius, aliique Protestantes ita explicant hujus matrimonii naturam, ut vix illud à concubinato distinguatur. Sed certum est inter catholicos, verum esse, ac legitimum matrimonium, et ideo sacramenti rationem habere. Videndæ autem in primis sunt Encyclicæ litteræ *Satis vobis* Benedicti XIV in ejus Bullario t. 1 n. 55 p. 54 ed. Rom. seu Ven., in quibus omnia, quæ ad hoc matrimonium pertinent, accurate explicantur, quæque regulam præbent Apostolicæ Pœnitentiariæ, cum de his matrimoniis agitur, uti patet ex ipsis Benedicti XIV. Const. 95 §. 59 p. 193 l. c.

(2) Late ea de re disputat V. Cl. Franciscus Mazzeus in Romana Curia Advocatus, qui *de matrimonio conscientia* singularem librum Rom. edidit an. 1765, c. 9.

(3) Facultatem solvendi aliquem lege proclamationum totam Episcopi arbitrio commisit Synodus Tridentina sess. 24 c. 4 de Reform. matrim. De harum proclamationum origine paulo post dicam.

(4) Synodus Tridentina l. c., *habeat*, inquit, *Parochus librum, in quo conjugum, et lætium nomina, diemque, et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.* (V. Collect. Jo. Teres lib. 5, tit. 25, c. 4.) Eadem Synodus Episcopi arbitrio non committit hanc legem, ut committit proclamationes; sed cum hodie Episcopus, secundum encyclicas litteras Benedicti XIV, permittere possit matrimonium conscientia, dubitandi locus esse non potest, quin etiam cum ejus venia hujus matrimonii descriptio in ordinario matrimoniorum libro omitti possit.

(5) Benedictus XIV, in laudatis encyclicis mala commemorat, quæ ex occulto matrimonio oriri solent, ideoque statuit, illud non esse permittendum *sine causa gravi, urgenti, et urgentissima*. Unam ipse expressit causam, si videlicet vir, et mulier in occulto concubinato vivant, neque ulla apud homines hujus criminis suspicio sit. Tunc enim permittendum fuit matrimonium conscientia; sed recte addit ipse Pontifex: *hanc præxim vobis diximus proponendam; non quia dispensatio præmisso casu solum congruat, cum alii similes, et fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensare expediat; sed quia vestri pastoralis officii partes versari debent in sedulo investiganda legitima, et urgenti causa dispensationis.*

*na matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis mœrore recensuimus.*

(6) De origine matrimonii *ad Morganaticam*, deque hujus vocabuli significatione late disputant Heineccius Elem. jur. German. l. 1 tit. 13 per tot., et Henricus Cocecius de leg. morganat. sect. 2 §. 7, quorum alter ex lege Salica, et alter moribus hoc matrimonium obtinuisse putat. Ita autem describitur in l. 2 Feudor. tit. 29, *quidam habens filium ex nobili conjuge, post mortem ejus non valens continere, aliam minus nobilem duxit, qui nolens existere in peccato eam desponsavit, ea lege, ut nec ipsa, nec filii ejus amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore sponsaliorum: verbi gratia, decem libras, vel quantum voluerit dare, quando eam desponsavit, quod mediolanenses dicunt, accipere uxorem ad morganaticam, alibi lege Salica; hic filius ex ea susceptus decessit. Isti in proprietate non succedunt aliis extantibus; sed nec in feudo, etiam aliis non existentibus; quia licet legitimi sint, tamen in beneficio minime succedunt. In proprietate vero succedunt patri, prioribus non existentibus: succedunt etiam fratribus sine legitima prole decedentibus, secundum usum Mediolanensium.* Quo ex loco facile intelligitur, quæ hujus matrimonii natura sit, et quibus legibus regatur. Est autem *Morgengap*, unde ductum est vocabulum *ad morganaticam*, donum matulinum, quod à viro uxori datur post concubitum, cum adhuc nuptiarum solemnia peraguntur. Ac illud quidem erat voluntarium, magis scilicet lautum, magisque tenue, pro cuiusque amore, et charitate in uxorem; et in lege Longobardorum l. 2 tit. 4 c. 3 gratuita donatio dicitur: *per gratulam donationem, id est, morgengap*. Sed cum quorundam, quos mulieris illecebræ deliniebat, ea in re dissolutior esset liberalitas, rex Longobardorum Liutprandus anno quinto regni sui legem tulit, qua sancivit, ut nemo propter *morgengap* uxori daret ultra quartam partem bonorum suorum: L. 2 Leg. Longobard. tit. 4 c. 1. Hinc Papias in suo Vocabulario inquit: *Morgengap, id est, quarta pars in lege Longobardorum*. Multa de hoc *Morgengap* antiqua monumenta asserunt à Baluzio in not. ad capitular. Reg. Francor. verb. *Morgangeba* l. 2. col. 663 ed. Ven. 1775. Vide etiam Du-Gangium Glossar. verb. *Morgangiba*.

(7) Pactum præsertim, quo cavetur, ut uxor, et liberi, certis contenti bonis, quæ data sunt, à viri, ac patris hæreditate, et dignitate arceantur, matrimonium *ad Morganaticam* à conscientia matrimonio distinguit.

## SECTIO VIII.

### DE SPONSALIBUS.

108. SPONSALIA QUID?—109. QUI EA RECTE CONTRAHANT.—110. CONSENSU SPONSALIA PIUNT.—111. EORUM VIS, ET OBLIGATIO.—112. ET 113. QUOMODO SOLVANTUR.

108.

Quod veteribus in more fuisse scribit Ulpianus (1), *stipulari, et spondere sibi uxores futuras*, id etiam à Christianis semper fieri consuevit, tum quia comparare se sponsi debent ad gra-

tiam sacramenti, tum quia periculi plena res est, sese perpetuo vinculo temere implicare. Itaque ante matrimonium fiunt sponsalia, quæ à *spondendo* dicuntur (2), quæque sunt futurarum nuptiarum facta, et vicissim accepta promissio (3). Sponsalium nomine proprie intelligitur consensus in futuras nuptias; sed interdum etiam comprehenditur consensus in præsens matrimonium, quæ sponsalia *de præsentis* appellantur (4).

(1) L. 2. ff. de Spons.

(2) Confer A. Gellium Noct. Attic. l. 4. c. 4. p. 231 ed. Lugd. Batav. 1666 et Brissonium de Form. l. 6. form. 125 p. 513 ed. Halæ 1751.

(3) Cap. 31 de Sponsal.

(4) Sponsalia *de futuro*, ac *de præsentis* memorat Gregorius IX in c. 51 *de Sponsal.* Sponsalia *de præsentis* vident Hotomannus Disp. de Spons. c. 7. et A. Matthæus Manud. ad jus canon. l. 2 tit. 6. Sed, ut rectissime animadvertit Panormitanus in d. c. 51, matrimonium ratum sponsalia *de præsentis* appellare solemus, non propter conjugale vinculum, quod jam colligatum est, sed propter ejus *executionem*, quæ corporum conjunctio est. Hanc sane loquutionem in vulgus probari, ac vulgares loquendi modos ipsis Romanis Jurisconsultis probatos constat. Adde et illud, quod ipsi veteres Romani sponsalia *de præsentis*, qualia canones agnoscunt, haud ignorasse videntur, quod recte tradit Huberus Observ. jur. l. 2 c. 3.

109. Sponsalia consensu perficiuntur, eaque recte contrahunt omnes, qui in futurum matrimonium consentire possunt. Furiosi, amentes, itemque pueri, qui nondum è septenio excesserunt, eadem contrahere vetantur (1); sed majores septem annis, qui suo consensu futuras nuptias probare possunt, recte illa conciliant; modo, si sint filii familias, parentes assentiantur, aut saltem non dissentiant, quæ naturalis est reverentia, qua filios prosequi decet parentes suos (2). Quoniam vero impuberi lubrica ætas, atque incertum, et præceps consilium est, ideo potest à sponsalibus resilire, cum pubertas advenit (3). Ipsi quoque parentes pro filiis impuberibus dare possunt futuri matrimonii fidem; at ea filii ipsi non obligantur, nisi expresse, aut tacite consenserint, postquam puberes evaserunt (4). Sed et pro filiis puberibus parentes sponsalia contrahere possunt: verum ut ea vim habeant, illorum consensu opus est (5).

(1) Leg. 3 et L. 14 ff. de Spons. cap. 15 de Desponsat. impub.

(2) Leg. 7. ff. de Sponsalibus; can. 1 et 3 caus. 50 q. 5. Ac sponsalia quidem à filiis familias invita parentibus insciis, vel juste invitis, etiamsi jurata sint, nullius momenti esse, demonstrat Franciscus M. Muscettula Diss. de Sponsal. et Matrim. quæ à filiis familias contrahuntur parentibus insciis, vel juste invitis, dub. 4 n. 145 et seq. p. 107 et seq. ed. Rom. 1766.

(3) Cap. 8 de Desponsat. impuber.

4) Vetus disciplina erat, ut parentes pro filiis impuberibus sponsalia contraherent, eaque filii ipsi, eum ad pubertatem pervenerant, servare cogebantur, uti patet ex cap. 1 de Desponsat. impuber. Verum hoc jus abrogavit Bonifacius VIII, in can. unic. de Despons. impub. in 6, statuitque, ut his sponsalibus filii non teneantur, nisi ea post pubertatem suo consensu probaverint. Consule Benedictum XIV, const. Probe 54 §. 6 t. 3 ejus Bullar. p. 241 ed. Rom. seu Ven. 1754.

(5) Cit. cap. unic. §. ult.

(N. S. In Regno Hispano vetantur juvenes, quicumque illi sint, utriusque sexus, infra viginti quinque ætatis annos, Sponsalia absque parentum, vel tutorum, aut provecæ ætatis consanguineorum adsensu contrahere, ex Pragm. Sanct. 25 Martii an. 1776.) — V. Adnot. ad hujus tit. sect. 9. §. 116.

110. Confirmantur sponsalia donationibus sponsalitiis (1), aliisque solemnitatibus; imo et adhibentur testes (2), et matrimoniales tabulæ conficiuntur, ut ea jam contracta fuisse constet (3). Sed tota eorum vis posita est in consensu contrahentium, qui modo sit certus, nihil refert, nutu ne quis assentiat, an verbis, sive ore prolatis, sive epistola comprehensis (a); neque etiam refert, per se quis contrahat, an per procuratorem. Quin etiam sponsalia fiunt sub conditione, quæ pendet ab incerto futuro eventu, quæque si honesta, et possibilis sit, vim contractus suspendit, donec existat, et si non existit, contractum solvit. Turpes autem, atque impossibiles conditiones rejiciuntur, ac firma manet sponsalia; quæ tamen infirmantur, si conditio matrimonii bono adversetur (4).

(1) Munera hæc, quæ *arrhæ*, et *pignora* vocantur, à Christianis etiam usurpata, memorat Gregorius Turonensis de Vit. Patr. c. 20 p. 1252 ed. Paris. 1699. Inter munera, quæ in sponsalibus tradebantur, eminebat præsertim annulus, qui à viro sœminæ dabatur ante nuptias: Tertullianus de Cultu sœminar. l. 1. c. 5 p. 152 et Apolog. c. 3. p. 7 edit. Paris. 1675. Hujus annuli usum, quem Christiani quoque retinebant, memorant etiam Clemens Alexandr. Pædagog. l. 5. c. 41 p. 287 t. 1 ed. Oxoni 1715. Annulus arrhæ nomine in omnibus sponsionibus à Romanis sæpe adhibebatur, cum darent vel pecuniam, vel annulum, ut pignoris loco esset: Plinius l. 35 c. 6 Histor. Natur. tit. 5 p. 16 ed Paris. 1685, L. 11 §. 6 ff. de Action. empt. l. ult. ff. de Lege commiss. L. 5 §. 15 ff. de Instit. Hinc ad firmandam sponsionem, quæ in sponsalibus fiebat, annulus adhiberi consuevit, quem ferreum, ac sine gemma sua ætate fuisse, testatur Plinius l. c. Sed Tertulliani ætate, uti constat ex ejus Apolog. cap. 5 p. 7 ed. cit., aureus erat. Antiqui Galli *per solidum*, et *denarium secundum Legem Salicam* sponsalia contrahebant, uti patet ex formula 5 Bignonii, et ex formula 75 Lindenbrogii apud Baluzium Capitul. Reg. Franc. t. 2. col. 544 et 567 ed. Ven. 1775. Nimirum arrhæ erat et denarius, et annulus, ideoque alterutra sponsalia contrahebantur. Sunt qui annuli ceremoniam non ad sponsalia, sed ad ipsas nuptias referendam putant; sed longe aliud ostendunt Gregorius

Thuronensis loc. cit. et Nicolaus I in Respons. ad. consult. Bulgar. c. 3 apud Harduinum coll. concil. t. 5 col. 554. Isidorus, de Offic. Ecclesiast. l. 2 cap. 19 p. 608 ed. Paris. 1601, annulum à sponso sponsæ dari inquit *vel propter mutæ fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde et quarto digito annulus idem inseritur, quod in eo vena quædam, ut fertur, sanguinis ad cor usque perveniat.*

(2) Quot numero testes in sponsalibus adhiberi solerent, non satis exploratum est; adhibitos tamen fuisse testes decem, colligi potest ex Ambrosio de Laps. Virg. c. 5. opp. t. 3. col. 536 ed. ind. Haud tamen necessaria est præsentia testium, ut sponsalia valeant; nam, ut inquit Benedictus XIV de Synod. dioces. t. 12 c. 5 n. 1, Concilium Tridentinum nihil innovavit circa sponsalia, eaque reliquit sub dispositione juris communis, juxta quod, etiam remotis arbitr. valide contrahuntur.

(5) Consule Martenium de Antiq. eccles. rit. l. 1 c. 9 art. 5 t. 2 p. 124 ed. Ven. 1763, et Jacobum Gothofredum in Leg. 5 Cod. Theodos. de Nuptiis l. 1 p. 321 ed. Lips. 1756, à quibus omnes sponsalium ritus describuntur. Præter ceteros ritus, etiam osculum, et dextrarum conjunctio adhibebatur. Osculi quidem sponsalium consuetudinem à Christianis, apud quos nihil osculo sanctius, et usitatus erat, repetendam putant Jacobus Gothofredus in Leg. 5 Cod. Theodos. de sponsal. et ante nupt. donation. t. 1 p. 508 ed. indic., et Mazochius in adnot. ad Muscettulæ dissert. de sponsal. et matrim. etc. diatrib. l. n. 8 et seq. p. 227 et seq. ed. Rom. 1766. Meminit hujus osculi Tertullianus de Veland. Virgin. c. 11 p. 179 ed. Paris. 1675, et meminit Constantinus in L. 16 Cod. de Donat. ante nupt., quæ ejus constitutio est Lex 5 mox indicata Codicis Theodosiani, ac refertur in Basilicis l. 28 tit. 5 c. 16. Hæc porro sponsalia osculo firmandi consuetudo viguit, et nunc etiam viget in Ecclesia Græca, uti ex Crusii Turcogræcia colligit Mazochius l. c. not. 5 p. 255; sed Latina Ecclesia, Græca severior, et austerior, cum sponsalia in grandioræ ætatem differri cœperunt, atque hominum malitia desit antiqua simplicitas, rituale illud osculum omittendum putavit. Postrema ejus osculi mentio est in Palea can. Lex divinæ c. 27 q. 2, quisquis tandem sic auctor hujus rescripti, quod vulgo Benedicto tribuitur.

(a) In Hispania valida sponsalia non habentur, nisi in publicam scripturam redacta, leg. 18 tit. 2 lib. 40 *Novis. Compilat.*

(4) Cap. ult. de condit. apposit.

(N. S. Parochis sedulo cavendum est, ne sponsi *de futuro*, ante contractum reipsa Matrimonium per verba *de præsentis*, sub eodem tecto habitent; id enim, uti proximi criminis periculum, vetuerunt complures Syn. Dioces.; et Jo. Teres in Syn. Tarracon. *Compilat.* lib 4 tit. 1 cap. 2.)

111. Contracta sponsalia obligationem contrahendi matrimonii pariunt; adeo ut renuens implere fidem, non tantum monendus, sed etiam metu pœnarum, atque ecclesiasticis censuris cogendus sit (1). Verum coactioni, atque censuris, in quibus nervus inest ecclesiasticæ potestatis, non ita facile dandus est locus, quoniam tristes habent exitus coacta matrimonia; et ideo vel levis causa procul esse jubet coactiones, atque ab iis plane abstinendum est, cum adhuc sponsus voluntate obstinata pergit matrimonio resistere (2). Quod si qua gravis causa

urgeat, puta si mulier à sponso deflorata sit, ipse omnino ad nuptias cogi debet.

(1) Lucius III. in c. 17 de sponsal. sponsam monendam potius, quam cogendam esse statuit, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. Contra Alexander III. in c. 10 eod. sponsum non tantum moneri, sed etiam ecclesiastica censura compelli jubet, ut ipsam, nisi rationabilis causa obstiterit, in uxorem recipiat. Ita componendus videtur uterque locus Juris Canonici, ut vel levissima causa faciat soli monitioni locum; contra vero adhibenda sit coactio, cum eam gravis causa postulat.

(2) Confer Muscettulam laud. diss. de sponsal. et matrim. etc. dub. 4 n. 154 et seq. p. 100 et seq., ibique Mazochium not. 54 p. 103.

(N. S. Syn. Illiberit. can. 54, sponso, vel eorum parentes, qui fidem fregissent Sponsaliorum, triennii excommunicatione punit, et Siricius in Epist. ad Himer. Tarracon. cap. 4, voluntariam Sponsaliorum dissolutionem instar sacrilegii crimen appellat; nisi dicas in utroque loco agi de contractu per verba *de præsentis*; id est, de Matrimonio.)

112. Solvuntur sponsalia mutuo consensu eorum, à quibus contracta sunt, etiam si jurata sint, quia sacramentum sequitur naturam actus, cui adjectum est (1). Impuberes vero dissentire non possunt, nisi puberes facti sint, et se corporum conjunctione abstinerint (2). Quod si alter impubes suam obligavit fidem, atque dissentiat, sponsalia dissolvuntur, etiam invito altero, qui ea contraxit cum jam pubes evasserat (3).

(1) Cap. 25 de Jurejur.

(2) Cap. 8 de desponsat. impuber.

(3) Cap. 7 eod.

113. Sed et solvuntur sponsalia per matrimonium, quod sponsorum alter, injuria quidem, sed valide cum alia, aliove contraxit; per sacros susceptos ordines (1), aut emissam in approbata religione professionem (2). Quin etiam interdum unus liberatur, sed alter adhuc manet obstrictus sponsione sua; si mirum ipse dolo rem egit, si in longinqua proficiscatur sine alterius consensu (3), si magnam, atque constantem post sponsalia pertulit mutationem animi, corporis, fortunarum (4), si fidem fregit, hoc est, suum cum alio corpore commiscuit. (5). Qua in re Canonici Juris interpretes virum liberant, etiamsi mulier ante sponsalia, ac per vim quoque stuprata sit; verum mulier lege solvitur, tantum si vir post inita sponsalia in fide non stetit.

(1) Cap. unic. de vot. in 6.

(2) Qui ingreditur religionem obligatus manet, donec professionem emit-  
tat; sed alterius obligatio per solum illius ingressum tollitur.

(3) Cap. 5 de sponsal.

(4) Cap. ult. de conjug. lepros. Nam in omnibus pactionibus, multo ma-  
gis sponsalibus, inesse censetur conditio rebus in eodem statu manentibus.

(5) Cap. 25 de Jurejur.

SECTIO IX.

DE MATRIMONII IMPEDIMENTIS.

114. QUÆ ET QUALIA SINT MATRIMONII IMPEDIMENTA?—115 EA CONSTITUE-  
RE, ET LAXARE ECCLESIE EST.—116 MATRIMONII SACRAMENTUM A CONTRACTU  
CIVILI NON PENDET.—117. AD 120. SUMMO PONTIFICI, NON ITEM EPISCOPIS, LA-  
XANDI DIRIMENTIA IMPEDIMENTA POTESTAS EST.—121. IMPEDIMENTORUM DISPEN-  
SATIO PUBLICA, VEL OCCULTA.—122 ET 123. DIVISIO IMPEDIMENTORUM DIRIMEN-  
TIUM.—124. ÆTAS.—125 AD 127. IMPOTENTIA.—128. VOTUM SOLEMNE.—129.  
LIGAMEN.—130 AD 134. COGNATIO NATURALIS.—135. COGNATIO CIVILIS.—136.  
COGNATIO SPIRITUALIS.—137. AFFINITAS.—138. PUBLICA HONESTAS.—139. CRIMEN.—140. CULTUS DISPARITAS.—141. ERROR.—142. IGNORATIO SERVILIS CON-  
DITIONIS.—143. VIS.—144. RAPTUS.—145. TURPIS CONDITIO.—146. MATRIMONIUM  
CLANDESTINUM

114.

**D**um ineuntur nuptiæ, illud in primis considerandum est,  
num aliquid interveniat, quo illæ vel prorsus irritæ, vel non  
laudabiles, neque honestæ sint. Quæ irritum matrimonium fa-  
ciunt, impedimenta dirimentia; quæ minus laudabile, et ho-  
nestum, impedimenta appellantur. Impedimenta impediunt ve-  
tant, ne nuptiæ contrahantur, sed non tollunt, evertuntque  
contractas; dirimentia vim prorsus adimunt matrimonio, et ideo  
non tantum contrahendum impediunt, sed etiam contractum  
dirimunt.

115. Impedimentorum constituendorum, et laxandorum jus  
penes unam Ecclesiam est (1). Id ostendit et natura matrimonii,  
quod cum apud Christianos sacramentum sit, civilibus legibus  
subesse non potest; ac perpetua traditio, et consuetudo, quam  
semper Christiani omnes ratam firmam habuerunt (2). Civilibus  
quidem legibus effici potest, ut qui certas nuptias conciliarunt,  
potiri non debeant juribus, et privilegiis, quibus reliqui cives  
potiuntur; sed unius Ecclesiæ est leges constituere, quæ vim  
matrimonii respiciunt.

(1) Concilium Tridentinum Sess. 24 can. 5 de Sacram. matrim. *Si quis,*  
*inquit, dixerit, eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui in*  
*Levitico exprimentur, posse impedire matrimonium contrahendum, et*  
*dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensa-*  
*re, aut constituere, ut plures impediunt et dirimant, anathema sit.* Idem-  
que habet can. 4. Waldenses primum, postea Lutherani, et Calviniani, tum  
Hæcæus Antonius de Gominis, Archiepiscopus Spalatensis, et apostata, Paulus  
Sarpus, et Joannes Launojus, nullam esse putarunt in Ecclesiastica hierar-  
ehia impedimenta illa constituendi potestatem. Errorem hunc, jam prope se-  
nescentem, ab oblivione hominum, atque silentio non multis abhinc annis  
vindicare conati sunt Aloysius Litta, Thomas Nestius, Petrus Tamburinius,  
et quidam alii; qui etiam absurde detorquent Tridentinos canones, quorum  
supra facta mentio est, ne in illum ipsum incidere videantur errorem, quem  
Synodus contra Lutherum, cæterosque hæreticos damnavit. Inquiunt viden-  
licet, canones non esse dogmaticos; Tridentinis Patribus Ecclesiæ potesta-  
tem, esse potestatem, non propriam Ecclesiæ, sed ei à Principibus concessam;  
denique Ecclesiæ nomen Patres ipsos usurpasse, non ut ecclesiasticum ordi-  
nem, sed ut sæculares Principes significarent. Verum si Tridentina Synodus  
hanc de matrimonio doctrinam non aliquo *de Reformatione* titulo, sed com-  
prehendit canonibus, quibus semper catholicum dogma stabilire solet; si in-  
titio sessionis 24, in qua extant duo illi canones de matrimonii impedi-  
mentis, declarat, se *anathematizare* omnes hæreses, et errores, qui de sacra-  
mento matrimonii orti sunt; si inter has hæreses, et errores *anathematizat*  
etiam eos, qui negant jus esse Ecclesiæ constituendorum, et laxandorum im-  
pedimentorum matrimonii, non nisi obfirmata cavillandi licentia hos canones  
dogmaticos esse inficiabitur. Quod vero ajunt de prava illa interpretatione  
vocabuli Ecclesiæ, id argumentum est, quo nullum illustrius, et præcla-  
rius esse potest perditæ, ac desperatæ causæ, quam tuentur. Quis enim  
putet, Ecclesiam, quæ omnibus, atque ipsis Tridentinis Patribus semper  
est Ordo Ecclesiasticus, duobus illis canonibus esse potestatem sæcula-  
rem; Patres ipsos, qui cuncta suis propriis, germanisque vocabulis ex-  
plicarunt studio, ac diligentia singulari, eo tantum loco à proposito dis-  
cessisse, pervertisseque vocabuli significationem, ut facerent disputationi  
locum, et simul integrum relinquerent errorem Lutheri, cujus erant eo-  
natus omnes in ecclesiasticam potestatem; Principum Oratores, qui Conci-  
lio intererant, curabantque diligenter, ne quid verbis, aut factis eorum po-  
testati detraheretur, permittere voluisse, quod hæc potestas, quæ suo, et  
proprio vocabulo clarissime designari potuisset, comprehenderetur vocabulo,  
quod tantum violenter detortum, ac minus proprie eam significare poterat?  
C. 1 sess. 14 de Reform. matrim., Synodus irrita facit clandestina matrimo-  
nia, quæ rata firma fuisse dicit, *quandiu ea Ecclesia irrita non fecit.*  
Ergo Tridentinis Patribus Ecclesia, quæ dirimentia matrimonium impedi-  
menta constituit, est ipsa Synodus, hoc est cæteris Ecclesiasticis, cujus de-  
creto factum est, ut clandestina matrimonia, quæ pridem Ecclesiæ lege ir-  
rita non erant, alia deinceps Ecclesiæ lege irrita habeantur, et sint. Eodem  
sensu aliis in locis Ecclesiæ vocabulum Synodus usurpat; ex. gr. can. 15  
sess. 14 de Pœnitent. can. 12 sess. 24 de Matrim. sess. 25 in decret. de  
indulg., quibus locis omnibus Ecclesiæ nomine intelliguntur superiores, et  
Pastores, in quibus inest regendi, ac pascendi oves auctoritas. Quid? Nova  
illa à Synodo constituta impedimenta, illæ Principum Oratorum preces, illæ-  
que de his impedimentis studia, quæ partim Synodi Patres probarunt, partim  
rejecerunt arbitrio suo, nonne evidenter ostendunt in eo negotio Ecclæ-

(2) Qui ingreditur religionem obligatus manet, donec professionem emit-  
tat; sed alterius obligatio per solum illius ingressum tollitur.

(3) Cap. 5 de sponsal.

(4) Cap. ult. de conjug. lepros. Nam in omnibus pactionibus, multo ma-  
gis sponsalibus, inesse censetur conditio rebus in eodem statu manentibus.

(5) Cap. 25 de Jurejur.

SECTIO IX.

DE MATRIMONII IMPEDIMENTIS.

114. QUÆ ET QUALIA SINT MATRIMONII IMPEDIMENTA?—115 EA CONSTITUE-  
RE, ET LAXARE ECCLESIE EST.—116 MATRIMONII SACRAMENTUM A CONTRACTU  
CIVILI NON PENDET.—117. AD 120. SUMMO PONTIFICI, NON ITEM EPISCOPIS, LA-  
XANDI DIRIMENTIA IMPEDIMENTA POTESTAS EST.—121. IMPEDIMENTORUM DISPEN-  
SATIO PUBLICA, VEL OCCULTA.—122 ET 123. DIVISIO IMPEDIMENTORUM DIRIMEN-  
TIUM.—124. ÆTAS.—125 AD 127. IMPOTENTIA.—128. VOTUM SOLEMNE.—129.  
LIGAMEN.—130 AD 134. COGNATIO NATURALIS.—135. COGNATIO CIVILIS.—136.  
COGNATIO SPIRITUALIS.—137. AFFINITAS.—138. PUBLICA HONESTAS.—139. CRIMEN.—140. CULTUS DISPARITAS.—141. ERROR.—142. IGNORATIO SERVILIS CON-  
DITIONIS.—143. VIS.—144. RAPTUS.—145. TURPIS CONDITIO.—146. MATRIMONIUM  
CLANDESTINUM

114.

**D**um ineuntur nuptiæ, illud in primis considerandum est,  
num aliquid interveniat, quo illæ vel prorsus irritæ, vel non  
laudabiles, neque honestæ sint. Quæ irritum matrimonium fa-  
ciunt, impedimenta dirimentia; quæ minus laudabile, et ho-  
nestum, impedimenta appellantur. Impedimenta impediunt ve-  
tant, ne nuptiæ contrahantur, sed non tollunt, evertuntque  
contractas; dirimentia vim prorsus adimunt matrimonio, et ideo  
non tantum contrahendum impediunt, sed etiam contractum  
dirimunt.

115. Impedimentorum constituendorum, et laxandorum jus  
penes unam Ecclesiam est (1). Id ostendit et natura matrimonii,  
quod cum apud Christianos sacramentum sit, civilibus legibus  
subesse non potest; ac perpetua traditio, et consuetudo, quam  
semper Christiani omnes ratam firmam habuerunt (2). Civilibus  
quidem legibus effici potest, ut qui certas nuptias conciliarunt,  
potiri non debeant juribus, et privilegiis, quibus reliqui cives  
potiuntur; sed unius Ecclesiæ est leges constituere, quæ vim  
matrimonii respiciunt.

(1) Concilium Tridentinum Sess. 24 can. 5 de Sacram. matrim. *Si quis, inquit, dixerit, eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimentur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediunt et dirimant, anathema sit.* Idemque habet can. 4. Waldenses primum, postea Lutherani, et Calviniani, tum Marcus Antonius de Dominis, Archiepiscopus Spalatensis, et apostata, Paulus Sarpus, et Joannes Launojus, nullam esse putarunt in Ecclesiastica hierar-  
ehia impedimenta illa constituendi potestatem. Errorem hunc, jam prope se-  
nescentem, ab oblivione hominum, atque silentio non multis abhinc annis  
vindicare conati sunt Aloysius Litta, Thomas Nestius, Petrus Tamburinius,  
et quidam alii; qui etiam absurde detorquent Tridentinos canones, quorum  
supra facta mentio est, ne in illum ipsum incidere videantur errorem, quem  
Synodus contra Lutherum, cæterosque hæreticos damnavit. Inquiunt vidi-  
licet, canones non esse dogmaticos; Tridentinis Patribus Ecclesiæ potesta-  
tem, esse potestatem, non propriam Ecclesiæ, sed ei à Principibus concessam;  
denique Ecclesiæ nomen Patres ipsos usurpasse, non ut ecclesiasticum ordi-  
nem, sed ut sæculares Principes significarent. Verum si Tridentina Synodus  
hanc de matrimonio doctrinam non aliquo *de Reformatione* titulo, sed com-  
prehendit canonibus, quibus semper catholicum dogma stabilire solet; si in-  
titio sessionis 24, in qua extant duo illi canones de matrimonii impedi-  
mentis, declarat, se *anathematizare* omnes hæreses, et errores, qui de sacra-  
mento matrimonii orti sunt; si inter has hæreses, et errores *anathematizat*  
etiam eos, qui negant jus esse Ecclesiæ constituendorum, et laxandorum im-  
pedimentorum matrimonii, non nisi obfirmata cavillandi licentia hos canones  
dogmaticos esse inficiabitur. Quod vero ajunt de prava illa interpretatione  
vocabuli Ecclesiæ, id argumentum est, quo nullum illustrius, et præcla-  
rius esse potest perditæ, ac desperatæ causæ, quam tuentur. Quis enim  
putet, Ecclesiam, quæ omnibus, atque ipsis Tridentinis Patribus semper  
est Ordo Ecclesiasticus, duobus illis canonibus esse potestatem sæcula-  
rem; Patres ipsos, qui cuncta suis propriis, germanisque vocabulis ex-  
plicarunt studio, ac diligentia singulari, eo tantum loco à proposito dis-  
cessisse, pervertisseque vocabuli significationem, ut facerent disputationi  
locum, et simul integrum relinquerent errorem Lutheri, cujus erant eo-  
natus omnes in ecclesiasticam potestatem; Principum Oratores, qui Conci-  
lio intererant, curabantque diligenter, ne quid verbis, aut factis eorum po-  
testati detraheretur, permittere voluisse, quod hæc potestas, quæ suo, et  
proprio vocabulo clarissime designari potuisset, comprehenderetur vocabulo,  
quod tantum violenter detortum, ac minus proprie eam significare poterat?  
C. 1 sess. 14 de Reform. matrim., Synodus irrita facit clandestina matrimo-  
nia, quæ rata firma fuisse dicit, *quandiu ea Ecclesia irrita non fecit.*  
Ergo Tridentinis Patribus Ecclesia, quæ dirimentia matrimonii impedi-  
menta constituit, est ipsa Synodus, hoc est cæteris Ecclesiasticis, cujus de-  
creto factum est, ut clandestina matrimonia, quæ pridem Ecclesiæ lege ir-  
rita non erant, alia deinceps Ecclesiæ lege irrita habeantur, et sint. Eodem  
sensu aliis in locis Ecclesiæ vocabulum Synodus usurpat; ex. gr. can. 15  
sess. 14 de Pœnitent. can. 12 sess. 24 de Matrim. sess. 25 in decret. de  
indulg., quibus locis omnibus Ecclesiæ nomine intelliguntur superiores, et  
Pastores, in quibus inest regendi, ac pascendi oves auctoritas. Quid? Nova  
illa à Synodo constituta impedimenta, illæ Principum Oratorum preces, illæ  
que de his impedimentis studia, quæ partim Synodi Patres probarunt, partim  
rejecerunt arbitrio suo, nonne evidenter ostendunt in eo negotio Ecclē-



siâ potestatem? Neque his precibus, et officiis rem egissent *Delegantes cum Delegato*; nihil illis ab se postulantibus Synodus recusare potuisset; non tuto, ac certo statuere can. 3 et 4 (addita quoque pœna anathematis in eos, qui id negarent), non solum antea potuisse, sed etiam in posterum Ecclesiam posse matrimonii impedimenta constituere; non pari anathematis pœna plectere, can. 12, qui dicerent, *causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos*, si in eo negotio Ecclesia delegato tantum jure uteretur, non proprio, et suo. Denique cum Tridentini Patres impedimenta stabilire dicant *Ecclesiam, et Sanctam Synodum*, quibus iisdem verbis catholicum dogma constituunt; aut in utroque, aut in neutro potestas delegata ponenda est. Quis autem dicat, Synodum œcumenicam in constituendo dogmate potestate delegata indigere? Paucis hæc attingi, quæ multo fusius, et uberius explicari possunt; sed ita instituti mei ratio postulabat. Præclare in hoc argumenti genere versatus est Cl. Auctor operis editi Hierapoli anno 1785; cui titulus *Defensio Tridentinorum canonum de Ecclesie potestate in dirimentia matrimonium impedimenta, adversus Laucorum, Tamburinium, Nestium, aliosque recentiores, Auctore Petro Deodato Nicopolitano*. Confer etiam ejusdem Auctoris opus editum an. 1788 cum titulo: *Nuova difesa dei canoni 3 e 4 della sessione 24 del Concilio di Trento*; scripta da Pietro Diodato; itemque opus quod extat in supplemento Diarii Ecclesiastici Roman. Mens. Septembr. et Octobr. 1791, atque evulgatum est à V. Cl. Aloysio Cuccagnio cum titulo: *del matrimonio cristiano, e della divina immediata potestà della Chiesa di apporre ad esso gl'impedimenti, che si dicono dirimenti: præterea: Les vrais principes sur le mariage, opposés au rapport de M. Durand de Maillane, par l'Abbé Barruel*.

(2) Id ostendam paulo post, cum de unoquoque impedimento singillatim disseram. Interim, ut mittam cætera ejus rei monumenta, quorum magnus est numerus, quæque à Gerbaisio recensentur, satis est legere duas canonum collectiones, quas VII et VIII sæculo ediderunt Theodoros Cantuariensis, et Egbertus Eboracensis, ut pateat, quot jam essent ea ætate matrimonii impedimenta, ab Ecclesia constituta. Ille enim apud Dacherium spicileg. t. 1 c. 24, 25, 30, 31, 32, 65, 92, 95, 108, 159, 140, 145 p. 487 ad 490 ed. Paris. 1725, multa hujusmodi impedimenta describit, et multa item habet Egbertus in collectione, cui titulus *Excerptiones*, à c. 128 ad 158 apud Spelmanum concil. britannic. t. 1 p. 271, et seq. ad Londini 1659. Vide Juvenium de sacrament. q. 6 de matrimonii impedimen. in gener., Gerbaisium *Traité du pouvoir de l'Eglise, et de Princes sur les empêchemens du mariage*; quo quidem opere tota parte 1 apertissime ostendit, Ecclesiam jus proprium habere constituendi impedimenta matrimonii, atque omnium ætatum collectis monumentis, hanc esse demonstrat perpetuam traditionem, et consuetudinem, quam etiam sæculares Principes sæpissime ratam habuerunt; quamquam parte 2 minus vere jus constituendi impedimenta matrimonii dirimentia, etiam laicæ Potestati adscribere conetur. Vide etiam, Laucii sophismata refellentem, auctorem operis *De l'Autorité de deux puissances* c. 5 § 8, t. 2, et Jacobum Clementem *Traité du pouvoir irrefragable et inébranlable de l'Eglise sur le mariage des Catholiques*.

416. Neque vero quod in matrimonio inest etiam civilis contractus, exinde effici potest, quod si forte civiles leges contractum tollant, matrimonium quoque tollatur; quoniam materia eripitur, in qua consistit. Nam sacramenti materia non civilis,

sed naturalis est contractus, qui simul est, hinc quidem contractus civilis, illinc vero sacramentum; quoniam ab eo perficitur, qui simul civis, et Christianus est. Atqui nec contractus civilis à sacramento, nec sacramentum à civili contractu pendet, quæ diversa sunt rerum genera certæ Civitatis, et Christianæ religionis, utrumque per se constans, non alterne necessario nexa inter se, cum sit tamen utrumque singillatim innexum conditioni naturali hominis, atque ab hoc pendeat. Itaque, sublato etiam civili contractu, integrum tamen est sacramentum, quod ab illo non pendet, et quod suam habet materiam in contractu naturali (1).

(1) Gravis est error illorum, qui cum in matrimonio civilem contractum fieri animadvertant, ita ab hoc contractu sacramentum pendere arbitrantur, ut illo sublato, alterum etiam tolli, evertique debeat. Inquiunt enim, in matrimonio inesse et civilem contractum, et sacramentum; sed primum contractum existere, postea sacramentum, quod ab illo sumit materiam, in qua consistat. Quemadmodum vero civilibus legibus cæteri contractus subiciuntur, ita etiam iis subesse contendunt contractum matrimonii; et ideo cum civiles leges contractum perimunt, ipsam tollunt materiam, sine qua sacramentum stare non potest. Verum materia sacramenti matrimonii non civilis, sed ipse est contractus naturalis, qui certe absolvi cœpit, multo ante quam ullæ civiles societates constituerentur. Naturalis hic contractus materiam præbet tum contractui civili, tum sacramento. Cum is contractus ab eo perficitur, qui tantum est civis, ejus matrimonium tantum civile contractus esse potest; atque ex eo genere sunt conjugia, quæ ab infidelibus contrahuntur. Sed quando nuptias conciliat, qui simul civis, et Christianus est, matrimonium simul efficitur contractus civilis, et sacramentum; quia non primum à cive, deinde à Christiano, sed ab uno simul cive, et simul Christiano contrahitur. Quare utut leges civiles impedimenta constituent adversus civilem contractum, nulla certe possunt constituere adversus sacramentum; neque illo sublato, hoc etiam tollitur, perinde ac non amplius habeat materiam, in qua consistat. Hæc enim est posita in contractu naturali, cui tanquam fundamento utriusque communi, et proximo, tum contractus civilis, tum sacramentum incumbit. Certe Christus Dominus, qui suam instituit Ecclesiam ex omnibus gentibus, quibus dissimiles erant mores, legesque civiles, omnibus, qui ad hanc Ecclesiam pertinent, matrimonium sacramentum esse voluit. Itaque ejus materiam constituere debuit, quæ omnibus una, et eadem esset; et ideo primam, quæ ante ullas conditas civiles leges fuit, matrimonii institutionem appellavit. Atqui tantum naturalis contractus unus, idemque erat omnibus, non civilis, quem aliis legibus Romani, aliis Hebræi, aliis reliquæ gentes perficiebant. Equidem peto ab iis, qui civilem contractum sacramenti materiam faciunt, quorum populorum civiles leges Christus respexit, ut in iis sacramenti materiam poneret? An Hebræorum, an Romanorum, an reliquarum gentium? Si Hebræorum leges spectavit, negabimus sacramentum fuisse matrimonium cæterorum, qui ex Romanis, aut ex reliquis gentibus ad Ecclesiam veniebant; quoniam non iisdem, quibus illi, legibus utebantur. Eadem contra

argumentatio relit, si in contractu civili Romanorum, aut reliquarum gentium sacramenti materiam à Christo collocatam dicamus. Adde, quod nullæ tunc erant civiles leges de matrimonio, quæ non Christi legi adversarentur. Hebræorum leges repudium permittent, leges Romanorum, ac gentium reliquarum et repudiū facultatem dabant, et plenæ superstitionum, ac vitiorum erant. Quis dicat, Christum fecisse sacramenti materiam has leges, à quibus divina, quæ ab eo ferebatur, Lex abhorrebat? Fecisse præterea materiam vagam, et incertam, qualis est contractus civilis, qui à populorum moribus, à temporum ratione, ab hominum voluntate, arbitrioque pendet? In reliquis sacramentis una, atque eadem cunctis gentibus materia est. Quis illud sibi in animum inducat, solius sacramenti matrimonii Christum fecisse materiam tam variam, tamque dissimilem, quam varii sunt, interque se dissimiles mores ac leges civiles, quibus populi reguntur? Confer Jacobum Clementem loc. cit. cap. 3, et Auctorem operis: De l' Autorité des deux puissances c. 5 §. 3 t. 2.

(N. S. Quod ad Hispaniam attinet, plura civilia constituta esse impedimenta, tum Regis Sanctionibus, tum etiam Regni consuetudinibus, perspicuum est. Hinc à moribus jam pridem inductum est, ut Infantes, Duces, Comites, Marchiones, Regis à Secretis, majorisque notæ Aulae famuli, eorumque filii, (nominis ejusdem Regis adsensu impetrato, Matrimonium inean; neque Auditores cujusvis Regni Tribunalis, neque Supremi Consilii Ministri, sine ejusdem Consilii Præsidis, aut Governatoris adsensu, neque hic absque Regis absequita licentia, Matrimonium inire possint, id quod confirmatur Pragm. Sanct. 25 Martii an. 1776 §. 11 et 14 (Leg. 9 tit. 2. lib. 10 Novis. Compil.).

2. Alphonsus Sapiens Provinciarum Præsidibus inhiibuit intra suæ jurisdictionis limites uxores ducere: *Leg. 2 tit. 14 Part. 4.*

3. Carolus V prohibuit ne Governatorum Tribunalium, Judicum, vel Consiliatorum filii cum eorundem Tribunalium litigantibus Matrimonium contraherent: *Leg. 11 tit. 2 Lib. 4 Novis. Compil.* Tum ipsis, et eorum filiis vetitum est pro Indiæ Regnis sub pœna privationis ab officio, et stipendio, à *Leg. 52 Tit. 16 Lib. 2 Novæ Recop. Indiar.*

4. Alphonsus XI interdixit famulis cum domini filiabus, vel consanguineis ipsorum domibus habitantibus contrahere, sub pœna relegationis; et eam infringentes capitali sententia puniendos sanxit: *Leg. 4 Tit. 2 Lib. 10 Novis Compil.*

5. Tum militibus, à Signifero, ad ineunda conjugia Regis venia expectanda est, pluresque conditiones observandæ: *Ordin. Montis Pii an. 1761 confirm. præf. Pragm. Sanct.*

6. Postremo ex *mox laud. Pragm. Sanct.* filii familias viginti quinque annis ætate inferiores, utriusque sexus, et cujusvis conditionis illi fuerint, à parentibus, vel tutoribus, aut senioribus consanguineis expostulare tenentur consensum ad ineundum Matrimonium, quem nisi petierint, tam hi, quam eorum filii, et successores omnium omnino effectuum civilium jure carebunt, scilicet dotis, legitimæ hæreditatis, aut necessariæ, vel voluntariæ successione; vinculi etiam, patronatus, aut cujuslibet juris perpetui successione, et possessione privantur; et tum hi, tum ab eis progeniti, in vocatione remotioribus postponuntur, ita ut ad sequentem ordine, vel gradu hæc jura transferantur, quæ quidem, nisi omnium lineis descendentiū extinctis, recuperare non possunt. Si vero hujus Legis infractores postremi fuerint descendentiū, præfata jura ad priorem in transversali linea transeunt, et iis duntaxat lineis extinctis, ad rectam infractorum lineam re-

deunt. Viginti quinque annis majores, etsi non consensum, consilium tamen sub præfatis pœnis exquirere debent à parentibus etc.)

De postremo capite ob oculos habendum Reg. decretum 10 April. 1805 (1. 18 tit. 2 lib. 10 Novis. Compilat.) cujus en summam: Mando que ni los hijos de familia menores de 25 años, ni las hijas menores de 25..., puedan contraer matrimonio sin licencia de su padre; quien, en caso de resistir el que sus hijos ó hijas intentaren, no estará obligado á dar la razon ni esplucar la causa de su resistencia ó disenso. Los hijos que hayan cumplido 25 años, y las hijas que hayan cumplido 23, podrán casarse á su arbitrio sin necesidad de pedir ni obtener consejo ni consentimiento de su padre: en defecto de este, tendrá la misma autoridad la madre; pero en este caso los hijos y las hijas adquirirán la libertad de casarse á su arbitrio un año antes; esto es, los varones á los 24 y las hembras á los 22 todos cumplidos: á falta de padre y madre, tendrá la misma autoridad el abuelo paterno, y el materno á falta de este; pero los menores adquirirán la libertad de casarse á su arbitrio dos años antes que los que tengan padre; esto es, los varones á los 23, y las hembras á los 21, todos cumplidos: á falta de los padres y abuelos paterno y materno, sucederán los tutores en la autoridad de resistir los matrimonios de los menores, y á falta de los tutores, el juez del domicilio, todos sin obligacion de explicar la causa; pero en este caso adquirirán la libertad de casarse á su arbitrio, los varones á los 22 años y las hembras á los 20, todos cumplidos. Para los matrimonios de las personas que deben pedirme licencia, ó solicitarla de la Cámara, Gobernador del Consejo ó de sus respectivos gefes, es necesario que los menores, segun las edades señaladas, obtengan esta despues de la de sus padres, abuelos ó tutores, solicitándola con la espresion de la causa que estos han tenido para prestarla: y la misma licencia deberán obtener los que sean mayores de dichas edades.... Aunque los padres, madres, abuelos y tutores no tengan que dar razon á los menores de las edades señaladas, de las causas que hayan tenido para negarse ó consentir en los matrimonios que intentasen; si fueren de la clase que deben solicitar mi Real permiso, podrán los interesados recurrir á mi, asi como á la Cámara, Gobernador del Consejo y gefes respectivos los que tengan esta obligacion, para que por medio de los informes que tuviere Yo á bien tomar, ó la Cámara, Gobernador del Consejo ó gefes truyeren convenientes en sus casos, se conceda ó niegue el permiso ó habilitacion correspondiente, para que estos matrimonios puedan tener ó no efecto. En las demas clases del Estado ha de haber el mismo recurso á los presidentes de Cancillerias y Audiencias, y al Regente de la de Asturias (nunc vero ad civiles provinciarum gubernatores, ex Reg. decreto 30 Aug. 1836); los cuales procederán en los mismos términos...

Ad rem est libellus, quem Matrit. an. 1777 edidit D. Joach. Amorós sub titulo: «Discurso en que se manifiesta la necesidad y utilidad del consentimiento paterno para el matrimonio de los hijos y otros deudos.»

117. Cumque Ecclesiam repræsentent, vel ejus caput Romanus Pontifex, vel œcumenicum Concilium, sequitur, ut ab alterutro tantum dirimentia matrimonium impedimenta constitui (1), et constituta removeri possint (2), Sæpe enim justis de causis aliquis lege solvitur; solvendus est autem potestate pari, qua adstrictus est. Episcoporum potestas infra Summi Pontificis,

atque œcumenici Concilii potestatem est; et ideo, quæ superiori lege sancita sunt, impedimenta perfringere, et labefactare non possunt. Quare ut Summi Pontifices jus illud exerceant, quod semper exercuerunt, laxandi dirimentia matrimonium impedimenta, nihil sibi præcipue reservare debuerunt, neque aliquid de juribus episcopalibus diminuere, ac detrudere oportuit. Res ipsa velat, inferiorem abrogare legem, quæ superioris imperio sancita est.

(1) Impedimentorum matrimonii, quæ à Summis Pontificibus constituta sunt, vel probata, et tunc generalis Ecclesiæ legis vim obtinuerunt, antiquissima exempla suppeditant Innocentius I. Ep. 2 ad Victric. Rothomag. c. 15 apud Constantium Ep. Roman. Pontif. col. 756; Siricius, Ep. 1 ad Himer. Tarracœn. c. 4 apud eundem Constantium col. 623; Leo M. Ep. 2 ad Rust. Narbon. et Ep. 135 ad Nicet. p. 11 et 443 opp. t. 2 ed. Romæ; Gregorius M. Ep. 1 l. 7 Ep. 64 l. 11 Ep. 171. 44 et in decret. 6 opp. tit. 2 col. 845, 1154, 1179, 1295 ed. Paris.; Gelasius decret. c. 20 apud Pitthœum eod. canon. Eccl. Rom. Paris. 1687 p. 268; Gregor. II, Decr. 1, 2, 5 apud eundem Pitthœum l. c. p. 500. Falso igitur auctor libri Sopra il diritto di stabilire impedimenti dirimenti il matrimonio, è di dispensare, à Romanis Pontificibus constituta negat matrimonii impedimenta. Sane eorum quædam primum à Conciliis particularibus stabilita sunt; sed ea tantum post Decretum Summi Pontificis in Ecclesia universa vim legis habere cæperunt.

(2) Sæculo VI. Gregorius M. Anglorum genti, quæ recens Christi fidem amplexa fuerat, matrimonia permisit in tertio consanguinitatis gradu, in quo jam tunc irrita conjugia erant. Unde, inquit ipse Gregorius ad Augustinum Ep. 54 l. 11 u. 2 col. 1154 ed. Paris. cit., *neesse est, ut jam tertia, aut quarta generatio fidelium licenter sibi jungi debeat; nam secunda, quam diximus, à se omnino debet abstinere.* Quæ indulgentia Pontificis cum displicuisset Felici Episcopo Messanensi, ipseque ea de re vehementiores ad Gregorium literas dedisset, respondit Pontifex Ep. 17 l. 14 col. 1277, sed non omnibus universe, sed tantum Anglis hanc veniam iustis de causis concessisse. *En dispensationum matrimonialium*, ut vocant, quæ ab Sede Apostolica datæ sunt, monumentum luculentissimum, ac vetustissimum. Scio, quosdam esse, qui has litteras Gregorii esse negant; sed et stylus, et rerum, de quibus agitur, ratio, et cætera argumenta, meo quidem iudicio, evidenter ostendunt, eas omnino Gregorio adscribendas esse. Adeundi sunt eruditi Monachi à Congregatione Sancti Mauri in Not. ad utramque Ep. Hujus simile exemplum suppeditat initio sæculi VIII Gregorius II, qui Germanis facultatem dedit nubendi post quartum gradum, quo quidem gradu nullum ea tempestate matrimonium erat, uti patet ex ejus Ep. 15 ad Bonifacium Moguntinum apud Labbæum collect. Concil. t. 3 col. 177 ed. Ven. Alia multa eadem de re monumenta collegit Auctor operis, quod Fulginei prodiit anno 1784 cum titulo *Le storte idee raddrizzate* c. 3 p. 89 et seq. Interdum etiam à Synodis provincialibus laxata sunt matrimonii impedimenta, quando scilicet Pontificis Constitutionibus, aut totius Ecclesiæ lege nondum probata fuerant. Multa enim impedimenta primum à Conciliis provincialibus constituta sunt; et tunc ea tolli poterant eadem auctoritate, quæ stabilita fuerant. Sed posteaquam jus illud totius Ecclesiæ lex evassit, ei certe non amplius derogare potuit Synodus provincialis, cujus potestas infra illam potes-

tatem est. Certe matrimoniales causas inter causas majores, quas Romano Pontifici servatas voluerunt Innocentius I, Leo M., et cæteri, quorum loca indicavi l. 1 tit. 3. sect. 1 §. 16 not. 2 p. 170., recensent Galesinus III, Ep. 9 ad Archiepiscopum Senonen. apud Labbæum t. 15 Concil. col. 698 ed. Venet., Sigefridus Moguntinus Ep. ad Alexand. II. t. 3 Concil. l. Germ. p. 152. Annales Bertiniani ad ann. 851. apud Eckartum Gallia oriental. t. 2 l. 28 §. 195. Synodus Tridentina sartam tectam esse voluit potestatem, qua semper Apostolica Sedes usa fuerat, removendi dirimentia impedimenta, ideoque *regulas in materia dispensationis, ac signanter super impedimentis matrimonii præscriptas, ad Romanum Pontificem præcipue direxit*, uti post Du-Cassium de Jurisdict. eccles. t. 1 c. 10 §. 5, observat Van-Espenius Jus eccles. par. 2 sect. 1 tit. 14 c. 1 n. 10. Imo cum disputatum esset à Patribus, num salius esset Episcopis, quam Summo Pontifici facultatem laxandi impedimenta reservare, potissimum Pius IV, æquo animo assentiebatur, ut consanguinitas in quarto gradu, quia frequentior, à Pontificis reservationibus tolleretur, et Episcoporum arbitrio permitteretur. At Synodo magis placuit sententia M. Antonii Bobbæ Augustiani Episcopi, et Sabaudia Ducis Legati, qui animadvertit, fore, ut data Episcopis hac facultate multo facilius, et frequentius, quod Patrum studio, et proposito adversabatur, hujusmodi veniæ concederentur. Confer Paleottum in Act. Concil. Trid. ad diem 17 Augusti 1563, et Pallavicinum Histor. Concil. Trident. l. 25 c. 9 n. 17. Neque verum est, ut aliqui putant, Tridentinam Synodum sess. 25 c. 18 de Reform. dispensandi necessitatem imposuisse, cum revera canones *exacte ab omnibus, et indistincte observari* voluerit. Tantum statuit, ut si interdum canones iustis de causis laxentur, id noanisi *causa cognita, ac summa maturitate* fiat. Quibus verbis non dispensandi necessitas constituitur, sed modus præscribitur, quem servare oportet, cum venia datur. Haud multo post Tridentinam Synodum, jus removendi impedimenta matrimonii tantum Romani Pontificis proprium agnoverunt Concilia, Turonense tit. 9 de Matrim., et Tolosanum par. 2 c. 8 col. 1405 et 1304 t. 10. Collection. Harduini. Merito igitur Optimus, Sapientissimusque Pontifex Pius VI, quem dicit Deus servet incolumen omnium bono, litteris datis die 28 Novembris 1786., præter cæteros, damnavit errorem Eybelii, agentis, dispensationum reservationes indebitas, atque Episcopis injurias esse. Consule doctissimum Machium, qui de jure dispensationum, quod in Romano Pontifice inest, graviter, solide, accurate disputat in libro, quem nuper edidit, Pisti Alethini nomine, contra auctorem opusculi *Quid est Papa?* Ep. 3 §. 9 p. 252 t. 1.; et Cl. auctorem *dissertationis, qua defenditur Romani Pontificis auctoritas in impedimenta matrimonii dirimentia.*

418. Verum si quid etiam ex juribus Episcoporum detractum, si ipsorum ea in re aretata jurisdictione videatur; quis neget, id suo jure factum à Summis Pontificibus pro suprema, quam habent, in tota Ecclesia potestate (1)? *Primigenia* quidem, ut vocant, sint jura Episcoporum, quæ ad jurisdictionem pertinent; eaque jurisdictione à Christo repetatur (2). Sed hæc ab ipso Christo ita instituta est, ut uni summo omnium capiti, et moderatori subesset (3); neque Christus, cum eam Episcopis dedit, divisit dioceses, et singulis certos adscripsit subditos, in quos

jurisdictionem illam exercerent. Id totum factum ab Ecclesia est, et factum eum opera, et auctoritate Summi Pontificis, sine quo vera Ecclesia esse non potest. Itaque jurisdictio Episcoporum à Christo, usus, et exercitium hujus jurisdictionis in certos subditos, ab Ecclesia est.

(1) Concilium Tridentinum sess. 14 c. 7 de Sacram. Pœnitent. Merito, inquit, Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviore suo potuerunt peculiari judicio reservare. Qua in re illud in primis animadvertere oportet, quod si quæ potestas Episcopis jure Divino concessa integra relinqui debet, ea certe est potestas absolvendi à quibuscumque peccatis; quam amplam, ac nullo modo cohibitam à Christo Apostolis, et Episcopis eorum successoribus datam fuisse constat. Quod si tanta hæc, tamque late patens potestas ista (et id quidem Divino jure) Pontifici auctoritati subest, ut pro suprema Romanorum Pontificum potestate per reservationes coerceri, et arctari merito poterit; an non ceteræ Episcoporum facultates, simili prorsus jure, ac suprema potestate, cum id expedire visum fuerit, arctius astringi potuerunt?

(2) Ne quis obtrudat, nisi me principiis minus exploratis, minusque probatis omnibus, tamquam certum pono id, quod incertum, controversumque est. Non enim certo constat, num Episcoporum potestas à Christo immediate sit repetenda, an potius in eos per Petrum, ejusque successores transierit; neque Synodus Tridentina quæstionem hanc definire voluit, ut ostendi l. 1 c. 2 not. 1 p. 19.

(3) Episcoporum jurisdictio primigenia quidem sit, et à Christo immediate procedens; sed primigenia etiam est, essentialis, et à Christo instituta Primatus, non dignitatis solum, sed etiam jurisdictionis in Ecclesia universa. Utraque potestas primigenia est; sed utriusque ex lege divina propria est, atque intima natura, ut altera subsit, altera præsit. Christus et Petrum, ejusque successores toti Ecclesiæ præfecit, non solum dignitate, sed etiam imperio; et simul Episcopis jurisdictionem dedit, sed jurisdictionem subjectam superiori potestati, in qua Principatum posuit. Jesus Christus ipse, inquit Clerus gallicanus in comitiis extraordinariis diei 8 Maii 1728, sua institutione limites præscripsit huic potestati Episcopali, quam subjecit Sedi Petri, in qua posuit plenitudinem Apostolicæ potestatis. Reservationes causarum matrimonialium, et cæteræ hujusmodi non tollunt, everuntque primigeniam, et essentialem Episcoporum jurisdictionem, quæ divinæ institutionis est; tantum ejus exercendæ constitunt modum, qui à Christo definitus non fuit. Et vetustiori quidem ætate ea res tota fere pendeat à Synodis provincialibus, Metropolitanis, Patriarchis, quos humanæ institutionis esse, inter omnes constat; adeo verum est, primigeniæ, essentiali, et à Christo datæ Episcopis potestati non adversari modum, qui in ea exercenda superiori imperio stabilitur. Quod si hunc modum constituit potestas, quæ tantum humana est, nonne id multo magis poterit præstare potestas Summi Pontificis, hoc est, potestas divinitus instituta? Si magis intrare volumus, potius hæc ipsæ reservationes ad jus divinum referri possunt; quatenus videlicet jure divino Summo Pontifici in omnes Episcopos jurisdictionis data est, et quatenus Christus ordinem inter Potestates omnino servandum constituit. Cujus quidem ordinis ea vis, et natura est, ut inferiores subjecti sint superioribus, uti docet Petrus Ep. 1 c. 2 vers. 13. Subditi igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præ-

cellenti, sive Ducibus, etc. et Paulus ad Roman. c. 13. vers. 1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. En ordinem inter Potestates à Deo constitutum, ut inferiores, quantumvis potestate aliqua præditi, sublimioribus subesse debeant. Consule Ballerinum de Potest. Eccles. Summor. Pontif. c. 1 §. 4, 5, et 6, et doctissimum Mamachium egregio opere, quod paulo ante indicavi. Ep. 1, 2, 3. fere per tot.

119. Cum Episcopo certi adimuntur subditi, non tollitur primigenia illa jurisdictio, quæ divinitus data est; tantum arctatur, et constringitur usus jurisdictionis, quæ amplius exerceri non potest in subditos, qui ab Episcopi imperio subtracti sunt. Ita Synodi particulares sæpe arctarunt usum jurisdictionis Episcopalis; et id quidem jure, ac recte factum, omnes facile concedunt; quia cum Synodi Episcopis auctoritate præstarent, potuerunt Episcopatum facultatum usum, pro Ecclesiæ utilitate, præfinire (1). Quod si hæc facta, et rite fieri potuerunt à Synodis particularibus, quæ tantum jure ecclesiastico provinciæ, aut regioni, ejusque Episcopis divinitus institutis, præsent; id certe multo magis concedendum est Petri successoribus (2), qui non humano, sed divino jure omnibus Episcopis, ipsisque Synodis particularibus præfecti sunt (3).

(1) Episcopalis potestatis, quæ à Synodis, Metropolitanis, Patriarchis cohibita fuerit, innumera prope modum, et omnibus comperta exempta sunt. Præclarum est illud Concilii Chæcedonensis act. 4 col. 418 t. 2 collect. Harduini, ubi sancitum est, ut nihil absque ipso (Antiste Alexandrino) ageretur ab aliquo subjacente Episcopo. Hoc quidem loco ita arctatur Episcoporum potestas, ut nulla in re non pendeat à Patriarcha, ac nihil Episcopus agere possit sine venia Patriarchæ, cui subest. Divino quidem jure ad Episcopos pertinere ordinationes eorum, quos suarum Ecclesiarum regimini utiles, et multo magis necessarios agnoscant, quis ignorat? Africanæ autem Ecclesiæ in exitu sæculi quarti, et initio quinti magna sacrorum ministrorum inopia laborabant, adeo ut multæ earum plebes essent dessertæ, et alibi ne unus quidem Diaconus reperiretur. Huic malo remedium adhibere oportebat; et vero adhiberi facile poterat, tum si in suis reciperent gradibus, qui à Donatistis ad Catholicam unitatem revertebantur, tum si ordinibus donarentur, qui apud Donatistas in infantia baptizati, rationis usu præditi ad Catholicam Ecclesiam redierant. Sed obstabant decreta edita in transmarino Concilio, quorum mentio est in Synodo Africana can. 55. apud Pithæum eod. can. p. 152. ed. Paris. 1687. Itaque ut ea lex necessitatis gratia laxaretur, missa legatio est ad eos, à quibus illa lata fuerat, sicuti patet ex eadem Synodo Africana l. c. p. 143. Quod si Synodi particulares Episcoporum potestatem in re tam gravi, tamque Episcopi propria arctare potuerunt; an non idem multo magis præstare poterit Summus Pontifex, cujus non humano jure sancita, sed à Christo ipso instituta potestas est?

(2) Si antiquis temporibus Episcopatum facultatum definiendarum modus à Patriarchis, Metropolitanis, Synodisque provincialibus totus fere pende-

bat, non ideo Pontificio juri, quod ex Primatu descendit, quidquam detractum videri potest. Cum enim omnis illorum, quæ tandem cumque illa esset, in Episcopos, et Episcopatus jurisdictione, tantum ex Ecclesiastico jure procederet; profecto quicquid ecclesiasticæ institutionis est, juri ordinario, ac divino Primatus detrahere nihil potuit. Consule Ballerinum de Potest. ecclesiast. c. 4 §. 4.

(3) Equidem nescio, qui teneat error, aut miserabilis ignorantia veri eos, qui propria, et nativa Episcoporum jura à legitima superiori potestate tolli, ac minui posse inficiantur. Ab ipsis Ecclesiæ incunabulis luculentissima sunt monumenta, quæ longe aliud ostendunt. Episcopi erant Timotheus, et Titus, alter Ephesi, alter Cretæ, ad quos Apostolus litteras dedit, et hi à Spiritu S. positi erant regere Ecclesiam Dei in suis diocesis, et omnem cum Episcopatu conjunctam potestatem obtinebant. Ergo quemlibet Christianum hominem ordinibus initiare poterant, quoniam ampla Episcopis ea de re data à Christo potestas fuerat; et tamen Paulus avertat, et constringit hanc potestatem, dicta lege, ut neque bigami, neque neophiti ordinentur I. ad Timoth. c. 5 vers. 2, 6, 12. Similiter jure divino Presbyteri Episcopis suberant, atque hi suo libitu poterant adversus illos eam servare methodum judiciorum, quæ magis commoda, et opportuna videretur, quoniam hæc methodus ab eodem divino jure constituta non fuerat; et tamen Paulus Episcopis imperat, ne adversus Presbyterum accusationem recipiant, nisi sub duobus, aut tribus testibus: I. ad Timoth. c. 5 vers. 19. Mitto cætera similia, quæ sunt à Paulo constituta, et quibus nativa Episcoporum potestas avertata est. Priora Ecclesiæ sæcula pene innumera ejusdem rei monumenta suppeditant. Sane Christus his verbis quæcumque ligaveritis etc., Apostolis, et Episcopis amplissimam concesserat facultatem ligandi, et solvendi in sacramento Penitentia; verum huic Episcopis insita, et innata potestati veneranda antiquitas modum imposuit, constitutis legibus, quibus Episcopi jussi sunt quosdam criminum reos tantum solvere post annos plures, diuturnamque penitentiam, quosdam vero tantum, cum ad vitæ exitum properarent. Res eo demum venit, ut œumenici Concilii venia, et auctoritate opus fuerit, ut liceret Episcopo humanius aliquid de eis statuere, qui luculentiores desiderant dolentis animi, et pietatis significationes. Concilium Nicænum can. 12 t. 2 Concil. collect. Labbæi col. 58 ed. Ven. An non ligandi, et solvendi potestas propria, ac nativa Episcoporum est? Attamen hæc potestas cohibetur modis pluribus, neque Episcopus suo jure, licet proprio, et nativo, uti potest, nisi œumenica Synodus nominatim hanc facultatem tribuat. Idem esto judicium de Ordinis sacramento. Certe proprium, ac nativum est jus Episcoporum ordinandi quoslibet Christianos homines, quos ad ecclesiasticum ministerium aptos, et idoneos judicant. Verum hoc jus imminuunt antiqui canones, cum vetant, ordinibus initiari eos, qui titulo carent, qui bigami sunt, qui in hæresi fuerunt, qui certam non attigerunt ætatem, qui baptismum in ægritudine acceperunt, qui sibi virilia amputarunt, qui graviora quædam crimina admisissent. His de rebus multa sunt constituta à canonicis, qui dicuntur Apostolorum, à Concilio Eliberitano, Nicæno, Carthaginensi III, Antiochæno, Chalcedonensi, cæterisque conciliis, quæ antiquissimis Ecclesiæ temporibus habita sunt. Nec leviora sunt de Matrimonii sacramento monumenta. Christus nullam dixerat legem, per quam Episcopi ministerium suum exercere prohiberentur in matrimoniis Christianorum cum infidelibus, cum hæreticis, cum schismaticis, itemque in matrimoniis, quæ inter affines copulantur. Attamen hæc matrimonia fieri vetat Synodus Eliberitana can. 15, 16, 17, 61, 66, t. 1 Concil. collect. Labbæi col. 995, 994, 999

et seq. ed. Ven., atque ita in hujus administratione sacramenti Episcoporum potestas cohibetur. Similia occurrunt in Concilio Laodiceno can. 10 et 31 t. 1 cit. col. 1551 et 1555, Carthaginensi III, can. 12 t. 2 ejusd. collect. col. 1401, Chalcedonensi can. 14, t. 4 col. 1687. Quid dicam de cæteris legibus, per quas avertata potestas Episcoporum est? Trans mare proficisci prohibentur Episcopi, non consulto primæ Sedis Episcopo, hoc est Metropolita: Concilium Carthaginense III, can. 28 t. 2 col. 1403; œconomum constituere jubentur, sine quo res Ecclesiæ administrare non possunt: Concilium Chalcedonense can. 26, t. 4 col. 1691; gentiliū libros legere nequeunt, hæreticorum autem pro necessitate, et tempore; gubernationem viduarum, et pupillarum, ac peregrinorum per Archipresbyterum, aut Archidiaconum agere coguntur; prohibentur suscipere tuitionem testamentorum: Concilium Carthaginense IV. c. 16, 17, 18, col. 1453 et 1459 t. 2. Extant et in Decretalibus Pontificum Romanorum plures hujusmodi leges, per quas potestas cohibetur Episcoporum. Vetat Innocentius I. Ep. 2 ad Victic. c. 1, 2, 5, apud Constantium col. 748 et 750, Episcopum extra conscientiam Metropolitanam aliquem ordinare, pluresque à sacris ordinibus arcendos jubet, quod etiam facit Ep. 3 ad Episc. in Toletan. Synod. constit. c. 6 col. 770, ceterisque litteris, quæ à Petro Constantio descriptæ sunt, et in quibus similiter plures feruntur leges, per quas Episcoporum potestas avertatur. Id vero etiam factum est à Siricio, qui Innocentio antiquior fuit. Ne omnes persequar ejus litteras, quod esset operæ, scriptionisque longioris, tantum indicabo Ep. 1 ad Himer., quæ c. 4 statuitur, ne quis alterius sponsam uxorem accipiat; c. 5 ne Eucharistia tribuatur reis graviorum quorumdam criminum, c. 8 ne bigami ordinentur, c. 9 et seq. alia stabiliuntur, quæ ad ætatem, et qualitates ordinandorum pertinent, apud Constantium col. 628, 652, seq. Per has leges omnes Episcopi non amplius exercere poterant ampliorem illam, quam pridem habebant, propriam, et nativam potestatem in administratione sacramentorum. Confer etiam S. Leonem Ep. 5 c. 5 col. 618, Ep. 6 c. 6 col. 622, Ep. 9 c. 1 col. 629 seq., Ep. 10 col. 633 opp. t. 1 ed. Ballerin. Ven.; postremo ferre omnes ejus epistolas, in quibus Episcopis certæ præscribuntur leges, quas eos servare oportet in negotiis ecclesiasticis, atque in sacramentorum administratione: S. Gelasium I. Ep. 9 ad Episc. Lucan. c. 5 et 4 apud Labbæum t. 5 Concil. col. 515, S. Gregorium M. Ep. 40 et 41 l. 4, Ep. 7 l. 5, Ep. 43 l. 7, Ep. 70 l. 9, Ep. 2 l. 10 opp. t. 2 col. 689, 690, 755, 890, 936, 1043, aliisque locis compluribus, ubi plures dicuntur leges, quibus Episcoporum jura imminuuntur. Infinitus essem, si omnia colligere vellem exempla, aut ex Conciliis, tum provincialibus, tum generalibus petita, aut ex Decretalibus Pontificum Romanorum, quibus Episcoporum jura propria, et nativa cohibita, atque imminuta sunt.

120. Hoc sane primigenium jus est Pontificum Romanorum, quod abrogari nequit, nisi abrogetur, quod salva fide tolli non potest, Primatus jurisdictionis, cui Christus omnes subiecit, et cui Episcoporum jurisdictionem obnoxiam voluit (1). Eo jure Summi Pontifices recte potuerunt Episcopalis jurisdictionis modum constituere, ac sibi tantum certorum criminum veniam, ac laxandi dirimentia matrimonium impedimenta facultatem reservare. Atque hæc quidem vetustissima consuetudo est, quam

omnium ætatum consensus comprobavit; ut Summus Pontifex dirimentia matrimonium impedimenta constituat, et tollat constituta, cum id iustis de causis faciendum est (2). Episcopis permissa tantum est facultas laxandi impedimenta impedientia, exceptis hæresi, et sponsalibus, in quibus non licet fidem fallere, invito eo, cui data est; et voto simplici aut perpetuæ castitatis, aut ingrediendi Religionem, quod cum purum fuerit, nullique conditioni obnoxium, tantum Romano Pontifici reservatur (3).

(1) Consule præstantissimas, gravissimasque litteras datas à PIO VI, Pont. Max., die 28 Novembr. 1786 adversus auctorem opusculi: Quid est Papa? et vide etiam Cl. Marnæum l. mox indic.

(2) Auctor libri *Sopra il diritto di stabilire impedimenti dirimenti il matrimonio*, è di dispensare, novum excogitavit genus *dispensationum*, quas vocant, suoque hoc invento efficere se posse censet, ut etiam Episcopi laxandorum impedimentorum potestatem habere videantur. Inquit enim, impedimenta laxata quidem initio fuisse ex gratia, et beneficio; sed frequentem laxandi consuetudinem quasi legis exceptionem induxisse, ita ut dispensationes, quæ initio *gratiæ* tantum erant, lapsu temporum *justitiæ* evaserint. Quare Episcopus suo jure removet impedimenta, quorum vetus est, et longo usu firmatus removendorum usus; et tunc quidem judicat, num locum habere debeat exceptio legis, quæ jam vetustate consuetudinis inducta est. Sed primum nego, ex repetitis actibus fieri posse, ut quod semper ex gratia, et beneficio conceditur, justitiæ actus evadat. Longa consuetudo parere quidem potest exceptionem legis, eum ei populorum mores, et consensus legislatoris ita derogant vel omnino, vel ex parte, ut jus ea lege constitutum non amplius vigeat, neque ullam parendi afferat necessitatem. An quisquam superiorem rogat, ut eum lege solvat, quæ contraria consuetudine sublata est? Imo legis loco est ipsa consuetudo, quæ antiquo juri adversatur, eique tantum parere omnes debent. Sed dispensationum, quas vocant, longe dissimilis ratio est. Non enim per eas, ut ut sæpe concedantur, diuque concessæ fuerint, jus novum inducitur. Imo vero ea, quæ petitur, et quæ conceditur, dispensatio, vigentis, et confirmatæ legis monumentum est. Nam quisquis superiorem rogat, ut lege solvatur, necessario fatetur, integram esse legem, qua stulte, et inutiliter solvi vellet, si ea esset antiquata; et superior quoties aliquem solvit, ejus quidem gratia legi derogat, sed legem ipsam confirmat, qua obstrictos vult esse cæteros, quos ipse simili beneficio, ac privilegio non solvit. Quod si specialis dispensatio non legem generatim abrogat, sed confirmat, Oedipo opus est conjectore, ut intelligatur, quomodo *justitiæ* actus evadere possit, ut quis parere non debeat legibus, quæ fixæ, certæque sunt, atque omnibus constitutæ. At enim frequens usus beneficii, quod superior confert in unum, aut alterum, quem lege solvit, quasi vim consuetudinis obtinet, ita ut omnes ad simile beneficium obtinendum jus consequi videantur. Falso. Nam omnis dispensatio *ex gratia, et beneficio est*; justitia postulat, ut lex, quæ viget, observetur; sed superior iustis de causis hanc justitiam silere jubet, ut in unum, aut in alterum beneficium conferat. Itaque quotquot numero esse poterunt dispensationes, eum semper *ex gratia, et beneficio* concedantur, semper *gratiæ ac beneficii* actus erunt, neque unquam *justitiæ* actus evadent; imo semper justitia erit obtemperatio legibus, nisi beneficium accedat supremæ Potestatis, per

quam aliquis lege solvatur. Sed esto; fac sane actus, qui semper gratiæ, ac beneficii sunt, ex longa consuetudine in actus justitiæ converti, ita ut omnes ad beneficium, ac privilegium obtinendum jus consequantur. A quo beneficium ipsum impetrandum erit? Ab eo, qui semper dedit, quique longa consuetudine hanc sibi legem imposuit, ut quod semper largiri solet, jam amplius nemini denegare possit. Itaque totum hoc inventum *dispensationum*, quas vocant *justitiæ*, eo demum redibit, ut Summus Pontifex jam omnibus concedere debeat beneficium, quod longa consuetudo justitiæ actum fecit; sed certe non efficiet, quod jus concedendi beneficium amittat Pontifex, qui illud semper dedit, acquirat autem Episcopus, qui nunquam eo jure potitus est. Si Princeps certum aliquod beneficium in omnes conferat, si cunctos lege solvat, si longo usu fiat actus *justitiæ*, qui pridem erat *gratiæ*, et beneficii; an ideo Magistratus inferior sibi etiam jus arrogabit exercendi actum, quem semper unus Princeps exercere consuevit? Sunt hæc plane nugæ. Revera ætate S. Anselmi jam obtinebat usus dispensationum, quæ à Sede Apostolica concedebantur; uti testatur Paschalis II, P. Ep. 42 ad Anselm. col. 1008 apud Labbæum Collec. Concil. t. 12 ed. Ven., et tamen nullus unquam fuit Episcopus, qui sibi earum concedendarum potestatem arrogaret. Imo ipse Anselmus, qui Episcopus erat, eas à Summis Pontificibus Urbano II., et Paschale II. impetrandas curavit, uti patet *ex loco mox laudato*; et anno 996. Gregorius V. in Concilio Romano Robertum Regem deserere coegit Bertam consanguineam suam, quam in matrimonium acceperat, sacrisque interdixit Erchembaldum Archiepiscopum Thironensem, cæterosque Episcopos, quorum consensu nuptiæ illæ conciliatæ fuerant, apud Labbæum Collec. Concil. t. 41 col. 1029 can. 1 et 2 ed. indic. Sæculo XII. tam crebro dispensationes à Summis Pontificibus concedebantur, ut S. Bernardus de Consider. l. 5 c. 4 opp. t. 2 p. 575 ed. Ven. 1781, Eugenium III. discipulum olim suum, monendum putarit, ne quem tam facile lege solveret; et tamen nullus Episcopus propter eam dandæ veniæ consuetudinem, jus illud sibi debitum contendebat. Imo cum frequentior esset dispensationum usus, omnis earum potestas Sedi Apostolicæ servata est in Concilio Lateranensi IV, can. 19, 20, 57, 58, col. 42, 62 et 65 t. 7 Collec. Harduini, ac tantum abfuit, quod Summi Pontifices ex crebro illo dispensationum usu jus aliquod, aut aliquam necessitatem inductam putarint, ut plus semel rejecerint preces eorum, qui veniam postulabant. Ita Alexander IV, qui anno 1258 à Galliarum Rege rogatus legem solverat de consanguinitatis gradibus, Waldemaro Suecorum Regi veniam dare noluit, per quam nuberet Sophiæ ex fratre nepti; sed postea gravioribus expensis causis hanc ipsam veniam dedit, et ita nuptiæ illæ conciliatæ sunt, ut narrat Raynaldus ad an. 1258 n. 20 et 1259 n. 19 p. 27 et 59 t. 5 ed. Lucæ. Clemens IV, apud Martenium Anecdot. t. 2 p. 557, lege solvit ex justis causis filium Regis Siciliæ, non item filiam Alphonsi Regis, quam Pater filium Balduini Imperatoris in matrimonio habere cupiebat, licet ipse Pontifex fateatur, quod *larga esset retroactis facta temporibus diversarum effusio gratiarum*. Ejusdem generis exempla suppeditant Clemens VI., et Innocentius VI. apud Baluzium Miscellan. diplomat. tom. 3 edit. Lucæ, itemque Joannes XXII., qui veniam, quam propter cognitionis impedimentum Aragoniæ Rex ab se postulaverat, concedere noluit apud Raynaldum ad an. 1329 n. 83 seq. p. 46 seq. t. 5 ed. Lucæ.

(3) Consule Benedictum XIV. de Synod. diocæs l. 9 c. 2.

121. Sunt tamen graviora quædam impedimenta, quæ ta-

metsi divino, aut naturali jure inducta non sint, tamen à Summo Pontifice laxari non solent; et huc spectat consanguinitas in primo gradu, quæ videlicet est inter fratrem, et sororem (1), affinitas in primo item gradu inter vitricum, et privignam, publicum impedimentum criminis ex occisione conjugis cum adulterio (2). In ceteris impedimentis, quæ Ecclesiastici Juris sunt, Summus Pontifex ex justis, gravibusque causis veniam tribuit (3). Quæ venia, sive dispensatio, ut vocant, vel publica, vel occulta est; illa pro utroque foro datur per *Datariam*, vel *Secretariam Brevium*, hæc per *Sacram Pœnitentiarum* pro interno tantum foro conceditur.

(1) Non convenit inter Theologos, interque peritos Juris Canonici, an matrimonium inter fratrem, et sororem jure naturali, divino, vel humano prohibeatur. S. Thomas, Gonzalezius, Pontius, atque alii solam juris positivi prohibitionem agnoscunt.

(2) Confer Benedictum XIV. in Ep. ad Ignatium Realem de Celebratione Missæ à sedente, quæ extat in Appendic. 2. l. 4 ejus Bullarii §. 13, 14, 15, p. 7 et 8 ed. cit.

(3) Ita fidei catholica utilitas, timor apostasiæ, bonum publicum, studium avertendi mali, angustia loci, inopia mulieris indotatæ, justam præbent causam, propter quam dispensatio concedatur. Sunt et aliæ similiter graves causæ, quarum judicium pertinet ad Summum Pontificem, à quo venia tribuitur. Dataria solet in die dispensationes publicas concedere super consanguinitate, et affinitate, et spirituali cognatione, et publica honestate, et crimine adulterii, modo nulla fuerit in necem conjugis machinatio. Cæteræ dispensationes super aliis publicis dirimentibus impedimentis raro, atque ex causis gravissimis per Secretariam Brevium conceduntur. Ex Cancellariæ Regula 49, in litteris dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, ea adjicitur clausula, seu conditio, *si mulier raptâ non fuerit*. Si raptor scienter nuptias cum raptâ contraxerit, ac veniam postulet, tum alia adjicitur *ex quaterno conditio, ut separentur ratione delicti, quoadusque arbitrio commissarii, seu executoris Apostolicæ, congruam egerint pœnitentiam*. Confer Rigantium ad eandem regulam 49. Cancellar., et confer etiam Gagliardum Inst. Jur. Can. l. 2 tit. 11 §. 5 n. 95 et seq. — V. André *Diction. Jur. Canon.* art. *Impedimentos del Matrimonio* §§. 5 ad 8 inclusive.\*

422. Jamvero dirimentia impedimentia nuptiarum ad tria summa capita revocari commode possunt. Nuptiæ enim nullius momenti sunt, vel quod aliquis ad eas contrahendas aptus, et idoneus non est; vel quod eas deceptus errore contraxit; vel quod in iis conciliandis non eum servavit modum, quem servare oportebat.

423. Primum caput duplex est; nam quis vel ab omnibus universe, vel à certis tantum nuptiis arcetur. Irritæ sunt generatim nuptiæ impedimento vel corporis, vel animi. Corporis im-

pedimento tenetur, qui non satis progressus ætate est, et qui venerem exercere non potest; quorum vitiorum alterum *defectum ætatis*, et alterum *impotentiam coeundi* vulgus appellat. Impedimentum animi triplex est: ordo sacer, votum, ligamen. Quædam autem nuptiæ fieri non possunt propter cognationem, affinitatem, honestatem, delictum, cultus disparitatem. Caput alterum impedimentorum est error, siquidem personæ sit, vel conditionis. Tertium modus, quo frustra ineuntur nuptiæ; si nimirum vi, si raptâ, si clam, si cum iniqua conditione perficiantur. Singula partite, atque ordine expendenda sunt.

424. Omnes, uti diximus, generatim nuptias propter corporis impedimentum inire prohibentur, quos vel ætas tenera, vel imbecilla natura, vitiumque corporis cum conjugate liberis operam dare non sinit. Fiunt maturæ viro mulieres anno decimo-seculo, mares autem anno decimoquarto idoneam ad procreandos liberos ætatem consequuntur. Ante hoc tempus initum matrimonium irritum est (1), nisi malitia suppleat ætatem, hoc est, impuberes dare operam liberis possint, et rem uxoriæ intelligant (2).

(1) Cap. 6, 10, 11. de Desponsat. impuber.

(2) Cap. 9 eod. Recte tamen animadvertit Benedictus XIV. Const. Magnæ Nobis 31 l. 2 ejus Bullar. p. 249 ed. cit., Apostolicæ Sedis venia opus esse, ut recte matrimonium contrahat impubes, qui propter ætatem nondum corporum conjunctioni maturus est, sed tamen ita rationis usu valet, ut matrimonii contrahendi vim, et naturam intelligat. Potest enim Episcopus judicare, num malitia suppleat ætatem, sed non potest ei conjugium permittere, qui ad rem uxoriæ exercendam nondum aptus et idoneus est.

425. Vitium corporis procul à matrimonio esse jubet adulos, qui vel natura, vel morbo ita sunt comparati, ut suum cum semina corpus nequeant commiscere; præterea mulieres, quæ ita habent obstructam viam, ut viriles conatus excludant. Quisquis tali hoc laborat vitio, modo perpetuum sit, et contractum ante matrimonium, frustra inire conatur nuptias, quæ jure ipso naturæ irritæ sunt (1). Stat enim vis matrimonii, quando impedimentum postea ortum est (2); et quando illud tolli humana opera, ac sine vitæ discrimine potest, periculum est faciendum (3).

(1) Cap. 1 et 5 de Frigid. et malefic.

(2) Can. 25 c. 52 q. 7.

(3) Cap. 5 de Frigid. et malefic.

126. Ut hoc impedimentum dirimat matrimonium, certum, atque exploratum esse debet; ubi dubium sit, ad triennale experimentum confugiendum est. Scilicet triennii spatio simul conjuges agere vitam debent, nixque ad venerem periculum facere virium suarum. Lapsa triennio si omnes conatus inutiles fuerint, matrimonium dissolvitur, accedente jurejurando conjugum, ac septem propinquorum (1). Præsertim vero, cum de alterutris conjugis viribus controversia est, inspicienda sunt corpora, quod in viris fit per chirurgos, in mulieribus per honestas, et fide dignas obstetrices (2). Omnes hi jurati confirmare debent, sese novisse mulieris, aut viri corpus minus aptum ad rem uxoriæ gerendam.

- (1) Can. 2 c. 33 qu. 1, cap. 5 et ult. de Frigid. et malefic.  
 (2) Cap. 4 et 44 de Probat.

127. Animi, sive voluntatis impedimento irritæ sunt generalis nuptiæ, si quis ante illas vel sacro ordine, vel religiosa professione, vel altero matrimonio sese obligavit. Sacros quidem ordines, vel ex voto, vel ex lege ecclesiastica, impedimento esse, quominus valeant matrimonia eorum, qui illis obstricti sunt, inter catholicos omnes constat (1). Nam continentibus esse oportere majores clericos, ex ipsa Apostolica traditione intelligimus (2); et certe iis nunquam licuit uxores accipere (3). Verum initio nullis opus fuit pœnis, quorum formidine clerici servare cogentur officium, in quo eos prisca vivendi ratio pura, et incorrupta satis sua sponte retinebat. Constitutæ sunt ea de re pœnæ annis consequentibus, cum depravati, et corrupti mores clericorum hoc officium comminuere, violare cœperunt (4).

(1) Concilium Lateranense II, can. 7 et 8 t. 2 Concil. Collect. Labbæi col. 1501 ed. Ven., Tridentinum sess. 14 de Sacram. matrim. can. 9.

(2) De origine, ac sanctitate cœlibatus, quem Majores Clerici servare debent, copiose disserit V. Cl. Franciscus Antonius Zaccaria duobus libris, quorum alter *Storia Polemica dal Celibato Sacro* Romæ editus est an. 1774, alter *Nouva giustificazione dal Celibato Sacro etc.* editus Fulginei an. 1785. His duobus libris egregie, ac diligenter expeditur quicquid ad hoc argumentum pertinet, ac plane evertuntur commenta, et sophismata liberulorum quorundam, qui adversus Sacrum Cœlibatum paucis ab hinc annis in Germania, atque alibi prodierunt.

(3) Canon Apostolorum 27 apud Cotelierum PP. Apostolic. t. 4 p. 445 ed. Amstelæd. 1724, quem canonem, et simul etiam c. 17 l. 6 Apostolic. Constit. p. 550 l. c., Græci corrumpunt, atque absurdè detorqueunt, ut observat Cotelierus in Notis ad utrumque locum, S. Epiphanius Exposit. fid. catho-

lic. c. 21 et Hæres. 59 n. 4 t. 1 l. 2 p. 496 ed. Paris. 1622, Justinianus Nov. vel. 22 c. 42 coll. 4 lit. 1, S. Hieronymus Contr. Vigilant. n. 2 opp. t. 2 col. 589 ed. Vallarsii Veron. Quibus ex locis intelligimus, eandem initio fuisse orientalis, atque occidentalis Ecclesiæ sententiam, quod scilicet Majores Clerici post sacros susceptos ordines matrimonium inire prohiberentur, quodque se in posterum matrimonii usu abstinere deberent qui uxorem habebant antequam sacros ordines acciperent. Velustissimam hanc disciplinam Græci relaxare cœperunt sæculo VII., cum scilicet Synodus Trullana, seu Quini sexta habita est. Nam hæc Synodus can. 6 ratam quidem firmam haberi voluit antiquam disciplinam, per quam majores Clerici post sacros ordines nuptias conciliare prohibentur, sed tamen can. 15, Subdiaconis, Diaconis, Sacerdotibus, non item Episcopis, permisit usum matrimonii cum uxoribus, quas antea duxerant. Huic autem novitati Trullani Patres præsidium quærere studuerunt in antiquiori Canone Carthaginensi, in quo tamen nihil tale statutum est; sicuti post Fleuryum animadvertit doctissimus Zaccaria in opere *Nouva giustificazione dal Celibato Sacro etc.* Diss. 2 c. 2 p. 88. Canonem hunc nunquam probarunt Romani Pontifices, neque ut probarent, Græci Imperatores aut minis, aut blanditiis, et pollicitationibus efficere potuerunt, uti ostendit ipse Zaccaria *Storia Polemica dal Celibato Sacro* p. 159 et seq.; sed tamen eum postea tolerandum putarunt, ut præcederet causam schismatis, ad quod Græcorum animi propensionibus esse videbantur. Optandum vehementer esset, inquit Benedictus XIV, Const. 57 n. 26 t. 1 ejus Bullarii p. 109 ed. Romæ seu Ven. 1754, ut Græci in sacris ordinibus constituti, non secus ac Latini, castitatem servarent: *nilominus, ut eorum Clerici, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante sacros ordines, Virgines, non viduas, neque corruptas duxerint, Romana non prohibet Ecclesia.* Irritum tamen est matrimonium apud Græcos à Diacono, vel Sacerdote contractum; et Sacerdos, qui uxorem habeat antea ductam, per hec domadam, vel per triduum abstinere se ab usu matrimonii debet, antequam ad sacrificium conficiendum accedat: Benedictus XIV. l. c. n. 28, Clemens VIII, Const. 407 §. 5 t. 5 par. 2 Bullarii p. 75. Pertinet etiam ad hunc locum Constitutio 129 ipsius Benedicti XIV. in cit. Bullar. t. 4 p. 512, ubi multa sunt de uxoribus Cophtorum, qui in sacris ordinibus versantur. Cæterum de Subdiaconorum continentia non eadem semper fuit Ecclesiæ disciplina. Canones Apostolorum, Justinianus, Epiphanius *locis paulo ante indicatis* eadem, qua cæteros majores clericos, continentia lege obstringunt Subdiaconos; verum Hieronymus l. c. tantum Episcopos, Presbyteros, Diaconos, non item Subdiaconos memorat, qui matrimonii usu prohiberentur. Idem de Subdiaconis est silentium in Decretalibus Siricii, et Innocentii, atque in reliquis antiquis monumentis. Primus omnes Subdiaconos continentia legi addidit S. Leo M. ep. 44 c. 4 col. 687 t. 1 ed. Ballerin.; verum hæc decretalis non ubique obtinuisse videtur. Nam Concilium Torunense I., quod postea habitum est, can. 2 col. 794 t. 2 Collect. Harduini clericos Diaconis, inferiores continentia lege non obstringit. Concilium Aurelianense III. can. 2 col. 1425 mox laud. t. 2, continentibus vult esse Subdiaconos; at Concilium Aurelianense IV. can. 17 col. 1453 ibid. tantum Presbyteros, et Diaconos, non item Subdiaconos, quorum nullam mentionem facit. Romæ, cum Pontificatum teneret Gregorius M., Subdiaconi continentiam servare debebant, atque ipse utitur exemplo Sedis Romanæ l. 1 ep. 44 t. 2 opp. col. 558 ed. Paris. 1705, ut Subdiaconos Siculos eadem lege constringat.

(4) Extat ea de re decretum latum à Siricio an. 386 in ep. 1 ad Himerium



Tarraconen. c. 6 et 7 apud Constantium ep. Pontific. Roman. col. 629 seq. atque hoc decretum postea confirmavit Innocentius I ep. 6 ad Exuper. Tolosan. c. 1 col. 790 seq. apud eundem Constantium. — V. tom. 1, pagg. 151 et seq.\*

128. Votum, quod matrimonium dirimit, solemne votum est, conjunctum scilicet cum professione, quæ in probata Religione emissa fuit. Quod votum ab eo distinguitur, quo quis extra Religionem sese obligavit, quod votum simplex castitatis dicitur (1). Hoc enim minus licitum, non item irritum matrimonium facit (2); uti irritæ sunt nuptiæ eorum, qui religiosæ professionis voto, aut sacris ordinibus impediti, ac devincti sunt (3). Sed Religiosa Professio differt ab Ordinibus sacris, quoniam ea solvit etiam matrimonium antea contractum, modo ratum sit, non consummatum (4); verum sacer ordo tantum irritas facit nuptias, quæ post eum conciliatæ sunt.

(1) Plerique sentiunt, distinctionem voti *simplicis*, ac *solemnis* Gratiani ætate primum inventam fuisse, deinceps ubique receptam, posteaquam ab eo descripta in Decreto fuit. Ego dabo non gravate, ea vocabula *simplicis* et *solemnis* ea tempestate primum usurpari cœpisse; sed certe res ipsa, hoc est distinctio eorum, qui solemniter, et qui minus solemniter castitatem voverant, multo antiquior est. Mitto testimonia Hieronymi, Augustini, cæterorum, quæ Gratianus habet can. 21, 22, 41, c. 27 qu. 15 et can. 2, 4, 5, 9, dist. 27, et ex quibus intelligimus, jam IV. sæculo aliud fuisse votum, quod irritas, et aliud, quod non irritas nuptias efficiebat. Utriusque voti diversitatem luculentissime mihi quidem videtur proposuisse Siricius P., qui IV. Ecclesiæ sæculo Pontificatu Maximo functus est. Is enim ep. 10 c. 4 col. 688 apud Constantium ep. Roman. Pontific. primo agit de *Virgine velata jam Christo, quæ integritatem publico testimonio professa, à sacerdote prece fusa, benedictionis velamen accepit*. Hic sane locus pertinet ad professionem, quam solemnem dicimus. Pergit continuo Pontifex, deque hæc virgine dicit hæc; *sive incestum commisserit furtim, seu volens crimen protegere, adultero mariti nomen imposuit, tollens membra Christi, faciens membra meretricis etc.* Sane si hæc velata virginis conjunctio *incestum*, et *adulterium*, si ipsa mulier non uxor, sed *meretrix* appellatur, manifestum est, ejus nuptias irritas judicari. Hæc de virginibus velatis, quæ publicam, aut solemnem professionem emisserant, Siricius constituit; sed longe aliud habet de virginibus non velatis, quæ scilicet privatim castitatem voverant. Eas quidem penitentia subiecit, quod fidem fregerant, et *furtivam* vocat earum conjunctionem, sed eam tamen veri matrimonii, ac nuptiarum nomine appellat. Inquit enim: *Item puella, quæ nondum velata est, sed proposuerat sic manere, licet non sit in Christo velata, tamen quia proposuit, et in conjugio velata non est, furtive nuptiæ appellantur, ex eo quod matrimonii cælestis præceptum non servaverit*. Hic quidem locus meo iudicio satis aperte indicat discrimen voti simplicis, et solemnis, quorum alterum minus licitum, alterum vero irritum matrimonium efficit. Ex eodem hoc loco intelligimus, quam graviter errent, qui negant, per quinque priora sæcula irritas fuisse nuptias illorum, qui solemniter castita-

tem voverant. Nam eas Siricius apertissime irritas judicat, et consentit Innocentius I. ep. 2 ad Victricium c. 12 col. 754 et seq., quem Innocentii locum Constantius in Notis diligenter expendit.

(2) Cap. 4 et seq. Qui cleric. vel voven. Concilium Tridentinum sess. 24 can. 9 de Reform. matrim.

(3) Cap. un. de Vot. in 6.

(4) Cap. 2 de Convers. conjug.

(5) Extrav. un. Joannis 22 de Vot.

129. Pertinet etiam ad generalia impedimenta matrimonium antea cum alia muliere, virove contractum, quod impedimentum *ligamen* dicitur. Nam qui obstringitur vinculo primi matrimonii, novis se nuptiis obligare non potest, cum divino jure velutum sit plures simul habere uxores (1); ideoque apud Christianos novæ nuptiæ conciliari non possunt, nisi primum de conjugis morte certus nuntius allatus sit (2).

(1) Concilium Tridentinum sess. 24 can. 2 de Sacram. matrim.; et huc spectat Decretalium titulus de *Sponsa duorum*.

(2) Cap. 19 de Sponsal.

(N. S. Fœminis quæ, propriis relictis viris, aliis copulantur, nec in sine communionis gratiam elargiendam esse, decrevit Syn. Illiber. can. 8. At Syn. Tolet. XII, can. 8, licet pœnas statutas olim in repudiantes conjuges temperaverit, constituit tamen, viros relinquentes jam ductas uxores, tandiu ab Ecclesiæ communionem, et Palatinæ dignitatis officio segregandos esse, quamdiu ab ipsis se juncti permansissent. Synod. quoque Compost. an. 1056 cap. 5, excommunicationem in eosdem infligit. Et Hispal. an. 1512 cap. 37, ultra pœnas à jure stabilitas, gravem etiam pecuniariam eisdem comminatur. Reges quoque plures in poligamos pœnas decrevere. Alphonsus Sapiens in Insulam deportandos esse constituit leg. 16 tit. 17 Part. 7; Alphonsus XI, Henricus III, et Carolus V proditorum pœna, et dimidiæ bonorum partis amissione puniendos sanxerunt, leg. 7 tit. 28 lib. 12 *Novis. Compil.* Joannes I, animadvertendum in ipsos pœnis à jure statutis, atque etiam candenti ferro in fronte notandos, voluit leg. 6 eod. Carolus V Imperator pœnas omnes prius stabilitas in poligamos confirmat, et Partitarum Legem deportationis in Insulam, de deportatione ad Hispaniarum triremes interpretatur leg. 8 eod. Id unum hodierno Canonico jure constat, non posse nuptias iteratas contrahi, nisi habito prius certo de prioris conjugis morte nuntio: cap. 2 de *Secund. Nupt.* et laud. Syn. Hispal. præf. cap. 37.)

130. Nunc à generalibus impedimentis ad particularia veniamus. Sunt igitur qui non omnes, sed aliquas in specie nuptias inire prohibentur, atque id quinque de causis, quarum prima est cognatio, quæ triplex est, naturalis, legalis, seu civilis, spiritualis. Cognatio naturalis vinculum est personarum, quæ per generationem ab eodem propinquo stipite descendunt. Stipes est ille, à quo procedunt ii, de quorum cognatione quæritur.

131. Distribuitur cognatio in lineas, lineæ in gradus. Linea

series est personarum sanguine conjunctarum; gradus sunt intervalla harum personarum, quibus tamquam punctis linea conficitur, et quibus noscitur, quæ persona stipiti propinquior sit. Linea vel recta est, quæ genitores, et genitos continet; vel transversa, et obliqua, qua comprehenduntur, qui ex latere conjuncti sunt. Cum hi pari gradu distant à stipite, linea transversa æqualis est; cum distant gradu dispari, nimirum alter altero remotior est, inæqualis dicitur. Ita fratres et sorores, qui æqualiter à patre distant, itemque horum filii, qui similiter patribus intervallis ab avo sejunguntur, in linea æquali sunt; patruus, et fratris filius in linea inæquali versantur; quoniam alter sursum, alter deorsum fertur, et ille ad communem stipitem proprius accedit.

132. Jure civili una, et perpetua regula in omnibus lineis gradus numerantur, scilicet *generata persona gradum adjicit* (1), sive tot gradus, quot generationes sunt. Retinent hanc eandem regulam Sacri Canones in linea recta, nisi quod generationum loco personas usurpant, et ita, quod, dempto stipite, personæ sunt, totidem gradus numerant. Quare filius patri est primo gradu conjunctus, quoniam una hic generatio, sive una, dempto stipite, persona est: nepos ab avo distat secundo gradu, quoniam duæ generationes, sive duæ, sublato stipite, personæ sunt. Sed in numerandis gradibus lineæ transversæ, alia est Juris Civilis, et alia Canonici Juris ratio. Nam Jus civile subjicit iisdem legibus et rectam, et transversam lineam; et ideo lateris utriusque generationes numerat.

(1) §. 7 Instit. de Gradib. cognat.

133. At canones tot gradus constituunt, quod personæ in uno tantum latere reperiuntur; et in linea æquali collaterales inter se sunt eo gradu, quo distant à stipite communi, in inæquali eo gradu, quo à stipite remotior distat (1). Nimirum canones ex uno latere ascendunt ad stipitem, unde collaterales originem ducunt, atque hic subsistunt; civiles leges descendunt etiam ad aliud latus, et in utroque colligunt generationes omnes, quotquot sunt, atque ex singulis singulos gradus efficiunt. Itaque secundum canones etiam cognatio collateralium incipit à primo gradu, in eoque sunt fratres, et sorores; verum hic gradus Juri Civili secundus gradus est. Ecclesiastica illa ratio numerandorum graduum obtinet in matrimoniis, at in hereditatibus adhuc ex jure civili gradus æstimantur (2).

(1) Initio canones in numerandis gradibus lineæ transversæ Juris Civilis regulam retinuisse, putat Cujacius ad tit. de Consanguinit. et affinit. opp. t. 6 col. 1084 ed. Mutin. an. 1778. Verum est sane vetus Ecclesiastica illa regula à civili distincta, eamque diserte memorat Gregorius M., qui certe (ut alia quibusdam sententia sit) auctor est Ep. 64 ad Augustin. l. 11 opp. t. 2 col. 1150 ed. Paris. 1705, quæ descripta est in can. 20 c. 35 qu. 2 et 3. Inquit enim, terrenam legem in Romæ Republica nuptias consobrinorum permittere; sed ipse velat has nuptias, tanquam in secunda generatione contractas, atque Anglis matrimonium in tertia, aut quarta generatione permittit. Ergo Gregorio Pontifice consobrini erant in secundo gradu, quæ omnino Juris Canonici regula est, neque ipsis licebat nuptias inter se conciliare. Atque hac quidem ætate editum jam erat jus Justinianum, quod nuptias inter consobrinos permittebat §. 4 Instit. de Nupt. Non enim assentior iis, qui hoc Institutionum loco adjiciendam putant negantem particulam, quoniam ita sensum reddidit Theophilus, qui jus expressit, quod post Justinianum in Oriente inductum est. Et certe vulgata lectio, quam veteres interpretes, et Glosa sequuntur, legit *affirmative*; sicut et editiones Haloandri, Russardi, Contii, Carondæ, Cujacii. Atque hoc quidem jus de nuptiis consobrinorum, comprehensum Institutionibus, consentaneum est Arcadii, et Honorii constitutioni in l. 19 c. de Nuptiis, si integra hæc lex illorum revera est, quod negat Contius Subcesiv. lection l. 1 c. 9 p. 12 ed. Neap. 1725., per quam legem abrogata est antiquior Constitutio Theodosii M., qua vetantur inter consobrinos matrimonia. Sed de civilibus legibus, quæ ad nuptias pertinent consobrinorum, deque illa, quam memoravi, Theodosii constitutione, disputant, Contius l. c. l. 2 c. 1 p. 19., Jacobus Gothofredus in eod. Theodos. leg. 4 tit. 10 et leg. 3 tit. 12 l. 5 t. 1 p. 350 et 341 ed. Lipsiæ 1756, Harprechtus in Instit. l. 4 tit. 10 §. 4., Fr. Florens, cujus ea de re peculiaris disputatio est de *Nuptiis consobrin. prohib.* opp. t. 1 p. 389 ed. Norimbergæ 1756. Nunc eo redeamus, unde diseessimus. Post Gregorium Zacharias Pontifex in Can. 4 c. 35 qu. 5. similiter ecclesiastica regula utitur in numerandis gradibus cognationis; denique Alexander II. in Can. 2 c. 35 qu. 5, *novum et inauditum* vocat errorem illorum, qui germanos fratres, ac sorores, in secunda generatione esse asseverant, atque ait: in Lateranensi Concilio *diu ventilatis legibus, et sacris canonibus*, deprehensum fuisse *ob aliam, atque aliam causam, alteram legum fieri, alteram canonum computationem*. Quæ Alexandri constitutio per se ipsa refutat Van-Espenium Jus eccles. par. 2 tit. 45 c. 5 n. 10, qui Ecclesiasticam illam regulam numerandi gradus sæculo XI, *nondum ubique receptam, nec extra questionem fuisse* arbitratur. Nam eos, qui unam, eandemque esse aiebant juris utriusque regulam, Alexander *legum, et canonum imperitos* vocat, et facere inquit *contra sacros canones, et ecclesiasticum morem*, eorumque errorem *novum esse, et inauditum*. Ex quibus facile intelligitur, jam ea ætate ecclesiasticam illam regulam exploratissimam, ac receptissimam fuisse. Cum Van-Espenio sentit Dominicus Cavallarius Instit. Jur. Canon. par. 2 c. 21 §. 8.

(2) Cit. Can. 2 c. 35 qu. 5.

134. Jam vero inter illos, qui in linea recta sunt, sive inter generantes, et genitos, matrimonium esse nunquam potest, quotocumque, vel remotissimo gradu inter se distent. Natura

enim ab hujusmodi nuptiis abhorremus, et officia conjugum non bene congruunt cum officiis, quæ liberos parentibus tribuere oportet (1). Sed in linea transversa Jus Canonicum nuptias velat usque ad quartum gradum, ipso comprehenso (2); Jus Civile ad quartum quoque gradum producit interdictum suum, sed gradum ipsum excludit (3). Itaque Jus Civile nuptias probat consobrinorum, quos collocat in quarto gradu. At Canones improbant has nuptias, non solum quod et quartum gradum interdicto comprehendunt, sed etiam quod revera ipsi consobrini in secundo gradu sunt (4).

(1) Ascendentium, et descendantium nuptias jure ipso naturæ vetitas esse, ferme inter omnes constat. At in linea transversa tantum jure ecclesiastico interdictas nuptias, multi sentiunt; contra vero alii etiam primum gradum lineæ transversæ ad juris naturæ interdictum pertinere arbitrantur, quoniam naturalis pudor nuptias inter sorores, et fratres vetare videtur.— V. Syn. Tolet. II. can. 5.

(2) Olim cognationis impedimentum ad septimum usque gradum producebatur: Can. 1 et 19 c. 55 qu. 2; Nicolaus II. Decret. 15. apud Baluzium Miscellan. sacr. t. 2 p. 119. ed. Luc. 1761. Sed cum tam late patens impedimentum sine gravi incommodo observari non posset, Innocentius III. in c. 8. de Consanguinit. illud coeruit ad quartum gradum, eoque jure nunc utimur.

(N. S. Pluribus Hispania Canonibus hujus impedimenti observantiam injunxit. Jo. Card. Sabin. in Syn. Herd. in Compil. Jo. Teres. Lib. 4 Tit. 2 cap. 1. Andreas Albalatus in Const. Synod. an. 1255, Const. de Matrimonio, Syn. Vallisolet. Cap. 19. Salmant. Cap. 10. Hispal. an. 1512. Cap. 56, Valent. Sess. 2 Tit. 2 cap. 25 alias 25).

(3) §. 4 Instit. de Nuptiis.

(4) Vetus est regula canonum de nuptiis inter consobrinos vetitis. Nam eam, præter Gregorium M., cujus paulo ante indicavi locum, memorat etiam Concilium Agathense an. 506. Can. 61 t. 5. Concil. collect. Labbæi col. 551. ed. Ven. Turonense II. an. 567 Can. 21 t. 6. Concil. col. 544. Gregorius II. Decret. 8 apud Pithæum Cod. Canon. Eccl. Roman. p. 500. ed. Paris. 1687. Atque ea quidem ætate, uti demonstratum supra est, Jus civile consobrinorum nuptias permittebat. Abrogat tamen hoc jus Ecclesia, et ita declarat, jus constituendi dirimentia impedimenta ad se pertinere. Nolo autem hic omittere præclarum Ennodii Ticinensis locum, ex quo patet, jam inde à V. et VI. sæculo (nam Ennodius obiit an. 521.) omnes de matrimonio, deque cognatione controversias ad Summum Pontificem deferri consuevisse. Ipse enim Ep. 24 l. 5. in Biblioth. PP. t. 9 p. 345. ed. Lugdun. inquit, *divinis tamen legibus cognationem indiculo comprehensam in matrimonio licere sociari, sine dubitatione noveritis. Sed continuo ad Urbem Romanam homines meos dirigo, exacturus à venerabili Papa super hac parte responsum, ut animum vestrum potioris præcepti firmet auctoritas.*

133. Præter cognationem ex sanguine, etiam civilis, et spiritualis cognatio irritas nuptias facit. Civilem cognationem, à Jure civili inventam, probarunt, atque acceperunt Canones (1),

et eaque ex adoptione oritur, triplexque est. Prima diffunditur per lineam rectam ascendentem, et descendantem adoptantis, et adoptati (2); altera obtinet in linea transversa inter adoptatum, et filias legitimas, ac naturales adoptantis sub patria potestate manentes; quod impedimentum tollitur, vel soluta adoptione, vel filio emancipato, quoniam his modis solvitur vinculum, unde impedimentum oriebatur (3). Denique affinitatis similitudine oritur etiam impedimentum nuptiarum inter adoptantem, et uxorem adoptati, similiter inter adoptatum, et uxorem adoptantis (4).

(1) Can. 1 c. 50 qu. 5., Cap. unic. de Cognat. legal. Integrum ab Jure civili Ecclesia hoc impedimentum accepit, neque aliquid in eo mutavit; hinc Cujacius in tit. Decretalium de Cognat. legal. opp. t. 6 col. 1078. ed. Mutin. 1778. monet, nunc etiam civilem fraternitatem nuptias dirimere.

(2) §. 2 Instit. de Nuptiis.

(3) L. 55 ff. de Rit. nupt.

V. Non sat in Jure decisum, num inter filium filiamque ejusdem personæ adoptivos consistat matrimonium, necne. Sed affirmativam tenet sententiam nostras Alphonsus Sapiens, leg. 7 tit. 7 Partite IV: *«Pero si alguno porfijasse muchos, assi que entrellos oviesse varones, è mugeres; estos naturales bien poltrian casar unos con otros, quier se desfaga el porfijamiento, ó non.»*

(4) Leg. 14 ff. de Rit. nupt.

133. Spiritualem cognationem parit Baptismus, et Confirmatio (1). Vetus est Ecclesiæ doctrina, qua veluti pater habebatur, qui aliquem Baptismo donaverat, aut in Christo instituerat, et de sacro fonte susceperat. Sed nullum inde impedimentum initio oriebatur, adeo ut ipsi parentes filios suos de fonte suscipere (2). Lapsu temporum hoc impedimentum inductum est, et late etiam propagatum, adeo, ut ad instar consanguinitatis, et adoptionis, suscipiens ex sacro fonte, ejusque filii, neque cum suscepta, neque cum ejus cognatis nuptias conciliare possent (3). Verum Tridentini Patres, quod experti didicerant, nimis late patente cognationis spiritualis impedimento, sæpe per errorem matrimonia contra jus fieri, quæ nec sine peccato stabant, nec sine offensione dirimebantur, statuerunt, cognationem spiritualem tantum comprehendere suscipientem, et baptizatum, hujusque patrem, ac matrem, itemque baptizantem, et baptizatum, atque hujus patrem, ac matrem, præterea neminem. Quod jus etiam obtinet in confirmatione (4).

(1) Solum Baptismum memorat Justinianus in Lege 6 Cod. de Nuptiis.

Concilium Trullanum can. 53 apud Labbæum t. 7 col. 1571. ed. Ven., Nicolaus I. in can. 1 c. 50 q. 5. Verum confirmatione contractam cognationem ponit Concilium Compendiense an. 757. can. 42 apud eundem Labbæum t. 8 col. 452., non *Vermeriense*, seu apud *Vermerias*, uti habet Gratianus can. 2 c. 50 qu. 1, qui quidem Compendiense Concilii canon extat etiam in capitularibus Caroli M., et Ludovici Pii 1. 5 c. 7 apud Baluzium t. 1 col. 555 ed. Ven. 1772. Diserte autem Bonifacius VIII. in cap. 1 et ult. de Cognat. spir. in 6, hoc impedimentum memorat Interim ex iis, quæ mox collegimus, monumentis intelligimus, antiquissimum esse, et multo ante quam in decretalibus describeretur, ab Ecclesia agnitum, ac probatum spiritualis cognationis impedimentum. Quod etiam ostendit Gregorius II. Decret. 4. apud Pithæum l. mox indie.

(2) S. Augustinus Ep. 98 ad Bonifac. t. 2 col. 266 n. 6 ed. Ven. 1729.

(3) Consule Gratianum caus. 50 qu. 5 et 4.

(4) Concilium Tridentinum sess. 24 c. 2 de Reform. matrim.

137. Est et alia nuptiarum prohibitio, inducta ex maris, et feminae conjunctione, per quam duæ cognationes copulantur, et inde affinitas oritur (1). Leges civiles tantum ex maritali, canones etiam ex vetita conjunctione affinitatem repetunt (2). Quod affines ab afinibus non generantur, nulli proprie gradus inter eos sunt (3). Verum exemplo cognationis, etiam affinitatis gradus recepti sunt, et ideo quo gradu quis est cognatus viro, eodem est affinis uxori, et contra (4). Affinitas orta ex nuptiis matrimonium impedit eo modo, quo cognatio; perpetuo scilicet in linea recta ascendentium, et descendantium, in linea transversa usque ad quartum gradum (5); orta vero ex vetita corporum commixtione, tantum primum, atque alterum gradum comprehendit (6). Contrahit autem affinitatem sola uxor cum viri consanguineis, et solus vir cum consanguineis uxoris; verum nulla inter utriusque consanguineos affinitas intercedit (7).

(1) Affinitatis impedimentum ecclesiastica lege constitutum initio fere sæculi IV. habes in Concilio Neocæsariensi can. 2 apud cit. Labbæum t. 1 col. 1511. Hujus quoque impedimenti diserta mentio est in can. 61 et 66 Concilii Eliberitani, quod habitum est an. 505., apud Labbæum t. 1 col. 999.; — ac Compostell. an. 1056, cap. 5. Itaque vehementer errant, qui hujus impedimenti originem repetunt à Jure civili, nimirum à L. 2 Cod. Theodos. de Incest. nupt. apud Gothofredum t. 1 p. 537., quæ quidem lex lata est an. 555.

(2) Can. 40 c. 55 qu. 2, cap. 8 et 10 de eo qui cogn. consanguin. uxor.

(3) Consule Cujacium ad tit. de Consanguinit. et Affinit. opp. t. 6 col. 1084 ed. cit.

(4) Leg. 10 ff. de Grad. et affini.

(5) Cap. 1 de Consanguinit. et affinit.

(6) Concilium Tridentinum sess. 24 c. 4 de Reform. matrim.

(7) Cap. 5 eod. Jus civile vetat etiam conciliari nuptias inter vitricum, et uxorem privigni Leg. 15 ff. de Rit. nuptiar., verum huic legi derogatum

est à Jure canonico in cap. 8 de Consanguinit., et affinit., uti ostendit Benedictus XIV. de Synod. diocæs. l. 9 c. 15. Confer etiam Cujacium in tit. de Consanguinit. et affinit. opp. t. 6 col. 1085. ed. Mutin. seu Ven. 1778.

138. Tertium particulare impedimentum est publica honestas, hoc est reverentia certis personis debita, quæ facit, ut si quis cum aliqua matrimonium ratum, non consummatum, aut etiam sponsalia contraxit, quæ certa, ac pura, hoc est sine conditione, et valida sint (1), cum consanguineis uxoris usque ad quartum gradum, cum consanguineis sponsæ usque ad gradum primum, matrimonio jungi veletur, ac si jungatur, nihil agat (2).

(1) Etiam sponsalia irrita, modo non deesset consensus, publicæ honestatis impedimentum parere, Bonifacius VIII. constituit in cap. un. de Sponsal. in 6. Verum Concilium Tridentinum sess. 24 de Reform. matrim. c. 5 sustulit impedimentum honestatis ex sponsalibus quavis ratione nullis; quam Tridentinam legem tantum ad sponsalia de futuro pertinere declaravit S. Pius V. in Cons. ad Romanum 85 in Bullario ed. Rom. ult. t. 4 par. 5 p. 18.

(2) Publicæ honestatis impedimentum tanquam recens inventum hæretici reprehendunt, atque eorum è numero Henricus Brouverus de Jure conub. l. 2 c. 14, plura de hoc impedimento, præter verum, atque honestum, dicit, atque illud primum à Bonifacio VIII. excogitatum patat. Verum multo ante Bonifacium hujus impedimenti diserta mentio est in Can. 14 et 15 c. 27 qu. 2., quin etiam IV. sæculo Siricius Ep. 1. ad Himer. c. 4. apud Constantium col. 628. vetat generatim, ne quis alterius sponsam uxorem accipiat; ac plane falsum est, sicuti Jueninius observat de Sacram. Diss. 40 qu. 7 c. 9. decretum, quod ex Benedicto Pontifice Brouverus recitat. Quin impedimenti publicæ honestatis vetus origo est, non obscure expressa in Jure civili, uti late ostendit Alexius Symmachus Mazochius Diatrib. 1 in Can. Illiberit. 54 n. 15 et Not. 6 p. 255 et seq. ed. Rom. 1766. Et sane laudat Vir doctus L. 12 §. 1 L. 14 §. 4 L. 42 ff. de Rit. nupt. et §. 9. Instit. ut de Nut. additque præterea Alexii Comneni constitutiones 5 et 4 apud Gothofredum in Corp. jur. civ., quibus in locis de publica honestate agitur disertissime. Itaque hoc impedimentum in remotissima Ecclesiæ antiquitate fixas habet radices; imo nunc etiam magna ex parte mitigatum est, cum antea quartum gradum comprehenderet, nunc à Synodo Tridentina coercitum sit intra primum gradum, si ex sponsalibus, intra quartum, si ex matrimonio rato, procedat; tantum abest, ut conquiri Brouverus, alique hæretici possint, inventum hoc impedimentum fuisse ambitu, et cupiditate Summorum Pontificum, ut suavius jurisdictionem, potestatemque explicarent.

139. Sequitur impedimentum criminis, quod duplex est, adulterium, et homicidium. Adulteram nubere adultero vetat Jus Civile Romanorum (1); quod quidem jus initio etiam Ecclesiæ fuisse videtur (2). Sed nunc adulterium tantum matrimonium dirimit, si adulter, et adultera, vel eorum alter in innocentis uxoris, vel mariti mortem conspiraverint, ut nuptias

inter se conciliarent; vel vivo adhuc alterius conjuge, patratum sit adulterium, ac simul mutuo data futuri matrimonii fides, cum alter alterius nuptias non ignoraret (3). Homicidio quoque dirimitur matrimonium; nam si quis alterius conjugem interfecerit, nuptias inire non potest cum altero conjuge, qui superstes est, modo et ipse in hanc mortem conspiraverit (4).

(1) Leg. 11 §. 11, et Leg. 40 ff. ad L. Jul. de Adult. Novel. 254 c. 7 col. 9 lit. 9.

(2) Can. 1 c. 51 q. 1., qui canon à Gratiano tribuitur S. Leoni M., sed revera desumptus est ex Concilio Triburiensi an. 895. can. 51. apud Labhæum t. 11. Concil. col. 653. Idemque habet Concilium Altheimense apud eundem Gratianum can. 3 ibid. Canon. autem 2 ead. cap. et q. qui excerptus est ex S. Augustino de Nupt. et concupisc. cap. 10 opp. t. 13 col. 355 ed. Maurin. Ven. 1768, longe aliam, ac interpretum vulgus putat, habere significationem, ostendit Sebastianus Berardus. Gratiani canones etc. par. 5 c. 19 p. 510 ed. Ven. 1785. Porro solum adulterium initio irritum fecisse videtur matrimonium; sed Gratianus antiquos canones aretavit iis conditionibus, quas descripsit post cit. can. 5, si adulter *nihil in mortem viri machinatus fuerit, vel si vivente viro fidem adulteræ non dedit, se sumptuum eam sibi in conjugem, si viro ejus superviveret.* Jus idem hoc constitutum est in c. 6 et pen. de *Eo qui dux. in matrim. quam polluit per adult.* Conditiones illas à Gratiano descriptas minime necessarias habuisse videtur Alexander III. in c. 1 eod. uti intelligitur ex eo, quod utitur verbo maxime, sed eas ut necessarias agnovit Innocentius III. in d. e. 6. Quare simplex adulterium sine conspiratione in conjugis necem, aut sine data matrimonii fide, dirimens impedimentum non inducit. Confer Benedictum XIV. in constit. Redditæ 115 tit. 1 ejus Bullar. §. 15. et seq. p. 279 ed. Rom. seu Ven. 1754.—V. Syn. Illiberit. can. 72.

(3) Cap. 1 et 7. De *Eo qui dux. in matrim. quam polluit per adulter.*

(N. S. Vel si vivente adhuc conjuge, matrimonium revera contrahatur, sive illam promissionem aut hoc matrimonium adulterium antecēat, sive committetur, sive sequatur: cap. 3 *ib.*)—V. leg. 42 tit. 1 lib. 1 Fori Regal.; et 19 tit. 2 *Paritæ 4.*

(4) Cap. 1 de *Convers. infidel.*

140. Cultus disparitas matrimonio jungi vetat baptizatos, et non baptizatos. A primis Ecclesiæ sæculis semper interdictæ fuerant Christianorum nuptiæ cum Judæis, et infidelibus, quoniam eas contrahere idem videbatur, ac *prostituere membra Christi cum gentilibus* (1). Verum Christiani, qui tales nuptias conciliabant, tantum violatæ disciplinæ rei erant, pœnisque subiciebantur; at nulla Ecclesiæ lex erant, quæ illas infirmaret. Quin talium nuptiarum occurrunt exempli celeberrima, qualia sunt S. Monicæ, et S. Clotildis, quarum altera Patricium, altera Clodovæum Francorum Regem, utrumque ethnicum, virum habuit. Postremo consuetudine, ut videtur, inductum, ac lege ecclesiastica sancitum

est, ut fidelium conjugia cum infidelibus irrita habeantur (2). Matrimonia Catholicorum cum hæreticis improbat Ecclesia, sed ea tamen consistunt; quin etiam interdum à Sede Apostolica ex justa causa, certisque adjectis legibus permittuntur (3).

(1) S. Cyprianus de Laps. p. 83 ed. Amstel. 1700. Vide etiam Concilium Eliberitanum can. 15, 16, 17 col. 252 tit. 1. Chalcedonense can. 14 col. 607. Agathense can. 67 col. 1005 t. 1 coll. Harduini, et Gratianum tot. cap. 28 q. 1. Neque cum fidelibus solum, sed etiam cum hæreticis Catholicorum matrimonia damnat Ambrosius in can. 15 c. 28 q. 1. Synodus Agathensis in can. 46 l. c. misceri vetat connubia cum hæreticis: *nisi profiteantur, Christianos esse futuros, et catholicos.* Jus Græcorum in iis matrimoniis constitutum explicat Synodus Trullana can. 72, quem in locum vide Balsamonem, et Zonaram apud Beveregium Pandect. canon. t. 1 p. 241 seq. ed. Oxon. 1672.

(2) In sacris litteris nihil est, ex quo necessario inferri debeat, jure divino, ac precepto positivo vetita esse fidelium cum infidelibus matrimonia; secluso subversionis periculo, quia tunc quilibet omni jure hujusmodi conjugium inire prohibetur. S. Augustinus lib. de Fid. et oper. c. 19 opp. t. 11 col. 550 ed. Maurin. Ven. 1767. S. Cyprianum inter malos Christianorum mores recensere testatur, *jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, quod nihil aliud esse asserebat, quam prostituere gentilibus membra Christi; quæ nostris temporibus, pergit ipse Augustinus, jam non putantur esse peccata, quoniam revera in novo testamento nihil inde præceptum est; et ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum.* Quod etiam confirmat de Conj. adult. l. 1 c. 25 t. 8 col. 1746. Non enim, inquit, *tempore testamenti revelati novi, in Evangelio, vel ullis Apostolicis litteris sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrum Dominus prohiberit fideles cum infidelibus jungi.* Itaque hoc impedimentum ex vetusta consuetudine, ac lege Ecclesiæ videtur repetendum. Consule Tournelyum Prælect. theolog. de Sacram. matrim. q. 2 art. 2, et Juvenium de Sacram. diss. 40 q. 7 c. 6 art. 2.

(N. S. Syn. Illiberit., Can. 15, prohibuit, quod virgines christianæ Gentilibus nubarent, Can. 17, Idolorum Sacerdotibus, Can. 67 comiciis, et scenicis viris, Can. 16 Judæis, et Hæreticis; eo quod, ait, *nulla possit esse societas fidelis cum infideli.* Syn. etiam Tolet. III Can. 14, et Tolet. X Can. 7, Judæorum itidem cum christianis sœminis concubia vetuerunt.)—Hoc de proposito consulat André, «Diction. Juris Can.», verbo *Matrimonio* §. 8, ubi gravissimas de matrimoniis *mixtis* Ven. Greg. XVI Pont. Litteras, ad Bav. Prælatos, 27 Maj. 1852, missas, reperies, in quibus eathol. de talibus conjunctionibus doctrina stabilitur; itemque Ferd. Walter *Man. Jur. Eccles.* lib. 7 cap. 4 art. 1 de matrim. inter personas, quæ ad diversus Christ. confes. pertinent.

(3) Late ea de re agit Benedictus XIV. in Const. Matrimonia 54 t. 1 ejus Bullar. p. 55 et in constit. Magnæ 51 tit. 2 p. 247 ed. Rom. seu Ven. 1754, ubi etiam antiquiores Summorum Pontificum constitutiones indicantur.

141. Caput alterum impedimentorum, uti supra diximus, error est. Non omnis error, qui in nuptiarum contractum incidit, eas irritas facit, sed ille, qui *personæ* dicitur, cum videli-

cet is, cum quo contrahitur, alius revera est ab eo qui creditur (1). Quod naturali rationi consentaneum est, cum in id, quod ignorat, consentire nemo possit. Error qui dicitur *fortunæ*, aut *qualitatis*, nihil officit, cum non pertineat ad vim intimam, sive ad substantiam contractus (2); nisi error qualitatis in personam redundet (3). Itaque valent nuptiæ, cum quis uxorem accepit inopem, ignobilem, inelegantem, quam divitem, nobilem, elegantem putabat.

- (1) Tot. caus. 29 q. 1.
- (2) Cap. 26 de Sponsal. et matrim. L. 9 ff. de Contrah. emp.
- (3) Confer S. Thomam. in 4 Senten. dist. 59 et 50 q. 1 art. 2 ad 5.

142. Sed et ignorata quoque servilis conditio nuptiis impedimento est; et ideo non valet matrimonium ab homine libero contractum cum ancilla, quæ libera habebatur (1). Civiles leges nullas servorum nuptias, sed tantum contubernia agnoverunt (2); et canones initio desiderasse videntur consensum dominorum, ut nuptiæ illæ ratæ firmæ haberentur (3). Sed nunc valent matrimonia servorum, etiam invitis dominis, contracta (4); et valet etiam matrimonium liberi hominis cum ancilla, modo ipse ejus servitutem non ignoraverit (5).

- (1) Cap. ult. de Conjug. servor.
- (2) L. 5 cap. de Incest. et inutil. nupt. Consule Harprectum, et cæteros interpretes in tit. Inst. de Nupt.
- (3) Can. 8 cap. 29 q. 2.
- (4) Cap. 1 de Conjug. servor.
- (5) Can. 2, 4 et seq. c. 29 q. 2 cap. 2 de Conjug. serv. Van-Espenius,

cujus mira in figendis epochis confidentia est, cum pari rerum ignoratione conjuncta: *Jus Eccles.* par. 2 tit. 15 cap. 5 n. 9, affirmare non dubitat, Gratianum, nixum falso Decreto Julii Pontificis in can. 4 cap. 29 q. 2 primum adhibuisse distinctionem *inter scienter, et ignoranter cum personis servilis conditionis contrahentes*, eam accepisse Summos Pontifices, cum ea de re Decretales ediderunt, atque ita inductum fuisse hoc impedimentum, *restrictum ad casum, quo circa conditionem servilem error intervenisse probatur*. Sed ut paucis me expediam, atque hominis errorem patefaciam, dabo Concilia duo, quæ multo antiquiora Gratiano sunt, scilicet Vermeriense, quod an. 752, et Compendiense, quod anno 757 habitum est. Duobus his Conciliis proponitur disertissime ea distinctio, quam Van-Espenius à Gratiano excogitatam putat. En Vermeriense Concilii verba can. 15 apud Labbæum t. 3 Concil. col. 408. *Qui scit uxorem suam ancillam esse, et accepit eam voluntarie, semper postea permaneat cum ea.* Clariora sunt etiam Compendiense Concilii verba can. 5 col. 451 ibid. *Si francus homo accepit mulierem, et sperat quod ingenua sit, et postea invenit, quod non est ingenua, dimittat eam, si vult, et accipiat aliam. Similiter si femina ingenua, et sciebat tunc quod servus erat, habeat interim quo vivit. Una*

*lex est viris, et feminis.* Habes hic disertissime propositum, explicatumque discrimen *inter scienter, et ignoranter cum personis servilis conditionis contrahentes*. Eadem jurisprudentia est in Capitularibus Regum Francorum l. 5 c. 20 t. 1 col. 554 ed. Baluzii Ven. 1772, eadem apud Burchardum l. 9 c. 27, et eadem apud Ivonem par. 8 c. 52 et 165. Vides igitur Van-Espenii errorem; sed et aliis similibus, atque gravioribus refertum est indigestum illud opus, quod equidem non intelligo, quomodo à quibusdam tantopere laudari possit. — V. Syn. Tolet. IX, can. 15 et 14; For. Judic. lib. 3 tit. 2 de Nupt. illic.

143. Postremum caput impedimentorum pertinet ad formam, atque rationem, qua nuptiæ conciliantur. Principio, nullum est matrimonium, quod vi adhibita, illatoque metu contractum fuit; cum omnem consensus libertatem postulet nuptialis consociatio, quæ semel rite inita, amplius dissolvi non potest. Verum ut vis, indeque ortus metus irritum matrimonium faciat, debet esse gravis, et quo vir fortis, et constans afficiatur (1); præterea ab homine injuste illatus esse debet, quia si quidem iudex metu pœnarum cogat nubere puellæ, cui stuprum intulit, justus hic metus est, à legis imperio procedens, et ideo nuptiæ consistunt (2). Est autem iudicis metum expendere, gravis res sit, an levis, et inanis (3); ac sæpe novo, liberoque consensu convalescit matrimonium, quod irritum metus fecerat (4).

- (1) Cap. 6, 15 et 28 de Sponsal, cap. 2 de eo qui dux. in matrim. quam pol. per adulter.
- (2) Cap. 1 de adulter. et stupr., cap. 10 de sponsal. et matrim.
- (3) Consule Fagnanum in c. Consultationi de sponsal. num. 12.
- (4) Cap. 21 de sponsal. et matrim. Vide etiam Fagnanum in c. Is qui 50 de sponsal. n. 44, ubi habes ea de re editam à S. Pio V. declarationem.

144. Eadem est causa raptus, qui vetat consistere matrimonium, quod inter raptorem, et raptam contractum fuit. Mulier enim per vim abducta, ac raptoris imperio, aspectuque truci perterrita, non videtur sponte in nuptias consentire. Atque antiquis quidem legibus nunquam ipsa raptori matrimonio conjugii poterat (1), sed nunc potest, si à raptore separata, atque in loco tuto constituta, libere assentiatur, quia procul est metus, qui suum mulieri arbitrium, et liberam voluntatem adimebat (2).

- (1) Can. 11 c. 36 q. 2. Vide etiam codicem Theodosianum l. 9 tit. 24 de Raptu virgin. vel viduar., l. 4 et L. un. cod. Justinian. eod. tit., et Capitularia Regum Franc. l. 6 c. 96 t. 1 col. 627 ed. Baluzii Ven. 1752, Concilium Chalcedonense can. 27 t. 4 concil. collect. Labbæi col. 1691 ed. Ven. *Eos, qui nomine conjugii mulieres rapiunt, vel opem ferunt, ac consentiunt eis, qui rapiunt, si sint quidem clerici, proprio gradu excidere jubet; sin autem laici, anathematizari.*

(2) Concilium Tridentinum sess. 24 c. 6 de Reform. matrim., cap. 7 de Raptor. Certum porro est raptum violenter patratum, dirimens impedimentum inducere; sed non ita exploratum omnibus est, num idem impedimentum oriatur etiam ex raptu *seductionis*, ut vocant, cum scilicet mulier dolo, aut illecebris deccepta est. Affirmant Toumelyus Prælect. Theolog. de sacram. matrim. q. 8 art. 1 collect. inst. theolog. t. 9 tract. de matrim. c. 7 §. 2, et alii, præsertim ex Gallicis scriptoribus; sed alii tamen negant, et horum opinionem *communioem* vocat Giralduus Expos. jur. Pontific. par. 1 sect. 340 p. 668. Illud animadvertere oportet, raptum, qui patratu est non tantum consentiente, sed etiam postulante, et suadente puella, impedimento non esse, quominus raptor cum ea contrahat matrimonium, sicuti à Sac. Congregatione Concilii responsum fuisse testatur Giralduus l. c. et par. 2 sect. 125 p. 999.—V. H. tit. 5 lib. 5 For. Judic., et tit. 10 lib. 4. Fori Regal.; leg. 5 tit. 20 Partitæ VII; leg. 1 tit. 21 lib. 12 Novis. Compil.; cap. 4 tit. 10 lib. 2 cod. pœn. novis.

145. Turpes, et iniquæ conditiones faciunt irritum matrimonium, modo ejus bono adverseantur. Ita si quis nubat adjecta lege, ut mulier suum corpus in quæstum conferat, ut partum abigat, ut matrimonium dissolvatur, faciunt hæ conditiones, ut nulla vis matrimonii sit (1). Ceteræ conditiones, licet turpes, et iniquæ sint, modo cum matrimonii bono non pugnent, haud illud vitiant, sed potius ipsæ vitiantur, ac despiciuntur, quasi adjectæ non fuerint (2).

- (1) Cap. 7 de condit. apposit.
- (2) Cap. 4 eod.

146. Denique irritum est matrimonium non contractum *in facie Ecclesie*, quod clandestinum dicitur. Hujusmodi matrimonia etiam ante Synodum Tridentinam prohibuit Ecclesia, quæ semper exegit præsentiam Parochi, ac testium; sed ea pridem subiciebat pœnis, non item infirmabat (1). Concilium Tridentinum cum adverteret ad damna gravissima, quæ ex his matrimoniis oriebantur, ea irrita declaravit (2); et ideo nunc nuptiæ non valent, nisi coram proprio Parocho, aut alio vel ejus, vel Episcopi mandato Sacerdote, ac duobus, tribusve testibus concilientur (3). Quod non pertinet ad eas regiones, in quibus Tridentinum Concilium receptum non est; nam ibi adhuc valent clandestina matrimonia, nisi quis tantum ut clam nuberet, eo se contulerit, relicto loco, in quo Tridentina lex obtinebat (4). Quod attinet ad ea matrimonia, quæ temere sunt contracta, omissis tribus denunciationibus (5), ea vetita quidem, et minus honesta, non tamen irrita sunt.

(1) Disputat ea de re accurate, et copiose Benedictus XIV. de Synod. Dioces. l. 3 c. 12.

(N. S. Andreas Albalatus in Constit. Syn. an. 1255, Constit. de Matrimonio, ita hac de re sanxit: *Prohibeant Sacerdotes, ne fiant clandestina Matrimonia, nec dent sibi ad invicem fidem de contrahendo Matrimonio, nisi coram Sacerdote, et coram pluribus hominibus; quia ex hoc multa mala consueverunt evenire.* Consonat Syn. Salmant. an. 1555, Cap. 9., Aranden-sis an. 1475 Cap. 17. Hispalens. an. 1512 Cap. 6 et 34: Jacobus II Aragoniæ Rex an. circiter 1521, capitali sententia puniendos sanxit clandestina Matrimonia contrahentes: ex Mss. Archiv. Barcinon., Ferdinandus V, Castellæ Rex, an. 1505, et Philippus II, an. 1565, clandestinum contrahentes relegandos, ipsorum bona Fisco adplicanda, eosque à parentibus hæreditatis jure exspoliari posse, decrevere: *Leg. 5 Tit. 2 Lib. 10 Novis. Compilationis.*—Hæc tamen lex novis. Cod. pœn. sanctionibus modificata est, ut ex istius lib. 2 tit. 12 cap. 2 apparet.

(2) Concilium Tridentinum sess. 24 de Reform. matrim. c. 1 Consule Pallavicinium histor. Conc. Trid. l. 22 c. 4 et l. 25 c. 9, ubi accurate explicatum habes, quam diligenter expensa sint omnia, antequam illud evulgaretur decretum, quo clandestina matrimonia irrita declarata sunt.

(3) Modo autem Parochus præsens sit, atque id, quod agitur, intelligat, matrimonium valet, etiam si casu repertus, aut aliam ob causam vocatus sit. Vide Benedictum XIV. de Synod. Dioces. l. 15 c. 25, ubi et alia multa habes, quæ ad hanc rem pertinent. Confer etiam Schmalzgrueber jus eccles. univers. l. 4 tit. 5 §. 5, ubi etiam late ostenditur, qualis, et quomodo Parochus præsens esse debeat. Similiter necesse non est, quod testes expresse sint vocati, ut præsentem matrimonio sint; sed etiam testes casu reperti apti et idonei sunt. Consule Schmalzgrueber l. c. §. 5 n. 254 et seq.

(N. S. Ubi vir, et mulier in diversis Parochiis degant, licet Syn. Trid. non definiverit, coram quo Parocho Matrimonium celebrandum sit, tamen ut plurimum ex peculiaribus locorum statutis coram Parocho mulieris Matrimonia celebrantur: I Syn. Prov. Neap. cap. 40. Tum vovnisi Parochus domicilii ad Matrimonium legitime advocatur: scilicet Parochus illius Parochiæ, in qua mulier, juxta communem, ac vulgarem loquendi modum, domicilium habere censetur: quamvis non ita fixum, ut perpetuo ibi manere intendat. Et ubi in duabus Parochiis ita inhabitet, ut in utraque ex æquo domicilium habere censeatur, poterit ex duobus Parochis alterutrum seligere.

Vagos quod spectat, qui proprium domicilii Parochum non habent, ex Syn. Trident. præscripto: 1 haud facile ad Matrimonia admittendi. 2 Parochis cavendum, ne illorum Matrimonii intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinerint. 3 Ubi alteruter ex sponsis fixum alicubi domicilium habeat, coram hujus loci Parocho Matrimonium est contrahendum; eo quod sic Tridentino decreto satis fiat, quod proprii Parochi præsentiam requirit. Porro 4 ubi uterque sponsorum revera vagus sit, ac neuter proprium esse ratione Parochum habere videatur, attamen coram Parocho omnino Matrimonium est contrahendum, ut validum sit. 5 Demum vagi ad Matrimonium non admittendi, nisi saltem atestationibus Pastorum, ubi novissimam sedem habuerint, probent se omni matrimonii, aut sponsalium vinculo esse solutos, item fere intelligas de exteris, et ignotis hominibus, quos non temere ad Matrimonium admittendos, nisi de eorum libertate, et denuntiatos quoque in sua fuisse Parochia, et Diocesi constiterit: Syn. Hispal. an. 1512, cap. 35:

Ordinarius vero (subicit Syn. Valent. an. 1565 sess. 2 tit. 2 cap. 26, alias 29) nisi præcedente informatione, qua de personarum qualitate, et statu certior fiat, eam facultatem nemini concedat. Cujus informationis, et causæ examinis Notarius in ipsa facultate mentionem faciat, alioqui mulctandus omnibus impensis, quæ in negotio tractando ob ipsius incuriam fient. Parochus, qui hoc decreto non paruerit, decem libras solvat. — (\* V. de hoc leg. 7 Jan. 1857. \*)

Parochus alteri Sacerdoti facultatem adstipendi Matrimonio, sive scripto, sive voce delegare potest: at vero requiritur, ut id speciatim exprimat: id quod præscripsit Jo. Archiepiscopus Tolet. in Syn. an. 1525 cap. 12, ut Parochus alteri possit Missæ nuptialis celebrationem delegare, adeo ut ex nonnullorum sententia satis data non censeatur, si Parochus generatim alicui det facultatem omnia Sacramenta administrandi. Episcopus etiam non modo ipse Matrimonio per universam Diocesim adstipere potest, verum et alteri etiam Sacerdoti id committere non vetatur, et quidem etiam invito Parocho: id quod non nisi raro, et gravi urgente necessitate faciendum, ne videatur Parochus veluti jure suo exspoliari.

Tres quoque, aut saltem duo testes requiruntur, qui Matrimonio simul præsentés sint, ut Matrimonium sit validum, ex ejusdem Trident. præscripto. Quum vero Tridentini Patres nullam testium qualitatem expresserint, hinc communiter tradunt Canonistæ, quoscunque testes admitti posse, modo mentis compotes, atque intelligendo sint, quid agatur. Neque enim satis est, ut Parochus, ac testes corporaliter sint præsentés, sed moralis etiam eorundem præsentia requiritur, id est, ut sciant, et intelligant, quid agatur, ipsorumque testimonio Matrimonium probari possit, uti ait Syn. Arand. an. 1475 cap. 47.

Animadvertere lubet, ut quia non ita pie, uti expediebat, de hujus Sacramenti dignitate sentiunt plerumque abjectæ plebis homines, doceant Curati plebes sibi commissas, quantum et Auctoris majestate, et temporis vetustate Matrimonium commendandum sit... Quod in lege Evangelica à Christo Domino confirmatum, et ejusdem Legis Sacramentum institutum, digne accedentibus ex ipsa Sacramenti ratione gratiam confert.... Doceant ergo non esse utcumque ad hoc Sacramentum accedendum, sed ea, qua decet, animi præparatione, ac proinde eos hortentur, ut antequam verbis de præsentibus contrahant, vel saltem ante nuptialem benedictionem, quam extra Parochialem Ecclesiam sumere non debent, peccata sua diligenter confiteantur, et Sacram. Eucharistiam pie, ac sancte suscipiant. Syn. laud. Valent. sess. 2 tit. 2 cap. 22 alias 23, in quo nihil quod ad hujus Sacramenti doctrinam spectet, omissum relictumve videtur. — \* Matrimonia in Ecclesia celebrari, præscripsit Syn. Valent. nuper citata (*ibid.*), et Hispal. modo quoque laud. cap. 20.\*

(4) Vide Benedictum XIV. l. c. l. 45 c. 4 n. 10, ubi habes declarationem ea de re editam à Sac. Congregatione Concilii, quam Urbanus VIII confirmavit.

(5) Vetus est lex Ecclesiæ, confirmata à Synodo Tridentina sess. 24. c. 1 de Reform. matrim., per quam omnium matrimonia, antequam conjungantur, tribus continuis diebus festis in Ecclesia publice inter Missarum solemnitas nuncianda sunt, ut ita, si quod forte latet, impedimentum detegatur. Concilium Lateranense in cap. 3 de Clandest. despons. Hæc edicta, sive denunciations repetit ex speciali nonnullorum locorum consuetudine, quam ubique servandam esse constituit. Cujacius in cap. 27 de Sponsal. et in cap. 5 de Clandestin. desponsat. opp. tit. 6 col. 1041 et 1055 ed. Murin. 1778.

præsertim apud Gallos hujusmodi consuetudinem viguisse tradit; sed eadem revera et in aliis locis obtinebat. Nam illas in Papiensi Ecclesia adhibitas testatur Gonzales ad c. 17 verb. Bannis de Sponsal. et in Africa etiam usitatas fuisse, ex Tertulliano monet Bohemerus ad c. 5 n. 21 de Clandest. despons. Quinimo à primæva Apostolorum institutione eam semper fuisse disciplinam, ut nuptiæ non clam, sed publice in facie Ecclesiæ, coram testibus, et de Episcopi sententia conciliarentur, facile colligitur ex S. Ignatio Ep. ad Polycarpum n. 5 apud Cotelerium PP. Apost. t. 2 p. 41 ed. cit. et Tertulliano l. 2 ad Uxor n. 8 et de Pudicit. n. 4 p. 171, 557 ed. Ven. 1744. Eadem est disciplina in can. 2 c. 50 q. 5, quem canonem exemplo Burchardi, et Ivonis Normisæ P. falso Gratianus adscribit; eadem in Capitularibus Regum Francorum l. 6 c. 155 et l. 7 c. 179 tit. 1 col. 632 et 709 ed. Baluzii Ven. 1772, et in canonibus Isaac Episcopi Lingonensis tit. 5 c. 6 apud Labbæum t. 10 Concil. col. 46 ed. Ven. Quanta vero sit harum denunciationum utilitas, ipsi etiam Protestantes noverunt, qui eas suis legibus pluries confirmarunt, uti ostendunt Menckenius de Omiss. proclamat. sacerdotal. thes. 1, et Bohemerus Jur. Paroch. sect. 4 cap. 5 §. 2.

(N. S. Andreas Albalatus const. Syn. an. 1255 de *Matrim.*, decrevit, quod per octo dies ante dicat Sacerdos in Ecclesia, sub pœna excommunicationis, quod talis vult ducere talem in uxorem. Et si sciunt impedimentum consanguinitatis, vel adulterii, vel adfinitatis carnalis, vel spiritualis, veniant coram eo; alias peccarent mortaliter.... Et Sacerdotes quærant ad ostium Ecclesiæ, si est aliquis, qui sciat impedimentum, et si dicatur non, desponsat eos per verba de præsentibus. Postremo Syn. Salmant. an. 1355, cap. 9: Vannia autem in Jure contenta, fieri volumus isto modo: quod contrahentes, vel veniant ad Ecclesiam, vel Ecclesiam foris ipsius, videlicet in Missat aut debita hora Missæ, ibidem populo congregato, prædicta Vannia, ut es, juris, per Presbyterum publicentur.)

Ubi sponsi diversæ sunt Parochiæ, in utraque Proclamationes, sive Denunciations faciendæ sunt: Eorum etiam, qui Matrimonium contrahere volunt, denunciations, non in alterius tantum, sed in utriusque Parochiis fiant, in quibus vel nati sunt, vel diuturnum domicilium constituerunt; et omnino ubi eorum conditio, et mores erunt notiores. Eas tamen publicas Denunciations, vel differre, vel omittere nulli Parocho liceat, nisi ex solius Episcopi, non autem Vicarii etiam Generalis auctoritate: Syn. Provinc. Tolet. an. 1582 Act. 3 Decret. 47 alias 48. Hodie tamen solius Vicarii Generalis auctoritate, vel omnes, vel earum aliquæ Denunciations dispensantur.

Post ultimum Denunciationum diem de diebus, quibus hæc factæ sunt, tum et de nominibus, cognominibus, patria, et contrahere volentium Parochia, deque impedimentis, si quæ fuerint opposita, Parochus filem faciat. Si vero post Denunciations intra bimestre tempus, nec ipse ut fidem faciat fuerit rogatus, nec Matrimonium celebratum fuerit, Denunciations denuo fiant, nisi aliter Ordinarius censuerit: Syn. Provinc. Neap. I et II.)



SECTIO X.

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS.

147. ANTIQUA IMPEDIMENTA IMPEDIENTIA FLURA NUMERO.—148. HODIE QUAE SINT.

147.

IMPEDIMENTA impedientia esse diximus, quae contractum matrimonium non dirimunt, sed tantum contrahendum impediunt. Sunt igitur cum his impedimentis minus laudabiles, et minus honestae nuptiae, irritae vero non sunt. Magnus olim horum impedimentorum numerus. Nam reus gravioris criminis, et qui publicam agebat poenitentiam, a nuptiis arcebatur (1); nec puellae nubere poterat, qui eam ad christianam religionem instituerat, qui patrinus catechismi dicebatur.

(1) Can. 5, 42 et seq. cap. 35 q. 2 cap. 2 de Poenitent. et remiss.

148. Nunc impedimentis impedientibus irrefiti sunt sponsi, qui cum sibi futuras nuptias promiserunt, nequeunt fidem fallere, et cum alio, aliave inire matrimonium; filii familias, qui sine parentum consensu nubere prohibentur (1); obstricti voto simplici castitatis, (a) quale est votum extra sacros ordines, aut extra religiosam professionem emissum; ignorant elementa christianae religionis (2); catholici conjungentes nuptias cum haereticis (3); nubentes omissis denunciationibus, aut extra tempus permissum, hoc est, a prima Dominica Adventus usque ad diem Epiphaniae, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschalis inclusive, ut ajunt, quo toto temporis cursu publicae, ac solemnes nuptiae interdictae sunt (4); vetiti a Summo Pontifice (5), vel ab Episcopo, aut Parocho certas inire nuptias oblatens impedimentum, quod subesse creditur, donec ejus suspicio removeatur (6).

(1) Concilium Tridentinum sess. 24 de Reform. matrim. c. 1. Qua in re Jus Canonicum abrogat Jus Civile, quod parentum consensum necessarium statuit ad vim matrimonii: Inst. de Nupt. in princ. l. 2, 10, 11 ff. de rit. nupt. l. 7, 12, 20. Cod. de Nupt. Sed obstat locus Pauli IC. Recept. sentent. l. 2 tit. 49 n. 2; qui etiam ex jure civili valere inquit matrimonia, quae a

filii familias sine parentum consensu contracta sunt. De hoc Pauli loco multae sunt doctorum virorum Cujacii, Gothofredi, Vinnii, Grotii, interpretationes, quas vide apud Antonium Schultingium ad eund. loc. n. 6, Jurisprudent. vet. ante-Justinian. t. 4 p. 300 ed. Lips. 1757, et Alexium Symmachum Mazochium in Dissert. Muscettulae de sponsal. et matrim. dub. 1 not. 5 p. 21 ed. Rom. 1766. Ecclesia autem, cujus tantum ea in re leges sequi debemus, haec quidem matrimonia inita a filii familias contra reverentiam, qua eos prosequi decet parentes suos, semper detestata est, sed ea tamen rata firma habet. Multi putant, Gallos eo jure uti, ut apud ipsos parentum dissensus impedimentum dirimens inducat. At longe alia Gallis plerisque mens est, ex quorum sententia defectus patrii consensus, secundum mentem regum Christianissimorum, non attingit contractus substantiam, sed tantum effectus civiles, uti ex Jueninio tradit Mazochius l. c. not. 42 p. 50. Argumentum hoc late, et diligenter pertractavit Franciscus Maria Muscettula peculiari dissertatione De Sponsalibus, et matrimoniis, quae a filii familias contrahuntur parentibus insecis, vel juste invitis, quam dissertationem Alexius Symmachus Mazochius doctis, copiosisque notis illustravit.—V. not. ad sect. 9 §. 116.

(a) De voto simplici castitatis in proposito, V. Syn. Tolet. III. can. 40.  
(2) Consule rituale Romanum tit. de matrim., S. Carolum Borromaeum in conc. provinc. mediolanen. V, par. 5 act. eccles. mediol. par. 1. p. 237, Benedictum XIV. const. Etsi minime 42 §. 41 t. 4 ejus Bullar. p. 68 ed. Rom. seu Ven. 1754, et de Synod. dioec. l. 8 c. 14.  
(3) Concilium Laodicenum can. 40 t. 1 collect. Harduini col. 784, can. 16 c. 28 q. 1, cap. 14 de haeret. in 6, Benedictus XIV. Const. Matrimonia 54 §. 5 t. 4 ejus Bullar. p. 55 cit. ed. Quemadmodum autem, et quibus legibus interdum a Sede Apostolica catholicorum cum haereticis matrimonia permittantur, late explicat Benedictus XIV. cit. const. 54, et const. Magnae nobis 51 p. 247 t. 2. Confer etiam eundem Benedictum XIV. de Synod. dioec. l. 6 c. 5, 6 et 7, ubi de matrimoniis, quae inter catholicos, et haereticos, quaeque inter haereticos contrahuntur, late disseritur.  
(4) Can. 8 et 11 c. 53 q. 4. Concilium Trident. sess. 24 de Reform. matr. c. 10. Vide etiam Fulgentium Ferrandum in Breviar. canon. n. 210, et Cresconium in Breviar. canon. c. 488; utrumque apud Pithæum Cod. canon. Eccles. Roman. p. 545 et 522. Multiplex autem erat olim hoc tempus, quo publicas, ac solemnes nuptias inire non licebat, uti patet ex can. 10 caus. et q. cit., quem canonem Gratianus tribuit Concilio Salegunstadiensi can. 3 apud Labbeum t. 11 col. 1451 ed. Ven. Sed nunc a Concilio Tridentino ita, uti diximus, arctatum est. Hoc autem tempore tantum publicas, ac solemnes nuptias vetitas, non item vetitum esse matrimonium, quod sine solemnitate conjungitur, omnes plerique sentiunt. Quare non datur sollemnis benedictio, neque item celebratur missa pro sponso, et sponsa, in qua eadem benedictio tribuitur, neque sponsa solemniter in viri domum traditur, neque demum caeterae solemnitates peraguntur. Confer Cabassutum jur. canon. theor. et prax. l. 5 c. 20 n. 8; et Benedictum XIV. Instit. eccles. 80 num. 3 seq. —V. Syn. Illerd. cap. 5 in Fragm.; And. Albalat. Syn. Valent. an. 1255 Const. de Matr.; leg. 48 tit. 2 Partitae IV; Syn. Arand. ad Durium, can. 16.

(5) Summus Pontifex, cum matrimonium vetat, etiam clausulas adjungere potest, per quas irritum fiat, si contrahatur cap. 4 de Spons. duor. Episcopi, et Parochi interdictum tantum impediens impedimentum inducit, donec in latens malum, et impedimentum inquiratur.

(6) Cap. ult. de Clandestin. desponsat. cap. 1 et 3 de Matrim. contract. contr. interdict. eccles.

SECTIO XI.

DE DIVORTIIS.

149. QUID DIVORTIUM, ET REPUDIUM?—150. QUOMODO SOLVATUR MATRIMONIUM CONSUMMATUM?—151. QUOMODO RATUM?—152. ET 153. QUIBUS DE CAUSIS TORI SEPARATIO FIAT?—154. ET 155. QUOMODO, ET QUIBUS SOLEMNITATIBUS EXPEDIENDA SIT?

149.

**M**ATRIMONIUM interdum solvi contingit, idque duobus modis, vel quoad ipsum vinculum, quo conjuges obstricti tenentur, vel tantum quoad torum, et mutuam habitationem. Jure Romano ipsa vinculi solutio divortium dicitur, et hoc facit potestatem novas ineundi nuptias, cum primæ solvantur. Differt divortium à repudio, quod hoc et in uxorem, et in sponsam cadit, illud tantum in uxorem; quoniam non recte dicitur sponsa divertere, cum divortium ex eo dicatur, quod in diversas partes eunt, qui discedunt (1). Jure Canonico et ipsa vinculi nuptialis solutio, et separatio tori, atque habitationis, quæ sit, integro vinculo, divortium appellatur.

(1) Leg. 101 ff. de Verb. signific. Consule Philippum Vicat Vocabular. jur. verb. Divortium.

(N. S. Secundas Nuptias Ecclesia nunquam improbat, et quidem ex Apostoli doctrina: 1 Corinth. 7 v. 39, et ad Rom. 7 v. 2. Attamen non defuere hæretici, qui secundas nuptias damnarent, uti Montanistæ: qua de re Tertullianus de Monogamia Cap. 4 Catholicos per sarcasum psychicos, hoc est carnales, et incontinentiæ deditos appellat. Novatiani quoque eandem hæresim amplexati sunt, uti constat et Syn. Nicæna, quæ Can. 8 Catharos, sive Novatianos ea conditione recipiendos decrevit; scilicet præ omnibus eos scriptis convenit profiteri, quod Catholicæ, et Apostolicæ Ecclesiæ Dogmata suscipiant, et sequantur; id est, et bigamis se communicare, et his, qui in persecutione prolapsi sunt.

Legibus Romanorum olim vetitum mulieri intra annum luctus secundo nubere; atquæ adeo mulieres hanc legem infringentes infamia notabantur, nec levibus multabantur pœnis; Leg. 1 et 2 Cod. de Secund. Nupt. Porro jura Decretalium mulier intra annum luctus nubens, nulli pœnæ sit obnoxia, neque ullam infamiæ notam contrahit: Cap. 4 de Secund. Nupt. Id quod pro Hispania nostra confirmavit Henricus III Castellæ Rex, Leg. 4 Tit. 2 Lib. 10 Novis. Compil.—(\* V. cod. pæn. novis. art. 400. \*)

filiisfamilias sine parentum consensu contracta sunt. De hoc Pauli loco multæ sunt doctorum virorum Cujacii, Gothofredi, Vinnii, Grotii, interpretationes, quas vide apud Antonium Schultingium ad eund. loc. n. 6. Jurisprudent. vet. ante-Justinian. t. 1 p. 300 ed. Lips. 1757, et Alexium Symmachum Mazochium in Dissert. Muscettulæ de sponsal. et matrim. dub. 4 not. 5 p. 21 ed. Rom. 1766. Ecclesia autem, cujus tantum ea in re leges sequi debemus, hæc quidem matrimonia inita à filiisfamilias contra reverentiam, qua eos prosequi decet parentes suos, semper detestata est, sed ea tamen rata firma habet. Multi putant, Gallos eo jure uti, ut apud ipsos parentum dissensus impedimentum dirimens inducat. At longe alia Gallis plerisque mens est, ex quorum sententia defectus patrii consensus, secundum mentem regum Christianissimorum, non attingit contractus substantiam, sed tantum effectus civiles, uti ex Juvenio tradit Mazochius l. c. not. 12 p. 50. Argumentum hoc late, et diligenter pertractavit Franciscus Maria Muscettula peculiari dissertatione De Sponsalibus, et matrimoniis, quæ à filiisfamilias contrahuntur parentibus insciis, vel juste invitis, quam dissertationem Alexius Symmachus Mazochius doctis, copiosisque notis illustravit.—\* V. not. ad sect. 9 §. 116. \*

(a) \* De voto simplici castitatis in proposito, V. Syn. Tolet. III. can. 10. \*

(2) Consule rituale Romanum tit. de matrim., S. Carolum Borromeum in conc. provinc. mediolanen. V. par. 5 act. eccles. mediol. par. 1. p. 287. Benedictum XIV. const. Etsi minime 42 §. 11 t. 4 ejus Bullar. p. 68 ed. Rom. seu Ven. 1754, et de Synod. diœces. l. 8 c. 14.

(3) Concilium Laodicenum can. 40 t. 1 collect. Harduini col. 784, can. 16 c. 28 q. 1, cap. 14 de hæret. in 6, Benedictus XIV. Const. Matrimonia 54 §. 3 t. 1 ejus Bullar. p. 55 cit. ed. Quemadmodum autem, et quibus legibus interdum à Sede Apostolica catholicorum cum hæreticis matrimonia permittantur, late explicat Benedictus XIV. cit. const. 54, et const. Magnæ nobis 51 p. 247 t. 2. Confer etiam eundem Benedictum XIV. de Synod. diœces. l. 6 c. 5, 6 et 7, ubi de matrimoniis, quæ inter catholicos, et hæreticos, quæque inter hæreticos contrahuntur, late disseritur.

(4) Can. 8 et 11 c. 35 q. 4, Concilium Trident. sess. 24 de Reform. matr. c. 10. Vide etiam Fulgentium Ferrandum in Breviar. canon. n. 210, et Cresconium in Breviar. canon. c. 188; utrumque apud Pithœum Cod. canon. Eccles. Roman. p. 515 et 522. Multiplex autem erat olim hoc tempus, quo publicas, ac solemnes nuptias inire non licebat, uti patet ex can. 10 caus. et q. cit., quem canonem Gratianus tribuit Concilio Salegunstadiensi can. 3 apud Labbæum t. 11 col. 1131 ed. Ven. Sed nunc à Concilio Tridentino ita, uti diximus, aretatum est. Hoc autem tempore tantum publicas, ac solemnes nuptias vetitas, non item vetitum esse matrimonium, quod sine solemnitate conjungitur, omnes plerique sentiunt. Quare non datur sollemnis benedictio, neque item celebratur missa pro sponso, et sponsa, in qua eadem benedictio tribuitur, neque sponsa solemniter in viri domum traditur, neque demum cæteræ solemnitates peraguntur. Confer Cabassutum jur. canon. theor. et prax. l. 5 c. 20 n. 8; et Benedictum XIV. Instit. eccles. 80 num. 3 seq.—\* V. Syn. Illerd. cap. 5 n. Fragm.; And. Albalat. Syn. Valent. an. 1255 Const. de Matr.; leg. 18 tit. 2 Partitæ IV; Syn. Arand. ad Durium, can. 16. \*

(5) Summus Pontifex, cum matrimonium vetat, etiam clausulas adjungere potest, per quas irritum fiat, si contrahatur: cap. 4 de Spons. duor. Episcopi, et Parochi interdictum tantum impediens impedimentum inducit, donec in latens malum, et impedimentum inquiritur.

(6) Cap. ult. de Clandestin. desponsat. cap. 1 et 3 de Matrim. contract. contr. interdict. eccles.

SECTIO XI.

DE DIVORTIIS.

149. QUID DIVORTIUM, ET REPUDIUM?—150. QUOMODO SOLVATUR MATRIMONIUM CONSUMMATUM?—151. QUOMODO RATUM?—152. ET 153. QUIBUS DE CAUSIS TORI SEPARATIO FIAT?—154. ET 155. QUOMODO, ET QUIBUS SOLEMNITATIBUS EXPEDIENDA SIT?

149.

**M**ATRIMONIUM interdum solvi contingit, idque duobus modis, vel quoad ipsum vinculum, quo conjuges obstricti tenentur, vel tantum quoad torum, et mutuam habitationem. Jure Romano ipsa vinculi solutio divortium dicitur, et hoc facit potestatem novas ineundi nuptias, cum primæ solvuntur. Differt divortium à repudio, quod hoc et in uxorem, et in sponsam cadit, illud tantum in uxorem; quoniam non recte dicitur sponsa divertere, cum divortium ex eo dicatur, quod in diversas partes eunt, qui discedunt (1). Jure Canonico et ipsa vinculi nuptialis solutio, et separatio tori, atque habitationis, quæ sit, integro vinculo, divortium appellatur.

(1) Leg. 101 ff. de Verb. signific. Consule Philippum Vicat Vocabular. jur. verb. Divortium.

150. Nuptiale vinculum difficilius solvitur, si consummatum. Facilius, si nondum consummatum matrimonium sit. Consummati matrimonii vinculum solvit mors naturalis conjugis, quo vita functo alias nuptias inire licet (1), et conversio conjugis infidelis; si nimirum alter ahuc infidelis sit, atque ab illo discedat, aut ejus mora injuriam religionis afferat, ac peccandi occasionem præbeat (2). Quod si conjugi, qui Christi fidem amplexus est, molestus non sit infidelis, divortium fidei non conceditur, ut nimirum alter alterius salutem procuret. Separato autem conjugio per Christianam Religionem ab altero susceptam, si deinceps etiam infidelis Christianus fiat, antequam alter novas nuptias conciliet, matrimonium redintegratur (3). Verum matrimonii vinculum non solvitur, si duo fideles conjugio juncti sint, atque alter eorum à fide discedat (4).

(1) Apostolus I. ad Corinth. VII. 39. Non defuerunt hæretici Montanistæ, atque alii, qui contra Ecclesiæ doctrinam, secundas nuptias vetitas dixerunt. Confer Jueninium de Sacram. diss. 10 q. 4 cap. 1 art. 2.

(N. S. Secundas Nuptias Ecclesia nunquam improbat, et quidem ex Apostoli doctrina: I Corinth. 7 v. 39, et ad Rom. 7 v. 2. Attamen non defuere hæretici, qui secundas nuptias damnarent, uti Montanistæ: qua de re Tertullianus de Monogamia Cap. 1 Catholicos per sarcasum psychicos, hoc est carnales, et incontinentiæ deditos appellat. Novatiani quoque eandem hæresim amplexati sunt, uti constat et Syn. Nicæna, quæ Can. 8 Catharos, sive Novatianos ea conditione recipiendos decrevit: scilicet præ omnibus eos scriptis convenit profiteri, quod Catholicæ, et Apostolicæ Ecclesiæ Dogmata suscipiant, et sequantur; id est, et bigamis se communicare, et his, qui in persecutione prolapsi sunt.

Legibus Romanorum olim vetitum mulieri intra annum luctus secundo nubere; atquæ adeo mulieres hanc legem infringentes infamia notabantur, nec levibus multabantur pœnis; Leg. 1 et 2 Cod. de Secund. Nupt. Porro jure Decretalium mulier intra annum luctus nubens, nulli pœnæ sit obnoxia, neque ullam infamiæ notam contrahit: Cap. 4 de Secund. Nupt. Id quod pro Hispania nostra confirmavit Henricus III Castellæ Rex, Leg. 4 Tit. 2 Lib. 10 Novis. Compil. — (\* V. cod. pœn. novis. art. 400. \*)

Negandum tamen non est, Ecclesiam secundas, ac potiori jure ultiores nuptias, nunquam non agnovisse tanquam incontinentiæ speciem præferentes, ipsosque nuptias iterantes eo nomine haud parum suspectos. Quinimo Patres nonnulli, præsertim Græci, opprobriosis quibusdam titulis trigamiam, ultioresque nuptias donarunt; uti speciosi adulterii, honestæ fornicationis, vitæ porcine etc. Athenagoras Legal. pro Christ.; Auctor operis imperfecti in Matth. Hom. 32; Nazianzenus Orat. 51 cap. 5. Tum Concilia, sancitis Canonibus, publicam nuptias iterantibus pœnitentiam infligere: uti Neocæsarensis Can. 5. Quæ pœna licet sequitis temporibus ablata sit, adhuc tamen Ecclesia ostendit non æque primas, ac secundas, ultioresque nuptias sibi probari; dum illas duntaxat, non autem has à Sacerdote speciatim benedicti jubet: Cap. 5 de Secund. Nupt. Tum Alexander III, ibid. Cap. 1 Capellanum, qui benedictionem secundis nuptiis impenderat, ab officio, beneficioque suspensum, cum litterarum Episcopaliū testimonio, ad Sedem Apostolicam destinari præcepit. Id confirmavit Cone. Vienneſe, et Syn. Prov. Salmant. an. 1555 Cap. 11, ex eo quod Sacramentum hujusmodi iterare non liceat. Hæc quidem pœna, et ad Sedem Apostolicam remissio, hodie in usu non est; passim tamen recentiores libri Rituales secundis nuptiis benedictionem haud impertiendam præscribunt: Rituale Romanum de Sacram. Matrim. Sed uniuscujusque loci consuetudo servanda est.

Quibusdam tamen spectatissimi nominis virorum viduis, Hispaniarum Ecclesia secundas nuptias prohibere decrevit, ea fortassis de causa, ut honestam præcedentis mariti memoriam illasam servarent. Syn. Tolet. I Can. 18 Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum viduas, continentes perseverare jussit, sub pœnâ excommunicationis, ad extremum usque vitæ tempus, ita ut bigamiæ legem à viris ad uxores transtulerint. Syn. Tolet. XIII. Can. 5. Regum etiam viduis totam alterius conjugii spem ademit. Quis enim, ait, æquanimiter ferat, defuncti Regis conjugem etiam Successoris alieno postmodum connubio uti?... Quid ergo si moriuntur Principes, numquid inhonorandas relinquunt sui corporis partes? Syn. Cæsaraugust. III, an. 691 Can. 5. prædictam Toletanæ Sanctionem confirmat; quin

etiam et in Cœnobio Virginum mancipandam esse censuit Regis Viduam, ut intra claustra Monasterii jugi sedulitate persistens, atque Sanctimonialiam vitam peragens, de Regno temporali... ad Regnum æternitatis mereatur pervenire).

(2) Apostolus I. ad Corinth. VII. 15 et seq. can. 4 et seq. cap. 20 qu. 1 cap. 7 de Divort. Monendus est autem conjux infidelis, num et ipse Christi Religionem amplecti velit, antequam hoc matrimonium dissolutum habeatur. Consule, qui ea de re copiose disputat, Benedictum XIV, de Synod. diœces. l. 15 cap. 21 n. 2 et seq.

(3) Cap. 8 de Divort.

(4) Cap. 7 eod.

151. Ratum matrimonium, præter alterius obitum, et infidelis conjugis conversionem, solvitur etiam auctoritate Summi Pontificis; qui ea tamen uti non solet, nisi causa cognita (1); et Religionis professione. Nam ut conjuges de meliori proposito deliberent, postquam matrimonium contraxerunt, non eo statim uti coguntur, sed habent duos menses, à quo temporis intervallo si eorum alter Religionem ingrediatur, in eaque professionem emittat, ita solvitur matrimonium, ut conjugi relicto suo lubitu liceat alias nuptias conciliare (2).

(1) Confer Benedictum XIV l. c. n. 4, et vide etiam ipsius Constitutionem Dei miseratione 55 § 15 tit. 4 ejus Bullar. p. 52 cit. ed., ubi declaratur, quomodo, et quo ritu matrimonium ratum à Sede Apostolica dissolvatur.

(2) Cap. 2, 7, 14 de Convers. conjug. Concilium Tridentinum sess. 24 can. 6 de Matrim. Tridentinum hunc canonem, et Pontificias illas leges, quibus statutum est, matrimonium ratum, non consummatum, dirimi per solemnem Religionis professionem, carpere ausus est Petrus Suavis, sive Paulus Sarpus, aut Marcus Antonius de Dominis, quisquis sit auctor historiae Concilii Tridentini. Sed omnia hujus scriptoris commenta, et sophismata, præter cæteros, solide, graviterque refutavit Carolus Blaschus Diatrib. 4 pag. 205 seq. Vide etiam Tournelyum Prælect. theolog. de Sacram. matrim. q. 5 art. 2.—Ad rem est lex 3 tit. 4 Partitæ IV.

152. Tori, seu habitationis separatio minorem quoque habet difficultatem; quoniam et mutuo consensu conjugum, et altero invito fieri potest. Mutuo consensu sit, cum uterque conjux castitatem vovet, aut approbatam Religionem proficitur (1). Altero autem invito plures sunt divortii causæ; nimirum si alter conjugum in hæresim, aut in idolatriam prolabatur (2); si ea conjunctio peccatum parere, aut disjunctio emendationem asserre possit (3); si gravem in uxorem sævitiam maritus adhibeat (4); si alter conjugum adulterium, aut infandæ veneris scelus commiserit (5).

(1) Cap. 4 et 4 de Convers. conjug. Qua in re illud decet animadvertere,

non cogi uxorem religiosam professionem emittere, cum in ea ætate est, ut sine suspicione in communi hominum societate versari possit, modo extra religionem castitatem voveat; cogi autem omnino, cum florens ætas facit huic suspitioni locum.

(2) Cap. 2, 6, 7 de Divort. can. 5 cap. 23 q. 1.

(3) Cap. 2 de Divort. cap. 5 de Adulter.

(4) Cap. 8 et 15 de Restit. spoliat. can. 6 cap. 51 q. 1 Verum si maritus caveat de non vexanda uxore, neque tanta sit ejus sævitia, ut satis caveri posse videatur, eam ob causam tori separatio non conceditur.

(5) Quin debet maritus uxorem adulteram, nisi pœnitentiam egerit, ab se remove; can. 4 et 6 c. 52 q. 1; sed post actam pœnitentiam eam recipere potest; can. 7 eod. cap. 5 de Adulter. Vide etiam Herman Pastorem l. 2 Mandat. 4 apud Cotelierium PP. Apostolic. tit. 1 p. 87 ed. Amstelæd. 1724.

(N. S. Matrimonium æque jure naturæ, ac Divino individuum, probat ipsa Matrimonii divina institutio. Scilicet mulier, ex costâ viri condita, ipsi viro ea ratione in adiutorium data est, ut duo essent in carne una; hoc est, ætissima, et perpetua conjuncti necessitudine: Genes. II. v. 24. Attamen, æque apud Gentes, ac apud Hebræos divortia recepta sunt. Apud Gentes quidem, ex morum corruptela; apud Hebræos vero, quod Deus eorum pervicaciam dissimularit: unde Hebræis divortia permessa quidem, seu potius tolerata; haud vero concessa. Tandem Christo Domino reservatum erat conjugium ad pristinam integritatem, ac sanctitatem restituere. Quod Deus conjunxit, homo non separet... Moyses, ad duritiam cordis vestri, permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Divortium autem, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mæchatur; et qui dimissam duxerit, mæchatur: Matth. XIX, v. 8, et 9.

Quod vero *ibid.* Christus addat: *Nisi ob fornicationem*: hinc gravis inter antiquos Patres exarsit controversia, quidnam fornicationis nomine intelligendum; aliis quodcumque enorme mulieris crimen interpretantibus, uti non adulterium modo, verum et homicidium, veneficium etc. ita Origenes *Hom. 7 in Matth.* aliique apud Augustinum *Retractat. Lib. 1 cap. 49*; aliis contra Evangelii verbis litteralem, puram, putamque significationem adfigentibus: scilicet *fornicationis* vocabulum non nisi veram, carnalemque fornicationem, sive adulterium esse. Profecto altera isthæ interpretatio magis videtur fuisse apud Patres, veteresque Interpretes recepta. Et sane apud Hispanos Patres non alia fuisse videtur opinio, ut evincitur ex Syn. Tolet. XII *Can. 8*, his verbis: *Præceptum Domini est, ut, excepta causa fornicationis, uxor à viro dimitti non debeat. Et ideo, quicumque, citra culpam criminis prædicti, uxorem suam quacumque occasione reliquerit, quia quos Deus jungit, ille separare disposuit, tandiu ab Ecclesiastica communione privatus, et à cœtu omnium Christianorum maneat, quamdiu et ad societatem relicte conjugis redeat, et partem sui corporis honesta lege conjugii sinceriter amplectatur, et voveat.*

Jam vero gravior inde exstitit quæstio: scilicet, num inducto causa adulterii, aliaque legitima divortio, novas inire nuptias integrum conjugibus, vel saltem viro haberetur? Nonnulli quidem ex antiquis Patribus, uti Lactantius *Divin. Instit. 6 25*, Epiphanius *Hæres. 59 n. 4*, Basilius *Can. 9 ad Amphilocheum*, tum et Concilia quædam, præsertim Gallicana, uti Compendiense *Can. 19 Caus 52 Q. 7*, Vermeriense *ibid. Can. 24*, Capitularia Regum Francorum V. 19, in eam videntur abiisse sententiam, scilicet, per adulterium ipsum conjugii vinculum prorsus abrumpi, novasque contrahere

nuptias licere. Christiani quoque Principes suis legibus plures constituerunt, tanquam legitimas repudii causas: uti non adulterium modo, homicidium, veneficium, verum et sepulchrorum violationem, monachatum, captivitatem ultra quinquennium etc. Porro has Imperatorias leges, ubi ex levioribus causis repudia concedunt, Evangelio satis evidenter adversari, nemo non videt. Fortasse Principes ad evitandos tristes eventus, hujusmodi divortia tolerarunt.

At opposita sententia communior videtur fuisse in Ecclesia, atque adeo perpetua traditione custodita. Profecto Origenes *ibid.* docet, contra Scripturæ sensum agere, qui nuptias post divortium concedunt. Idem tradunt Synod. Hiberit. *Can. 9*, per hæc verba: *Fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum duxerit, non prius accipiat Communionem, quam is quem reliquit de seculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.* Hieron. *Epist. 50, 147.* Innocentius I. *Epist. ad Ezuperium cap. 6.* Concilium Milevit. *Can. 17*, Augustinus de bono Conjugali *Cap. 7, et alibi.* Quinimo Augustinus totus in eo est, ut ostendat, et quidem rationibus, tum è Sacris Litteris, tum ob mysterium unitatis Christum inter, et Ecclesiam quæ in Conjugio elucet, individuam Matrimonii societatem nullo pacto posse adulterio dissolvi. Eandem doctrinam pleraque Concilia probarunt, et Leges civiles, scilicet *Lex. 5 Tit. 2 Lib. 5 For. Jud.*, atque sequentis temporibus recepta evasit Latine Ecclesiæ sententia. Unde Conc. Trident. *Sess. 24 de Sacram. Matrim. Can. 7*, in hunc modum decrevit: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, quum docuit, et docet, juxta evangelicam, et apostolicam doctrinam, propter adulterium, alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi: et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mæcharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit; et eam, quæ dimisso adultero, alii nupsit: anathema sit.* Porro isthoc Canone Latine Ecclesiæ doctrina, tanquam Fidei Dogma sancita non est; quod Patres, Venetis Legatis intercedentibus, præstitisse, ne Orientales Ecclesiæ (quæ antiquum adhuc servant institutum concedendi propter adulterium, aliasque causas divortia, et novas nuptias) ea definitione offenderentur, auctor est Pallavicinus *Hist. Conc. Trident. Lib. 22 cap. 4. V. Syn. Prov. Valent. an. 1565. Sess. 2 tit. 2 cap. 28*).

153. Verum propter adulterium separatio non permittitur, si mulier invita fuerit compressa (1); aut vir deceptus, quod aliam mulierem, uxorem putaverit (2); vel si uterque conjux ejusdem criminis reus sit (3); vel si vir aut opera, aut hortatu causa adulterii fuerit (4), vel si crimen remisit uxori, cum qua concubuerit, licet ejus culpam non ignoraret (5).

- (1) Can. 5 c. 52 q. 5.
- (2) Can. 6 c. 54 qu. 1, ibique Glossa.
- (3) Cap. 6 et 7 de Adulter.
- (4) Cap. 6 de Eo qui cognov. consanguin. uxor.
- (5) Can. 4 c. 52 q. 1.

154. Quæunque autem fuerit causa, non proprio arbitrio,

sed re primum diligenter cognita, et ecclesiastici judicis sententia, conjuges separantur (1). Quod faciendum in primis est, cum agitur de vinculo matrimonii, quod non facile, nec temere dirimendum est. Quare ob impedimentum dirimens matrimonium solum haberi non potest, nisi primum ea de re sedulo quæsierit judex ecclesiasticus (2), atque edita sententia solum declaraverit.

(1) Confer Benedictum XIV, de Synod. diœc. l. 9 c. 9 n. 4.

(2) Concil. Tridentinum sess. 24 c. 20 de Reform. matrimoniales causas Episcopi judicio commisit, Prælati inferioribus generatim exclusis. Hinc Benedictus XIV. causas matrimoniales eorum, qui subsunt capitulo Veronensi, non ab ipso capitulo, sed ab Episcopo Veronensi judicandas esse decrevit in constit. Regis Pacifici 59 §. 29 t. 4 Bullarii sui p. 285 ed. Rom. seu Ven. 1753; quemadmodum et similes causas non ab Abbate Cryptæ Ferratæ loci Ordinario, sed ab Episcopo Tusculano cognosci voluit in constit. Inter multa 55 §. Tertium t. 2 p. 170.

155. Quod judicium certo ritu expediendum est, ne quid in re gravissima inconsiderate, ac negligenter fiat. Nimirum in omnibus his controversiis publicus matrimonii Defensor esse debet, sive uterque conjux, sive alter tantum solutionem postulet, eoque citato gerenda sunt omnia, ut judicium valeat. Si judex ratum firmum habendum esse definiverit matrimonium, neque quis ab ea sententia appellaverit, etiam matrimonii Defensor abstinere se à judicii progressu debet; verumtamen ejus est provocare ad judicem superiorem, cum sententia contra vim matrimonii lata est. Altera sententia si matrimonium similiter irritum declaretur, necesse non est longiori judicio experiri, et tunc eo finito conjuges, qui interim, dum fervebat judicium, novas nuptias inire prohibebantur, ad eas transire libere possunt. Semper tamen integrum est, etiam postquam duabus sententiis infirmatum est matrimonium, redintegrare judicium, quoniam hæc sententiæ vim nunquam accipiunt rei judicatæ (1).

(1) Cuncta hæc, quæ pertinent ad cognoscendas causas matrimoniales, earumque judicia expedienda, accurate, lateque explicantur à Benedicto XIV. in constit. Dei miseratione 25 t. 1 ejus Bullarii p. 49 ed. Romæ seu Ven. 1752; quam constitutionem ipse Benedictus memorat in constit. Si datam 47 t. 2 Bullarii p. 256, et in constit. Etsi matrimonialis 51 t. 4 p. 213.

TITULUS III.

DE INDULGENTIIS ET REMISSIONIBUS.

1. INDULGENTIARUM FOSS. ET EFFECTUS.—2. INDULGENTIE PLENARIE, VEL PARTIALES.—3. EARUM CONCEDENDARUM POTESTAS PENES ECCLESIAM.—4. VARIE EARUM SPECIES.—5. EARUM DEN FINIS.—6. INDULGENTIE PRO VIVIS, ET DEFUNCTIS.

**H**ABET Ecclesia thesaurum inexhaustum, conflatum ex infinitis Christi meritis, Sanctorumque satisfactionibus (1), unde depromit Indulgentias, quibus remittit pœnas temporales, quas pœnitentes subire, et quibus sua scelera expiare debent. Sacramentalis absolutio veniam peccati tribuit; Indulgentiæ reum criminis liberant à pœnis temporalibus, in quas æternæ vi sacramentis commutantur (2). Utraque potestas à Christo data Ecclesiæ est (3), et ea usus Apostolus, veniam peccati dedit, et pœna solvit Corinthium, quem pridem ab Ecclesia eiecerat (4).

(1) Extravag. 2 de Pœnit. et remission. int. Communes. Vide etiam Benedictum XIV. in constit. Peregrinantes 17 §. 4 t. 3 ejus Bullarii p. 75.

(2) Non desunt Theologi, qui per indulgentias tolli posse peccata venialia, etiam quoad culpam, existimant; sed hæc valde dubia sententia est, neque sanæ Theologiæ rationibus convenit, quod ostendunt Passerinus de Indulgent. qu. 7 n. 82, et Theodorus à Spiritu S. eod. tract. t. 4 c. 5 §. 1. Hinc si quæ occurrunt indulgentiarum formulæ, quibus quis à culpa, et à pœna liberari dicitur, eæ vel falsæ haberi debent, uti monet Benedictus XIV. de Synod. diocæs. l. 13 c. 13 n. 7, vel tribuendæ sunt eleemosynariis quæstoribus, quos increpat Clemens V. in Clem. 2 de Pœnitent. et remiss. Si quæ autem reperiuntur indulgentiæ, in quibus ex. gr. quarta, aut septima pars venialium peccatorum remittitur, qualis est indulgentia data ab Urbano III. apud Du-Cangium Glossar. med. et infim. Latinit. verb. Indulgentia, eæ referendæ sunt ad remissionem pœne temporalis, et huc illa spectat Urbani Indulgentia, uti patet ex ejus verbis, quæ describit Lucas Dacherius t. 5 Spicilegii p. 535 ed. Paris. cit.

(3) Concilium Tridentinum sess. 25 in Decret. de Indulgent. Confer Theologos, atque inter ceteros, Jueninium de Sacram. Diss. 15 qu. 1, qui de vi Indulgentiarum, deque earum concedendarum à Christo Ecclesiæ data potestate contra Lutherum, Zuinglium, Calvinum, ceterosque hæreticos copiose disputat; et consule Amortum *Histor. Indulgentiar.*, et Theodorum à Spiritu S. de *Indulgentiis*, qui latissime de Indulgentiis agunt. Videndæ præterea sunt *les Conférences de Luzon*, tom. 7, ubi multa, et egregia de In-

dulgentiis occurrunt, et hic porro tractatus nuper in Italicum sermonem conversus descriptus est in Diario Ecclesiastico Romano «Supplemento dell' anno 1790 per i mesi di Marzo, Aprile, Maggio, e Giugno.»

(4) Apostolus H. ad Corinth. II., quem in Pauli locum vide Chrysostomum Hom. 4 in 2 ad Corinth. opp. t. 10 p. 454 ed. Paris. indic., Ambrosium, Anselmum, Thomam, aliosque [apud Cornelium à Lapide in Paul. ep. 2 ad Corinth. c. 2, qui cuncti illum de plenaria indulgentia interpretantur. Præclarum illud indulgentiæ exemplum reliquit Joannes Apostolus, qui juvenem latronem, et homicidam Ecclesiæ restituit, ut narrat Eusebius *Histor. Eccles. l. 5 c. 25 p. 99 ed. Taurin. 1746.* Confer etiam Jueninium l. c. cap. 2, qui illum Pauli locum diligenter expendit.

2. Indulgentia vel integram relaxat pœnam, vel ejus partem, et ideo vel plenaria, vel partialis est. Jus concedendi in indulgentias à Christo datum est Apostolis, eorumque successoribus, quibus potestas ligandi, et solvendi, in qua illud continetur, concessa est. Sed quoniam Episcoporum potestas subest Romano Pontifici, qui illius exercendæ modum constituit (1), jure suo Pontifices Maximi, pro supræma potestate sibi in Ecclesia universa tradita, sibi plenarias indulgentias reservarunt, ac tantum partiales Episcopis permiserunt (2). Quare unus Romanus Pontifex plenarias indulgentias tribuit, Episcopi tantum partiales; et vero ab ipsis in Ecclesiæ dedicatione unius anni, in cæteris vero temporibus quadraginta dierum indulgentia tribuitur (3). Jure extraordinario, et delegato etiam Presbyteri, imo et inferiores clerici indulgentias elargiuntur; quin etiam interdum Summus Pontifex Vicariis Apostolicis plenarias indulgentias permittit (4).

(1) Confer quæ scripsi in Prolegomenis c. 2 §. 20 p. 19; et confer, quem eo loco laudavi, Petrum Ballerinum. Atque huc etiam redeunt ea, quæ supra dixi de Summi Pontificis potestate in Ecclesia universa, deque jure, quod habet, arcuandi Episcopalem jurisdictionem. Ex his autem, atque ex cæteris harum Institutionum locis satis patere arbitror, quid ego revera sentiam de Primatu Summi Pontificis, deque ejus in tota Ecclesia potestate. Sed Scriptores Annalium Ecclesiasticorum Florentiæ, primum, me immerito reprehendunt, quod nimis late hujus Primatus jura explicaverim; deinde aliam mihi sententiam adscribunt, meque immerito similiter laudant, quasi harum Institutionum l. 1 t. 5 sect. 1 prim. ed., Primatus jura arcuare voluerim. Præsertim vero appellant §. 14 not. 6 ejusd. ed., ubi egi de jurisdictione Summi Pontificis potestate, atque ita hunc locum explicant, quasi negarim, etiam omissis mediis iudiciis, ad Pontificem provocari posse. Sed ego eo loco ne attigi quidem hanc disputationem, quam integram servavi lib. 5, ubi ostendam, etiam medio Judice prætermissa, recte ad Primatem totius Ecclesiæ provocari. Ordinarius quidem iudicii cursus est, ut gradatim appellatio fiat, ac medius iudex non negligatur, antequam controversia deferatur ad summum omnium Rectorem, cujus iudicium soli Deo subicitur; et huc referendus est Innocentius I., cujus ibi descripsi locum. Sed non inde

efficitur, quod Summus Pontifex eodem jure, quo aetat Episcoporum jurisdictionem, ex eaque subtrahit certos subditos, eodem inquam vocare ad se non possit controversias, et ita de iis rebus agere prohibeantur mediis Judicibus, qui Primatis, cui subsunt, imperio parere debent. Agam ea de re copiose Libro 5, ut Annalium Scriptores intelligant, mihi de his appellationalibus ad Summum Pontificem interponendis fixam esse, certamque sententiam. Primatus autem jura, ut pluribus ostendi harum Institutionum locis, patere confirmo quam latissime, et prorsus assentior Bellarmino, Baronio, Mamachio, Ballerino, ceterisque similibus doctissimis viris, quorum pluries opera laudavi.

(2) Concilium Lateranense can 62, qui canon descriptus est in Corpore Juris Canonici cap. 14 de Pœnitent. et remiss., Martinus V, in Bulla quæ incipit Inter cunctas, quæque approbante Constantiensi Concilio edita est contra errores Wiclei, et Joannis Hassi, extatque t. 6 concil. col. 751 coll. Labb. ed. Ven. Consule Bellarminum de Indulgent. l. 1 c. 11 controv. t. 2 opp. p. 584 ed Ven. 1721, et Benedictum XIV, de Synod. Diœces. l. 2 c. 9 n. 7. Multa etiam, atque præclara de Indulgentiis, deque Summi Pontificis in iis concedendis potestate, habet Mamachius contra auctorem opusc. *Quid est Papa?* Ep. 5 §. 6 t. 2 p. 48 et seq., et doctissimus Cardinalis Gerdilius « Confutazione di due libeli contro il Breve *Super soliditate* » t. 4 p. 87 et seq.

(3) Cap. 14 de Pœnitent. et remiss., cap. 5 eod. in 6.

(4) Benedictus XIV. const. Apostol. 16 §. 25 p. 66 t. 4 Bullarii indic. ed. Ita etiam Cardinalibus de latere Legatis, qui jussu Summi Pontificis anno Jubilæi aperiunt, clauduntque portas sanctas, plenariæ indulgentiæ permittuntur: Benedictus XIV. Constit. Nemo 25 §. 9 p. 146, et Const. 26 p. 151 t. 5 cit. ed. Solent quoque Episcopi, uti monet ipse Benedictus XIV. de Synod. diœces. l. 5 c. 1 n. 5, saltem cum primam agunt Synodum, plenarium à Summo Pontifice indulgentiam impetrare illis, qui una ex tribus Synodi diebus Ecclesiam cathedralem visitaverint. Quod etiam à Sede Apostolica concedi solet semel in anno ea die, qua Episcopi jussu generalis communionis fit in Ecclesia Cathedrali cum sacræ, ut vocant, *Missiones* habentur; cum Episcopus prima vice Pontificalia exercet in Ecclesia Cathedrali, et in insignioribus diœcesis Ecclesiis; ea die, qua prima vice cathedralem Ecclesiam, vel aliquam ex Ecclesiis locorum insigniorum diœcesis visitat. Similiter ab eadem Sede Apostolica Episcopis bis in anno facultas tribuendi populo Pontificiam benedictionem cum plenaria Indulgentia conceditur.

3. Indulgentias ii tantum consequuntur, qui ab omni lethalis peccati labe expiati, satisfaciunt universis operibus, quæ præscripta sunt ab eo, qui illas elargitus est (1). Fuisse semper penes Ecclesiam potestatem concedendi indulgentias, certum est; sed usus hujus potestatis, qui totus ab Ecclesiæ judicio pendet, pro rerum, temporum, personarum ratione, multiplex, variusque fuit (2). Initio justæ concedendarum indulgentiarum causæ erant libelli martyrum (3), reditus hæreticorum ad Ecclesiam, imminens in Christianos persecutio, ferventius agendæ pœnitentiæ studium (4).

(1) Vide Bened. XIV. const. Accepimus 6 t. 2 p. 19. Bullarii land. ed. Proponuntur Indulgentiæ contritis, et confessis, sacraque communione relectis; hinc quæsitum est, num actualis confessio, et sacramentalis communio necessaria sit, ut quis indulgentiam consequatur. Ea de re variae sunt intelligentium hominum opiniones; sed omnem dubitationem sustulit Benedictum XIV. const. Inter præteritos 21 §. 2 ad 7 p. 99 et seq. t. 5 ejus Bullar., qua definitum est, necessariam esse actualem confessionem, et sacramentalem communionem ut acquiratur indulgentia, quæ pro confessis, et sacra communione relectis concessa est.

(2) Consule Papebrochium in Responsionib. ad P. Sebastianum à S. Paulo, respons. ad art. 14 n. 22.

(3) Ferventibus persecutionibus Confessores, qui carceribus detinebantur, libellos dabant ad Episcopos, quos rogabant, ut lapsis pœnitentiam, vel ejus partem remitterent, pacemque darent: Tertullianus ad Martyres c. 4 p. 457 ed. Paris. 2675, Cyprianus ep. 11, 21, 22, 25, p. 24, 53, 54, ed. Paris. 1666, et alibi præsertim libro de Lapsis. Videndus ea de re Morinus de Administr. pœnitent. l. 9 c. 26. Magna vis erat eorum libellorum, qui valebant etiam jam sedatâ persecutione, mortuisque martyribus, uti recte ostendit Albaspinæus l. 1 Observ. 20 p. 52 ed. cit.

(4) Integrum erat Episcopis pœnitentibus, quorum maximus erat in agenda pœnitentia fervor, et studium, tempus contrahere, ac *de ipsis aliquid humane cogitare*, uti loquitur Synodus Nicæna can. 12 col. 350 t. 4, idemque habet Synodus Ancyrana can. 2 et 5 eod. t. 4 col. 271, 272, collect. Harduini.

4. Labentibus annis invaluit redemptio pœnitentiarum elemosynis, quæ aut in pauperum subsidium, aut in ædificandas, reparandasve ecclesias convertebantur; tum etiam data indulgentia per Missarum sacrificia, aliaque suffragia, vel sacras peregrinationes, aut pia opera, quæ ab Ecclesiarum Prælatibus imponebantur (1). Sæculo XI, polissimum in Ecclesiæ dedicatione Indulgentiæ concedebantur (2), eademque ætate tributæ sunt illis, qui captis armis contra infideles, Hierosolymitanum iter susciperent (3). Denique Bonifacius VIII plenam indulgentiam attribuit iis, qui certis vicibus Apostolorum ecclesias visitarent (4), quæ est indulgentia Jubilæi (5), centesimo quoque anno initio constituta, deinceps vero à Clemente VI vocata ad annos quinquaginta, ab Urbano VI ad annos tres ac triginta, à Paulo II ad annos vigintiquinque.

(1) Hujusmodi pœnarum redemptiones memorant Concilium Triburiense an. 895 can. 56 col. 455 t. 6 Collect. Harduini, Ratherius Veronensis Orat. Synod. ad Presbyter. n. 9 col. 416 ed. Veron. 1765., atque alii bene multi.

(2) Benedictus IX, ut tradit Mabillonius Præf. in sæc. V. Benedictin. n. 109 p. 55 t. 7 ed. Ven. cit. an. 1040 indulgentiam tribuit omnibus, qui se ad Ecclesiam S. Victoris Massiliensis recenter dicatam contulissent; eamque indulgentiam concessit Alexander II in Cassinensis Ecclesiæ dedicatione tum iis, qui tunc præsentibus erant, tum reliquis omnibus, qui per octo con-

tinuos dies eo convenirent, uti patet ex Chron. Cassinens. l. 5 c. 51. Similis data venia est an. 1098. ab Urbano II visitantibus Ecclesiam S. Nicolai Andegavensis, quam ipse dicaverat, eodemque modo Calixtus II an. 1120 dedicata Maurianensi prope Stampas Ecclesia, uti narrat Duchesinus Hist. Franc. t. 4 p. 569., annuam peccatorum remissionem in dedicationis anniversario die constituit, quod et consequentes Pontifices præstiterunt.

(5) Alexander II, ut tradit Malaterra de Rebus gestis à Roberto Guiscardo Calabriae Duce aliisque l. 2 c. 55 in Schotti Hispan. illustr. t. 5., contra Infideles in Sicilia pugnantes anno 1065. indulgentiam largitus est, deinde Urbanus II in Concilio Claromontano an. 1096, can. 2. apud Labbæum t. 10 concilior. col. 507, plenam attribuit veniam omnibus, qui captis armis contra infideles irent ad Terram Sanctam, ut eam recuperarent. Quam indulgentiam omnium, quæ plenariæ sunt, antiquissimam putat Cardinalis Thomasius in Commentar. de Concess. Indulgent. opp. t. 7 p. 126 ed. Rom., quam accurate, et erudite perficiendam curavit Antonius Vezzosi, Collega olim meus in Romana Academia, vir præstans ingenio, doctrina, pietate singulari, mihi quæ, dum vixit, amicissimus. Sed alia plenariorum, ut videntur, Indulgentiarum exempla Urbano II antiquiora sunt apud Schelestratum in Act. Eccles. Orient. t. 2 diss. 4 c. 5 p. 761 et seq. et Amortum Hist. Indulgent. par. 1 sect. 2 p. 46 ed. Ven. sect. 4 p. 105 et sect. 7 p. 155. Urbani Indulgentiæ similem, quam S. Bernardus Ep. 426 opp. t. 4 p. 519 ed. Mabilonii Ven. 1781. largissimam veniam appellat, Eugenius III. iisdem Cruce signatis imperiis, uti patet ex ipsius Bernardi Ep. 565 p. 276; quod exemplum et alii Summi Pontifices sequuti sunt.

(4) Centenariam hanc indulgentiam, quæ Jubilæi nomine appellatur, primum à Bonifacio VIII institutam fuisse, plerique arbitrantur; verum ejus ætate antiquiorem esse, ostendit Jacobus Cajetanus Diaconus Cardinalis S. Gregorii ad velum aureum in tract. de Centesimo seu Jubilæo anno in Biblioth. PP. t. 25 p. 956 ed. Lugdun. Omnium accuratissime, copiosissimeque de anno Jubilæi, sive anno Sancto, peculiari opere Romæ edito anno 1775. diserit Cl. Zaccaria.

(5) Hebræi quinquagesimo quoque anno habebant annum Jubilæi, Levit. c. 25., et hic porro annus in sacris literis appellatur annus remissionis, sanctificationis, et quietis; Annus hic aliquo modo imago fuit Jubilæi, quem postea Romani Pontifices instituerunt. De origine hujus vocis Jubilæi late disputat Calmetus in Levit. l. c.

5. In concedendis indulgentiis adhibenda est moderatio; quoniam effusa liberalitas pœnitentiam enervat. Itaque ante oculos habenda sunt exempla veterum Patrum, qui respectu habitato ad dolorem, atque ad lacrymas pœnitentium, indulgentias concedebant (1). Quavis vero de causa dentur indulgentiæ, non eas certe largitur Ecclesia, ut foveat pœnitentium ignaviam, sed ut nostram imbecillitatem erigat, atque excitet (2). Itaque non desides nos, et ignavos esse oportet, cum vocamur ad cœlestem thesaurum accipiendum; sed omni ope enitendum est, ut dignos pœnitentiæ fructus facientes, Deoque pro nostris criminibus satisfacientes, studio obsecundemos Ecclesiæ, quæ omnem nobis opem ferre conatur, ut æternam gloriam consequamur (3).

- (1) Concilium Tridentinum sess. 25. in decret. de Indulgent.  
 (2) Consule Baronium ad an. Chr. 1075. n. 71 t. 17 p. 571 ed. Luc. Pallavicinum Histor. Concil. Trident. l. 24 c. 12 n. 6., Bellarminum de Indulgent. l. 4 c. 42 §. Ad tertium opp. t. 2. p. 587 ed. Ven.  
 (3) Consule Juvenium de Sacram. dist. 12 qu. 5 c. 5. et qu. 5 c. 1 et 2., Baronium ad an. 1075 n. 71 t. 17 p. 571. ed. Lucæ, Pallavicinum Histor. Conc. Trident. l. 24 c. 12 n. 6., et Benedictum XIV, Instit. Eccles. 55 §. 11.

6. Prosunt indulgentiæ tum vivis, tum illis, quos vita defecit, sed his per suffragii, illis vero per absolutionis modum (1). Nunciandæ autem sunt ab Episcopo cum duobus Canonicis, et oblata à Fidelium pietate elemosynæ, nulla prorsus accepta mercede, colligendæ sunt. Quod sanctissime, et providentissime sancitum est à Synodo Tridentina (2), ut omnes intelligant, hos cœlestes Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri. Ideo sublatis sunt elemosynarum Quæstiones, qui suo sæpe abusi munere, gravissima Ecclesiæ mala attulerunt.

(1) Confer Benedictum XIV, Const. Apostolica 19 §. 14 p. 87 t. 5 ejus Bullarii, et confer etiam, quæ eodem loco laudatur, Leonis X Constitutionem.

(2) Concilium Tridentinum sess. 21 de Reform. c. 9., et in decret. de Indulgent. sess. 25.

\* De Indulgentiis videsis special. tract. Cenomanensis Episcopi, Illmi. D. Bouvier, ubi sapientissime, quæ ad rem pertinent, exposita habes.

Quod ad Hispaniam attinet, nemo nescit Compostellanam Ecclesiam amplissimis privilegiis ditatam, maxime plenarii Jubilæi frequentissimi ad Jacobi Majoris sepulchrum, quæ peregrinatio gratis similibus eis, quæ in Jerusalem et ad Apostolorum limina peregrinationibus annexæ sunt, gaudet, ac patriis legibus, tit. 50 lib. 1 *Novis. Compilat.*, promotæ.

*Bulla quoque S. Cruciate nostratibus uberrimus indulgentiarum thesaurus existit. De ea Moralis Theologiæ AA. consule; necnon libellum: Breve explicacion de las gracias y privilegios de la Bula de la Santa Cruzada, à Doct. D. Benedicto Forcelledo, Asturicensi nunc Præsule, vulgatum. De S. Cruciate Commissarii Magistratu, tom. 1, pag. 495, quid hodie sit, indicavi: de eo conceptæ leges tit. 11 lib. 2 ejusd. *Compilat.*; et finalis §. art. 40 Concordati 1851 hæc habet: « Facultates Apostolicæ, officio adnexæ Commissarii *Cruciate*, et consequentes attributiones, per Archiepiscopum Toletanum ea amplitudine et forma exercebuntur, quam Apostolica Sedes præfiniet. » Cui consequens est interina de proposito à Rev. Nuntio Apost. expedita provisio, Reg. ordin. 7 Jan. 1852 contenta.*

De Quæstoribus vero, quorum abusus reprehendit Cl. Auctor, est in prædicta *Novis. Compilat.* tit. 28 lib. 1.\*



## TITULUS IV.

## DE DIVINO OFFICIO.

1. QUID DIVINUM OFFICIUM? ET DIVERSA EIUS NOMINA.—2. HORÆ CANONICÆ.—3. MATUTINÆ, ET VESPERTINÆ PRECES, ANTIQUISSIMÆ.—4. HORARUM CANONICARUM DISTRIBUTIO.—5. QUANDO HÆC UBIQUE INDUCTA?—6. ET 7. QUO TEMPORE DIVINUM OFFICIUM PERSOLVENDUM SIT.—8. OLIM ETIAM LAICI AD DIVINUM OFFICIUM CONVENERANT.—9. QUI NUNC ILLUD PERSOLVERE COGANTUR.—10. QUOMODO PERSOLVENDUM SIT; ET QUIS EIUS RITUS, AC FORMULAS CONSTITUIT?

**C**ERTUS ille, ac solemnissimus numerus, ritusque psalmodiarum, hymnorum, lectionum, aliarumque precum, Ecclesie auctoritate institutus, atque in statas diei horas distributus, ut continenter Deo laudes offeramus, *divinum officium* appellatur. Nam officium significat id, quod ratione habita locorum, temporum, personarum, efficere omnes debent; unde tractum est nomen divini officii, quoniam in eo comprehenditur, quod erga Deum quotidie præstare debemus (1). Dicitur etiam divinum officium *særa synaxis, et collecta*, hoc est, conventus, et congregatio fidelium, qui ad fundendas preces conveniunt; et  *cursus ecclesiasticus*, quasi orbem, et cursum constituat, quem singulis diebus conficere oportet (2); et *Breviarium*, quasi summa cæremoniarum, et precum, quas servare, et quas fundere oportet, ut divinum officium recte persolvatur (3).

(1) Confer Cardinalem Bonam de Divin. Psalmod. c. 2 §. 1. Antequam vero sæculo XI Breviarium introduceretur, ad recitandas horas canonicas in Ecclesiis Occidentalibus adhibebantur Psalteria, Biblia Sacra, Homiliaria, Passionaria, Antiphonaria, Hymnaria, Collectaria, Martyrologia, de quibus omnibus doctissime, accuratissimeque agit V. Cl. Franciscus Antonius Zaccaria, Biblioth. ritual. l. 1 c. 4 art. 5 t. 1 p. 96.

(2) Ratherius Veronens. in Orat. synodic. ad Presbyter. n. 6 col. 414. ed. Veron. 1765. Confer etiam Regulam S. Columbani c. 7. apud Holstenium Cod. Regul. t. 1 p. 171. ed. August. Vindel. 1759. et vitam S. Serenici apud Mabillonium act. SS. Ordin. S. Bened. sac. II. p. 552. ed. Ven. 1753.

(3) Breviarium ita appellatum est, nimirum *brevi horarum*, seu *precum epitome, et compendium*, ut inquit Gravantus Thesaur. sacr. rit. t. 2 par. 1 sect. 2 c. 1. Primus autem divinum officium contraxit S. Gregorius VII, qui ab anno 1075 ad an. 1085 Pontificatum obtinuit; et inde verisimile est, divinum officium ita contractum *Breviarium* fuisse appellatum, quo quidem nomine utitur Micrologus c. 23 de Eccl. observ. p. 431 t. 13. Biblioth. Patr.

Lugd. 1677, qui circa annum 1080 vitæ usura fruebatur. Narrat Radulphus Tangrensis, de eavon. observ. prop. 22 p. 315 t. 26 ejusd. Biblioth. Patr. Lugdun., Summos Pontifices, cum olim in Lateranensi palatio commorarentur, Romanum officium in eorum sacello non ita absolutum, ut in aliis Ecclesiis, recitare consuevisse, quod et Pontificii sacelli clerici faciebant, ut negotiis suis vacare possent; additque Radulphus, se *hujus officii ordinarium* vidisse Romæ, à tempore Innocentii III recollectum. Et istud officium *breviatum sequuti sunt Fratres Minores*, inquit ipse Radulphus; *inde est, quod Breviaria eorum, et libros intulant secundum consuetudinem Romanæ Curie*. Nimirum cum S. Franciscus, eorum institutor, præcepisset, ut Divinum officium secundum ordinem Romanæ Ecclesie peragerent, rati illi, quod qui in Pontificio sacello servabatur, mos esset Ecclesie Romanæ, ac præterea cum Missionibus Apostolicis distinerentur, contractum Breviarium, quo Pontificium sacellum utebatur, susceperunt. Breviarium porro hoc cum male digestum esset, Haymo, Generalis Minister Franciscanorum, illud emendandum suscepit, mandante, et approbante Gregorio IX, sicuti narrat Wadingus, Annal. Minor. t. 5 ad an. 1244. Hoc postea Breviarium, ab Haymone emendatum, Nicolaus III. in omnibus Romæ Ecclesiis recipi, servarique jussit, sicuti Radulphus narrat. Sed Radulphum, vel in Fratres Minores male animatum, vel deceptum, putat Franciscus Pagius Junior, in vit. Nicolai III, n. 22, propterea quod ex epistola apologetica, quam adversus S. Bernardum scripsit Petrus Abaelardus, circa annum 1140, nimirum ante annos fere centum, quam Franciscanus Ordo approbaretur, constat, quod ea tempestate omnes Romæ Ecclesie contracto illo officio utebantur. Itaque contractum officium Franciscanis tribui posse negat Pagius, et Radulphum tanquam suo Ordini iniuriam reprehendit. Sed nulla justa est ejus reprehendendi causa. Nam si ante Franciscanos Romæ Ecclesie contracto illo officio utebantur, hoc deinceps ab Haymone emendatum jussu Nicolai III ab omnibus Romæ Ecclesiis receptum est. Vere igitur Radulphus scripsit, Breviarium Ecclesiarum Urbis Romæ esse Breviarium Franciscanum, quoniam tale revera est Breviarium ab Haymone Generali Ministro Franciscanorum emendatum, quod Nicolaus III. in cunctis Ecclesiis adhiberi voluit. Verum Breviarium hoc ita contractum, seu potius recognitum, et emendatum, brevius adhuc reditum est, hortatu Clementis VII, à Francisco Quignonio Cardinali, qui opus ipsum an. 1556, Paulo III. Pontifice Romæ divulgavit. Hujus Breviarii usus per annos circiter quadraginta perseveravit, nimirum à Paulo III. usque ad S. Pium V.; nunquam tamen præcepta, sed solum permissa fuit ejusdem Breviarii recitatio. S. Pius V. Quignoni Breviarium abrogavit, novamque confici curavit, quo nunc omnes utimur, et quod deinceps recognitum est etiam Clementis VIII, et Urbani VIII auctoritate. Consule Card. Bonam iter. liturg. l. 1 c. 7 §. 7. t. 1 p. 119 et seq. ibique Salam Not. 5 ed. Taurin. 1747; Meratum ad Gayant. Thesaur. sacr. rit. t. 2 par. 1 sect. 2 c. 1; et Zaccariam Bibliothec. ritual. l. 1 c. 4 t. 1 p. 107.

2. Frequens quoque est *horarum canonicarum* nomen, quo divinum officium appellamus. Omnes Christiani, ac præsertim clerici, prece, et obsecratione humili adversus Deum continenter uti deberent; sed quoniam id neque infirmæ naturæ patiuntur vires, neque negotia, quibus implicamur, sapienter Ecclesia constituit, ut certis saltem horis has preces fundamus,

atque ita nunquam intermitamus officium, quod erga Deum præstare debemus. Inde processit nomen *horarum canonicarum*, quoniam in eas divinum officium tributum est (1). Quod autem divinum officium statis horis persolvitur, pluribus constant officiis, quæ omnia simul conjuncta, ecclesiasticum cursum conficiunt. Hæc vero officia, ex recepta ecclesiæ disciplina, sunt: Matutinum cum laudibus, hora prima, tertia, sexta, nona, vespere et completorium.

(1) Institutionem hanc, certis saltem horis debitas Deo laudes persolvendi, ab ipsis Apostolis repetendam esse, atque ad nos perpetua traditione delatam, ostendit Martenius de Antiq. eccles. rit. l. 4 c. 1 §. 1 et seq. t. 3 p. 1 et seq. et de Antiq. Monach. rit. l. 4 c. 1 et seq. t. 4 p. 1 seq. ed. indic., ubi cuncta fere habes, quæ ad hoc argumenti genus pertinent.

3. Verum hæc officia non omnia ejusdem antiquitatis, sed alia velustiora, alia recentiora sunt. Apud priscos Christianos celebres sunt matutinæ, et vespertinæ preces. Nimirum quotidie Christiani ante ortum lucis in Ecclesiam conveniebant, ut preces funderent, laudarentque Deum: qui conventus, quod ante lucem haberentur, *cætus antelucani*, et *vigiliæ*, et *horæ nocturnæ* dicebantur (1). Sed et vespere, cum sol ad occasum vergeret, in solemnibus conventibus preces fundebantur (2); atque hæc duo tempora, matutinum, et vespertinum, quotidie erant præcipua antiqui ministerii tempora.

(1) Tertullianus ad Uxor. l. 2 c. 4 p. 168, et de coron. milit. c. 5 p. 162, ed. Paris. 1675. Hinc Christiani apud Minucium Felicem de Idolatr. vanit. in l. Octavius p. 552, ed. Paris. 1605. appellati latebrosa, et lucifuga natio; et Plinius Ep. 97 l. 10 ad Trajan. p. 629 n. 7. ed. Lipsiæ 1711, ex ore quorundam Apostatarum, de christianis se accepisse scribit, quod *stato die ante lucem convenire soliti sunt*. In his conventibus adhibitam psalmodiam constat, eamque incoatam à psalmo 62 tradit Auctor Constit. Apostol. l. 2 c. 59. apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 270 indic. ed. Matutinum hoc officium plures psalmos, precesque comprehendebat; sed non illam habebat distinctionem nocturnorum, et laudum, quæ recentiori ætate à Monachis initium habuisse videtur. Hi tribuerunt Officium antelucanum, seu matutinum in tria nocturna, atque in laudes. Tria nocturna tribus primis noctis vigiliis seorsim celebrari solebant; quod S. Thomas in Ep. l. ad Corinth. c. 14 lect. 6, et Marcellus Francolinus de Hor. canonic. cap. 6 observant. Quia in quibusdam Occidentalium Monachorum regulis expresse sancitum est, ut nocturna seorsim celebrentur, atque ita porro habet Regula Columbani, cap. 7 apud Holstenium cod. regul. p. 171 t. 1 ed. August. Vin. del. 1759. Laudes etiam distinctum à nocturnis officium constituerunt, uti ostendit Card. Bona de Divin. psalmod. cap. 5 §. 1. Primus S. Benedictus tria nocturna conjunxisse videtur; saltem ita fert ipsius regula c. 11 p. 121 apud Holstenium cod. regul. tit. 1 ed. laud. ut uno tempore tria nocturna

celebrentur. Longo post tempore in Ecclesia Romana etiam laudes nocturnis conjunctæ, unum continuum officium nocte persolvendum constituerunt, uti testatur Hugo à S. Victore de Offic. eccles. l. 2 cap. 2 col. 1539 in Biblioth. PP. t. 10 ed. Paris. Rem totam, præter Card. Bonam de Divin. psalmod. explicant Thomasinus Vel. et nov. eccles. disciplin. par. 1 l. 2 c. 71 et seq., Martenius de Antiq. Monach. rit. l. 1 c. 2 et seq. t. 4 p. 4 et seq. ed. Ven. 1764, et Binghamus Orig. eccles. l. 15 c. 9 §. 7 et seq. p. 299 et seq. t. 5 ed. Halæ Magdeburg. 1754.

(2) Matutinas, et vespertinas preces omnium apertissime distinguit Auctor constit. Apostol. l. 8 c. 55 p. 421 laud. ed.; et Concilium Laodicenum can. 18 tit. 1 col. 784 collect. Harduini, memorat tum preces vespertinas, tum eas, quæ ad nonam sunt, et eandem in utrisque liturgiam servari jubet. Vespertinum officium initium sumebat à psalmo 140, quem Auctor constit. l. 8 c. 55 p. 421 vocat *lucernalem psalmum*, quod canebatur eo tempore, quo lumen accendi solebat; et Chrysostomus Hom. l. in psalm. 140, t. 5 n. 1 p. 427 ed. Paris. 1724, pluribus explicat, quam apte hic psalmus in vespertino officio adhiberetur. Est apud eundem Auctorem constit. l. c. c. 56 et 57 p. 421 *precatio et gratiarum actio lucernalis*. In hoc quoque vespertino officio psalmi, hymni, precesque aliæ adhibebantur, atque ita matutinis, et Vespertinis officiis à Christianis *dies in orationibus Dei inchoabatur, dies hymnis Dei claudabatur*; uti loquitur Hilarius in Psalm. 6 n. 12 col. 169 ed. Paris. 1695, quod etiam tradit Hieronymus Ep. 22 ad Eustoch. n. 57 p. 119 t. 1 ed. Veronæ 1754.

4. Accessere deinceps horæ, quæ dicuntur *canonicæ*, eæque ex monachorum instituto repetendæ videntur. Ægypti monachi, qui omnium antiquissimi sunt, et à quibus monasticæ vitæ initia ducuntur, præter vespertinos, et antelucanos conventus, nullas canonicas publicarum precum horas videntur habuisse; cum reliquum diei spatium tribuerent labori manuum, cum quo tamen continenter miscabant preces, psalmos, ac meditationem rerum divinarum (1). Non multo post monasteria Mesopotamiæ, ac Palestinæ consuetudinem induxerunt, ut monachi ora tertia, sexta, et nona publice convenirent, ut preces funderent, psalmosque canerent (2). Sed nondum erat novum aliquod matutinum ministerium, distinctum ab antiquo, quod ante lucem peragebatur. Hoc primum in monasterio Bethleemico institutum est, ne monachi post laudes usque ad horam tertiam inertes, et somnulosi, in cellis jacerent, cum eos nulla conventus necessitas ad preces vocabat (3). Denique completorium, quod vocatur, ut distinctum à vespertino, seu lucernali ministerio, instituit S. Benedictus, ut monachi, finitis diei operibus, in unum collecti, preces, laudesque complerent, ac solemniter ritu absolverent (4).

(1) Vide Cassianum Instit. Cænob. l. 5 c. 2 p. 50 ed. Francofurti 1722.

(2) Cassianus l. c. l. 5 c. 5 p. 52 ed. cit. Tertullianus de Jejun. c. 10

p. 549 ed. Paris. 1675, et Cyprianus de Oral. dominic. p. 106 ed. Amstelæd. 1700. memorant horas tertias, sextam, nonam; verum non has horas pro publicis ecclesiasticis conventibus constitutas fuisse scribunt. His quidem horis Christiani privatim preces fuisse videtur, deinceps vero illæ à Monachis, ut plerique sentiunt vici docti, publicis conventibus addictæ sunt. Vide Josephum Medum ep. 66, et Joannem Pearsonium prælect. 2 in act. Apostol. n. 5 et 4. Certe antiqui Patres Hieronymus, Basilius, Gregorius Nyssenus, aliique sæculi IV Scriptores, cum memorant horas canonicas, tantum monachos respiciunt. Chrysostomus serm. IV. de Anna opp. t. 4 p. 757 ed. Paris. 1721, de tribus diei horis pro publicis conventibus constitutis loquitur, verum, præter matutinam, et vespertinam, quæ aliter sitit hora, non indicat. Fortasse jam tunc hora nona in Ecclesia Constantinopolitana inducta erat, et cum quidam diserte commentat ipse Chrysostomus hom. 2 de inscript. act. apostol. opp. t. 5 n. 4 p. 67 ed. Paris. 1721, atque etiam Concilium Laodicenum can. 18, Gentiano Herveto interprete apud Labbæum t. 1 col. 1554 ed. Ven. Sed cum de monachis loquitur Chrysostomus hom. 14 in 1 ad Timoth. opp. t. 11 p. 629 n. 5, expresse memorat matutinas, ac vespertinas preces, horarumque tertiam, sextam, nonam. Negari tamen nequit, quod in oriente in quibusdam ecclesiis jam inde à IV sæculo recepta erat illa pro publicis conventibus horarum distributio, uti constat ex Auctore constit. apostolic. l. 3 c. 54 p. 420 laud. ed., qui *preces fieri jubet mane, et tertia hora, ac sexta, et nona, et vespera, atque in gallicinio*. Mabillonius de curs. Galliean. §. 5 n. 57 p. 425 ed. Paris. 1685, ex Gregorio Turonensi demonstrat, sextam, et nonam horas circa initium sexti sæculi in Galliis fuisse receptas, eademque ferme ætate similem consuetudinem in Hispanias delatam, constat ex Isidoro Hispalensi de Regul. Monach. c. 6 p. 577 l. 2 ed. Maten 1773.

(3) Cassianus l. c. lib. 3 c. 4 p. 56 ed. c. Hinc hora prima dicebatur officium matutinum novum, ut distingueretur à matutino officio veteri, quod semper ante hæc celebrabatur.

(4) Completorium, ut distinctum à vespertino ministerio, antiquiori ætate plane ignotum fuisse, contra Bellarminum ostendit Cardinalis Bona de Psalm. c. 11 §. 1 n. 2. Ejus origo à Sancto Benedicto repetenda est, ut patet ex ejus reg. c. 17 l. 1 p. 122 ed. Augustæ Vindellicorum ann. 1759, ac brevis illa lectio, quæ hodie completorium anteverit, sine dubio illam representat, quam psalmis præmitti voluit Benedictus reg. c. 42 p. 127 ibid. Vide Martenium de antiq. Monach. rit. l. 1 c. 121. 4 p. 12 ed. indic.

5. Singulæ hæ horæ à monasteriis serius ocios ad omnes ecclesias translatae sunt. Quod factum est opera vel monachorum, qui ad Episcopatum erecti, divina officia in suis ecclesiis ad exemplum vite monasticæ composuerunt, vel clericorum, qui monachorum instituta, et consuetudines in clericatu amplexi sunt (1). Potissimum vero inducta vita communi, datisque canonicis regulis, quæ regulis Monachorum magna ex parte decerptæ sunt, ubique invaluit ea partitio divinorum officiorum, quam primam monachi instituerant. Hodie igitur divinum officium constat his septem partibus; matutino cum laudibus, horis prima, tertia, sexta, et nona, vespertis, et completorio.

Matutinum cum laudibus faciunt officium, quod nocturnum dicitur, quod olim noctu celebraretur (2), uti nunc etiam à quibusdam celebratur; reliquæ horæ diurnum officium constituunt.

(1) Consule Selvagium Antiquit. christian. l. 2 c. 9 §. 7 et seq., Martenium l. c. cap. 1 et seq., et Thomasinum Vet. et nov. eccles. discipl. par. 4 l. 2 c. 61 et seq., à quibus omnia, quæ ad divinum officium pertinent, fusiùs, et uberius explicantur.

(2) De antiqua consuetudine divinum officium noctu recitandi multa, et præclara habes apud Cl. Cardinalem Garampium, Memorie della Besta Chiara di Rimini diss. 10 p. 515 et seq.

6. Omnia hæc officia, non solum intra spatium vigintiquatuor horarum, sed etiam suo quæque tempore, atque ordine celebranda sunt. Matutinum officium cum laudibus à clericis sæcularibus (1) mane, illucescente crepusculo, celebrandum est, prima jam lucis orto sidere, tertia, sexta, nona horis respondentibus (2), vesperæ decima, vel undecima hora diei, completorium post solis occasum. Sed nunc, pro more ecclesiarum, matutinum cum laudibus, horæque prima, tertia, sexta, et nona eo temporis spatio, quod est inter auroram, et meridiem recte persolvuntur, vesperæ circa horam nonam, aut decimam, quin in quadragesima circa meridiem; completorium autem statim post vespertas celebratur (3).

(1) Regulares choro addicti nocturnum officium, quod tamen vulgo matutinum vocatur, vel media nocte, vel hora secunda post mediam noctem; id vero, quod reipsa matutinum est, illucescente aurora persolvunt. Sed ea in re peculiare singulorum regulas spectare oportet.

(2) Tertia hora apud Romanos respondet nostræ horæ nonæ antemeridiane; sexta horæ duodecimæ, unde circa meridiem exsolvenda est; quod et hymnus indicat his verbis, *splendore manus illuminas, et ignibus meridiem*; nona tertia horæ nostræ pomeridiane, et ideo non ante, sed post meridiem persolvenda est.

(3) Sunt qui à matutino et laudibus primam, sunt qui omnes horas se jungunt, sunt qui simul conjungunt omnia officia, quæ ante meridiem persolvuntur. Ea res tota pendet ex moribus, atque ex legibus ecclesiarum.

7. Atque hæc quidem pertinent ad publicam, et solemnem divini officii celebrationem. Privata etiam ut statis horis fiat, curandum est; quoniam ea mens est Ecclesiæ, quæ divinum officium in certas horas distribuit, ut in omnibus diei partibus ad Deum animum revocemus, eumque crebro debitis laudibus, et honore prosequamur (1). Ex justa tamen causa, non servato horarum intervallo, divinum officium rite persolvitur (2); verum

curandum est, ut vespere, et completorium pomeridianis horis recitentur, excepta Quadragesima, in qua, fictione canonica, vespere ante meridiem celebrantur. Sed et matutinum sequentis diei post elapsam dimidium tempus, quod est à meridie ad occasum solis, privatim recitari potest (3).

(1) Consule Card. Bellarminum de Bon. oper. l. 4 c. 48 opp. t. 4 p. 550, §. Sed quidquid sit, et seq. ed. Ven. 1721. Statis autem horis divini officii varia tribuuntur mysteria, quæ tradit Card. Bona de Divin. psalmod. cap. 2 § 2 et seq. Sed illud in prius constat, quod horæ canonice divinis addicte laudibus, mysteria exhibent nostræ redemptionis, et has quidem mysticas rationes enarrat Auctor Apostolic. constit. l. 8 c. 54 p. 420 l. c.

(2) Mittimus ea in re duriores, asperioresque quorundam opiniones, ac sequimur sententiam, quam et sequitur Benedictus XIV, Inst. eccles. 24 §. 9; S. Thomæ, qui in Quodlibet 5 q. 14 art. 1 habet hæc: « Consideranda est intentio ejus, qui prævenit tempus in matutinis dicendis, vel in quibuscunque horis canonicis. Si enim hoc facit propter lasciviam, ut scilicet quietius somnolentiæ, et voluptati vacet, non est absque peccato. Si vero hoc faciat propter necessitatem licitarum, et honestarum occupationum, puta si clericus, aut magister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter aliquid hujusmodi, licite potest sero dicere matutinas, et in aliis horis canonicis tempus prævenire, sicut etiam hoc in solemnibus ecclesiis fit; quia melius est Deo utrumque reddere, scilicet et debitas laudes, et alia honesta officia, quam quod per unum aliud impediatur. »

(3) Adeundus Benedictus XIV, Inst. eccles. 24 §. 10 et inst. 107 n. 21.

8. Initio non solum clerici, sed etiam fideles laici ad divinum officium celebrandum quotidie conveniebant, et cum clericis psallebant, et canebant (1). Verum id veteres Christiani faciebant sponte sua, et incitati studio pietatis, quo fervebant, cum nulla lex esset, quæ laicum, occupatum assiduus laboribus ad vitam sustinendam, quotidie interruptis officiis, stalisque horis ad ecclesiam ire compelleret (2). Tantum diebus dominicis, et præcipuis festis legis necessitate debebant laici ad divinum officium convenire, ut sancte agerent dies festos (3); in qua quidem sanctificatione festorum eadem nunc est, quæ semper fuit, ecclesiæ mens, licet non amplius laici ad divina officia convenire cogantur.

(1) Consule Thomassin. Vet. et nov. eccles. disciplin. par. 1 l. 2 c. 79 seq.

(2) Vide S. Joannem Chrysostomum, cit. homil. 6 de Anna.

(3) Confer Van-Espenium de hor. canon. diss. par. 1 c. 5 §. 2 et 3.

9. Præcepti necessitas cogebat clericos ad ecclesiam quotidie convenire, ut divinum officium persolverent, et vero nu-

llum ea in re inter majores, minoresque clericos discrimen erat. Omnes enim in ordinatione certæ ecclesiæ adscribebantur, ut ei perpetuo servirent; ideoque in ea divinum officium celebrabant, quæ pars erat præcipua, ac nobilissima servitii, quod præstare debebant. Sed cum desit hæc disciplina, et clerici in ordinatione non amplius adscribi cœperunt certæ ecclesiæ, cui semper addicti essent, sensim minores clerici illud ecclesiæ officium obire desierunt. Nunc igitur divinum officium recitare quotidie debent Regulares choro adstricti, beneficiati, et clerici in sacris ordinibus constituti (1). Canonici, et ceteri clerici, qui in chorum conveniunt, debent officium solemniter in choro persolvere, aut quotidie, aut alternis diebus, hebdomadibus, mensibus, ut ferunt instituta, moresque ecclesiarum (2).

(1) Vide const. Eo quamvis tempore, 129 Benedicti XIV, §. 45 et 44 t. 1 ejus Bullarii cit. ed. p. 517.

(2) Debent autem Canonici, qui in choro versantur, divinum officium recitare, et cantum sequi Capellanorum, aut Mansionariorum, ac suo plane deessent muneri, qui taciti tantum choro interessent. Confer Benedictum XIV, Instit. Eccles. 107 §. 5.

10. Preces, ceremonias, ritus in divino officio adhibendos constituit Sedes Apostolica (1); quod rectissime sancitum est, ut amoveantur mala et incommoda, quæ olim est diversis divini officii formulis oriebantur. Quisquis autem ejus persolvendi lege obstringitur, sive privatim domi, sive publice in ecclesia, id *reverenter, distincte, ac devote* facere debet (2); et quisquis illud sine justa causa (3) omittit, non solum lethalis criminis reus evadit, sed etiam, si beneficium habeat, pro ea parte, quam omisit, beneficii fructus restituere debet.

(1) Cum ex diversitate formularum, quibus divinum officium conceptum erat, magna rerum confusio, et gravia damna orirentur, actum est in Concilio Tridentino de breviario emendando, deque certa proponenda formula, quam omnes in posterum sequerentur. Sed Concilii Patribus sess. 25 in decret. de indice librorum, et catechismo, breviario, et missali, satius visum est rem totam Summi Pontificis judicio committere, atque hinc S. Pius V. P. id negotii dedit selectis quibusdam viris, atque opere absoluto, edidit Bullam: *Quod à nobis* 87 t. 4 par. 5 Bullarii p. 22, ubi certam proposuit breviarii formulam ab omnibus observandam, illis tantum exceptis, qui ab ipsa prima institutione à Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quæ ducentos annos superaret, aliis breviariis uterentur. Pianam hanc Bullam confirmavit Clemens VIII, const. Cum in ecclesia 276 t. 5 par. 2. Bullarii p. 422, deinceps vero Urbanus VIII, const. cum alias 749 t. 6 par. 2 p. 580, hymnis quibusdam auxit, atque emendavit. Ac recte, et jure Romanos Pontifices

omnem semper dedisse operam, ut occidentales Ecclesiae traditiones, et ritus Ecclesiae Romanae in celebranda missa, in Sacramentis administrandis, in Psalmidia, in caeteris ad publicum cultum pertinentibus amplecterentur, ostendit Cl. Zaccaria biblioth. ritual. t. 4 diss. 1 c. 4 et 5 p. 29 et seq.

(2) Concilium Tridentinum sess. 24 de Reform. c. 12.

(5) Caecitas, aut gravis infirmitas, quae officium recitare non sinat, justa causa est, propter quam illud impune omittatur. Qua in re sequi oportet medici, aut superioris, aut prudentis viri iudicium. Similiter si quis sine sua culpa breviario careat, atque in loco versetur, in quo illud invenire non possit, item si quis administrare debeat sacramenta, neque moram ferre possit, legitimam excusationis causam habere censetur. Possunt et aliae huiusmodi esse causae, de quibus late agunt scriptores, qui in hoc argumenti genere versantur. Confer inter ceteros Lucium Ferraris in Biblioth. verb. officium divinum art. 5. Illud tamen est animadvertendum, quod qui matutinum, et laudes ob aliquod necessarium impedimentum recitare non potest, reliquas tamen partes persolvere debet, uti constat auctoritate Innocentii XII., qui contrariam sententiam proscripsit, propos. 64 in Bullar. const. 54 t. 8 p. 82.

Præter horas à Cl. Auct. hujus tit. §. 2 ad fin. recensitas, in nostrate officio *Mazarabi* alia insuper superadita, quae *aurora* dicebatur, erat persolvenda. In parochiis *matutinum* et *vesperas* modulari (quae disciplina in Ecclesiis et sacella ruralia invecata etiam fuit), mos solum erat, ut Concil. Tarraccon. an. 516, can. 7, et Tolet. 1. can. 5 auctoritate firmatur. At per il tamen tempus, dictis festis clerici in ecclesiis totam Psalmodiam concinebant, quemadmodum Concil. Tarraccon. can. 7 citati verba ostendunt. Jam vero Concil. Tolet. XII, can. 15, illud item adjunxit, et præcepit, ne hyni in divino officio omitterentur: atque etiam in concilio Gerundensi statutum, ut omnes horæ, quas *canonicas* vulgo dicimus, Dominica oratione *Pater noster* concluderentur. V. conc. Tolet. IV, can. 15, in quo varia de divino Officio disputata et dilucidata plenissime fuere: atque etiam, ne multa alia congeramus, illud mandavit, ut ecclesiastici omnes, in cujuslibet psalmi fine, *Gloria et honor Patri* etc. semper adderent, sicuti à Narhonen-si an. 589, can. 2, antea constabilitum fuerat. Perniciosus in Hispania irreperat abusus, ut in feria sexta majoris hebdomadae, ecclesiarum fores occluderentur, et nulla prorsus caeremonia nec ullo officio sacra hujus diei mysteria fidelium exhiberentur mentibus. Hanc ob rem Tolet. IV conc. Patres, can. 7, mandarunt, ut hac die omnibus in ecclesiis divina celebrarentur officia, et divina Passio, ac Salvatoris mors explicarentur et repræsentarentur. (Ex Mag. *Villodas*).

TITULUS V.

DE FESTORUM CELEBRATIONE

1. FESTORUM CELEBRATIO APUD CHRISTIANOS ANTIQUISSIMA.—2. FESTI DIES, VEL MOVILES, VEL INMOVILES.—3. PASCHATIS CELEBRATIO.—4. FESTI DIES QUIDAM GENERALES IN TOTA ECCLESIA, QUIDAM PARTICULARES IN CERTIS LOCIS.—5. SUMMUS PONTIFEX CONSTITUIT ET DEMINUIT FESTOS DIES IN TOTA ECCLESIA OBSERVANDOS.—6 ET 7. FESTORUM SANCTIFICATIO.

1.

Omnes ferme gentes habuere dies festos, quibus suos deos honore prosequerentur, et in quibus magnam religiosi cultus partem constituebant. Apud Christianos jam inde ab Apostolorum ætate festi sunt acti, et instituti dies. Antiquitate ceteros vincunt omnes dies Dominici, Pascha, Ascensio, Pentecostes (1). Postmodum, alii quoque accesserunt, videlicet: Natalis Christi Servatoris (2), solemnitates B. Mariæ Virginis, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque complures (3).

(1) Festivitates dierum Dominicorum, Paschatis, Ascensionis, Pentecostis ab Apostolis celebratas, tradit S. Augustinus Ep. 54 c. 4 opp. t. 2 col. 424 ed. Ven. 1729. Verum Ascensionem Domini non uno, et eodem ubique ritu, sicuti observabatur dies natalis Domini, Pascha, Pentecostes, observatam fuisse, monet Martenius de Antiq. eccles. rit. l. 4 c. 28 §. 4 t. 5 p. 192 indic. ed. Ven.

(2) Certo statui non posse videtur, quod etiam diem festum Natalis Christi Apostoli instituerint; et vero Augustinus, uti nunc demonstratum est, cum memorat dies festos ab Apostolis institutos, nullam hujus diei mentionem facit. Primam hujus diei dissertationem mentionem multi referunt ad exitum sæculi III, hoc est ad ætatem Diocletiani Imperatoris, quem Nicephorus, Histor. l. 8 cap. 7 p. 545 edit. Paris. 1630, narrat ingentem Christianorum numerum, natalem Christi noctu celebrantem, igne injecto combussisse. Hoc certum est, in occidente ab antiquissimis inde temporibus festum hunc diem celebrari consuevisse. Testatur id Chrysostomus Hom. in diem Natal. Christ. t. 2 n. 4 p. 555 edit. Paris. 1748, inquit, quod hic dies jam inde à primordio, ab ipsa Thracia Gades usque incolentibus, manifestus, et celebris fuit. Memorat etiam hanc solemnitatem, tanquam ubique receptam, et jamdiu pervulgatam, Augustin. Ep. 55 c. 4 opp. t. 2 col. 469, et Serm. 54 et 287 t. 7 col. 282 et 1152 ed. Maur. Ven. 1756. Quin non tantum ipsa solemnitas, sed etiam constitutus solemnitatis dies, hoc est 25 mensis Decembris, in antiquis monumentis designatur. Kalendarium Bucherianum, quod anno 554 scriptum fuisse eruditi sentiunt, ab hoc festo initium ducit: VII. Kal. Jan. *Natus Christus in Bethlem Judææ*; eundem diem servavit Polemeus Silvius, et auctor Kalendarii Carthaginensis, uterque proximus eorum temporum: eundem quoque Constitutiones Apostolicæ l. 5 c. 13 apud Cotelonium PP. Apost. t. 1 p. 512 ed. Antwerp. 1598. Verum in oriente prima Chrysosto-

omnem semper dedisse operam, ut occidentales Ecclesiae traditiones, et ritus Ecclesiae Romanae in celebranda missa, in Sacramentis administrandis, in Psalmidia, in caeteris ad publicum cultum pertinentibus amplecterentur, ostendit Cl. Zaccaria biblioth. ritual. t. 4 diss. 1 c. 4 et 5 p. 29 et seq.

(2) Concilium Tridentinum sess. 24 de Reform. c. 12.

(5) Caecitas, aut gravis infirmitas, quae officium recitare non sinat, justa causa est, propter quam illud impune omittatur. Qua in re sequi oportet medici, aut superioris, aut prudentis viri iudicium. Similiter si quis sine sua culpa breviario careat, atque in loco versetur, in quo illud invenire non possit, item si quis administrare debeat sacramenta, neque moram ferre possit, legitimam excusationis causam habere censetur. Possunt et aliae huiusmodi esse causae, de quibus late agunt scriptores, qui in hoc argumenti genere versantur. Confer inter ceteros Lucium Ferraris in Biblioth. verb. officium divinum art. 5. Illud tamen est animadvertendum, quod qui matutinum, et laudes ob aliquod necessarium impedimentum recitare non potest, reliquas tamen partes persolvere debet, uti constat auctoritate Innocentii XII., qui contrariam sententiam proscripsit, propos. 64 in Bullar. const. 54 t. 8 p. 82.

Præter horas à Cl. Auct. hujus tit. §. 2 ad fin. recensitas, in nostrate officio *Mazarabi* alia insuper superadita, quae *aurora* dicebatur, erat persolvenda. In parochiis *matutinum* et *vesperas* modulari (quae disciplina in Ecclesiis et sacella ruralia invecata etiam fuit), mos solum erat, ut Concil. Tarracoe. an. 516, can. 7, et Tolet. I. can. 5 auctoritate firmatur. At per il tamen tempus, dictis festis clerici in ecclesiis totam Psalmodiam concinebant, quemadmodum Concil. Tarracoe. can. 7 citati verba ostendunt. Jam vero Concil. Tolet. XII, can. 15, illud item adjunxit, et præcepit, ne hymni in divino officio omitterentur: atque etiam in concilio Gerundensi statutum, ut omnes horæ, quas *canonicas* vulgo dicimus, Dominica oratione *Pater noster* concluderentur. V. conc. Tolet. IV, can. 15, in quo varia de divino officio disputata et dilucidata plenissime fuere: atque etiam, ne multa alia congeramus, illud mandavit, ut ecclesiastici omnes, in cujuslibet psalmi fine, *Gloria et honor Patri* etc. semper adderent, sicuti à Narbonensi an. 589, can. 2, antea constabatur fuerat. Perniciosus in Hispania irreperat abusus, ut in feria sexta majoris hebdomadae, ecclesiarum fores occluderentur, et nulla prorsus caeremonia nec ullo officio sacra hujus diei mysteria fidelium exhiberentur mentibus. Hanc ob rem Tolet. IV conc. Patres, can. 7, mandarunt, ut hac die omnibus in ecclesiis divina celebrarentur officia, et divina Passio, ac Salvatoris mors explicarentur et repræsentarentur. (Ex Mag. *Villodas*).

TITULUS V.

DE FESTORUM CELEBRATIONE

1. FESTORUM CELEBRATIO APUD CHRISTIANOS ANTIQUISSIMA.—2. FESTI DIES, VEL MOVILES, VEL INMOVILES.—3. PASCHATIS CELEBRATIO.—4. FESTI DIES QUIDAM GENERALES IN TOTA ECCLESIA, QUIDAM PARTICULARES IN CERTIS LOCIS.—5. SUMMUS PONTIFEX CONSTITUIT ET DEMINUIT FESTOS DIES IN TOTA ECCLESIA OBSERVANDOS.—6 ET 7. FESTORUM SANCTIFICATIO.

1.

Omnes ferme gentes habuere dies festos, quibus suos deos honore prosequerentur, et in quibus magnam religiosi cultus partem constituerent. Apud Christianos jam inde ab Apostolorum ætate festi sunt acti, et instituti dies. Antiquitate ceteros vincunt omnes dies Dominici, Pascha, Ascensio, Pentecostes (1). Postmodum, alii quoque accesserunt, videlicet: Natalis Christi Servatoris (2), solemnitates B. Mariæ Virginis, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque complures (3).

(1) Festivitates dierum Dominicorum, Paschatis, Ascensionis, Pentecostis ab Apostolis celebratas, tradit S. Augustinus Ep. 54 c. 4 opp. t. 2 col. 424 ed. Ven. 1729. Verum Ascensionem Domini non uno, et eodem ubique ritu, sicuti observabatur dies natalis Domini, Pascha, Pentecostes, observatam fuisse, monet Martenius de Antiq. eccles. rit. l. 4 c. 28 §. 4 t. 5 p. 192 indic. ed. Ven.

(2) Certo statui non posse videtur, quod etiam diem festum Natalis Christi Apostoli instituerint; et vero Augustinus, uti nunc demonstratum est, cum memorat dies festos ab Apostolis institutos, nullam hujus diei mentionem facit. Primam hujus diei dissertationem mentionem multi referunt ad exitum sæculi III, hoc est ad ætatem Diocletiani Imperatoris, quem Nicephorus, Histor. l. 8 cap. 7 p. 545 edit. Paris. 1630, narrat ingentem Christianorum numerum, natalem Christi noctu celebrantem, igne injecto combussisse. Hoc certum est, in occidente ab antiquissimis inde temporibus festum hunc diem celebrari consuevisse. Testatur id Chrysostomus Hom. in diem Natal. Christ. t. 2 n. 1 p. 555 edit. Paris. 1748, inquit, quod hic dies jam inde à primordio, ab ipsa Thracia Gades usque incolentibus, manifestus, et celebris fuit. Memorat etiam hanc solemnitatem, tanquam ubique receptam, et jamdiu pervulgatam, Augustin. Ep. 55 c. 4 opp. t. 2 col. 469, et Serm. 51 et 287 t. 7 col. 282 et 1152 ed. Maur. Ven. 1756. Quin non tantum ipsa solemnitas, sed etiam constitutus solemnitatis dies, hoc est 25 mensis Decembris, in antiquis monumentis designatur. Kalendarium Bucherianum, quod anno 554 scriptum fuisse eruditi sentiunt, ab hoc festo initium ducit: VII. Kal. Jan. *Natus Christus in Bethlem Judææ*; eundem diem servavit Polemeus Silvius, et auctor Kalendarii Carthaginensis, uterque proximus eorum temporum: eundem quoque Constitutiones Apostolicæ l. 5 c. 13 apud Cotelonium PP. Apost. t. 1 p. 512 ed. Antwerp. 1598. Verum in oriente prima Chrysosto-

mi ætate nondum hæc solemnitas obtinebat, quod manifestum facit ipse Chrysostomus homilia, quam prima de Natali Christi Antiochiæ habuit, postquam inter Presbyteros cooptatus fuerat anno 386. In ea enim diserte inquit l. c. quod *nondum quidem dicimus annus est, ex quo hic ipse dies manifeste nobis innouit*. Nam antea in oriente unum erant festum Natalis Christi, et Epiphania. At Constantinopoli, exemplo occidentis, jampridem hæc solemnitas recepta fuisse videtur, quod testimoniis Joannis Chrysostomi, et Gregorii Nazianzeni ostendit Cl. Morcellus Kalend. Constantinopol. ad d. 25 Decembr. tit. 1 p. 231. Tanta autem religione festum hoc Natalis Christi celebratum fuisse constat, ut clerici ea die, gravibus constitutis poenitentibus, à suis Ecclesiis abesse prohiberentur. Concilium Agathense can. 64 t. 5 collect. Labbæi col. 531 ed. Ven. Quin etiam laici eo die suos Episcopos communionis, ac benedictionis gratia convenire jubebantur. Concilium Agathense can. 65 loc. cit. Aurelianense I can. 25 col. 547, et Epaonense can. 55 col. 716 d. t. 5 conc. Conferetiam Concilium Toletanum. XIII, can. 3, col. 1475 t. 7 conc. De hujus festi celebritate multa habet Card. Baronius Appar. ad Annales circa fin. n. 25 p. 475 ed. Lucæ, et multa etiam Franciscus M. Florentinus in vetustissimo suo Martyrologio, exerc. 2 p. 195 et seq., qui et p. 201 et 223 de Epiphania, seu Apparitione Domini loquitur, atque hunc diem tum in orientali, tum in occidentali ecclesia semper celebratum fuisse demonstrat.

(5) Martyrum solemnitates antiquissimas esse, et jam sæculo II. receptas constat. Jam enim ea ætate S. Policarpi memoria festive colebatur, ejusque festus dies agebatur, ut patet ex Smyrnenis epistola ad Philomelienses apud Eusebium Hist. eccles. l. 4 c. 45 p. 171 ed. Valesii Cantabrig. 1720. Memorat etiam has martyrum solemnitates Tertullianus de coron. milit. c. 3 p. 102 ed. Paris. 1675; et Cyprianus ep. 54 p. 48, atque ep. 57 p. 51 ed. Paris. 1666, mandat clero suo, ut diligenter notetur dies, quo martyres ex hæc vita migrant, sibi que significetur, ut, inquit, *celebrentur hic à nobis oblationes, et sacrificia ob commemorationes eorum*. De hac martyrum veneratione loquitur etiam Augustinus de civit. Dei l. 3 c. 27 opp. t. 7 n. 1 col. 217, et contr. Faustum Manichæum l. 26 c. 21. col. 546 t. 8 ed. Ven. 1755; ubi refutat Manichæorum calumnias, qui non verebantur falso accusare catholicos, quod mortuos adorarent. Quod autem de martyribus dico, idem etiam de Apostolis dictum volo, cum eorum solemnitates ab Ecclesia celebrarentur, potissimum quod pro Christo martyrium pertulissent. In his solemnitatibus legebantur passionum martyrum, quorum dies festus agebatur. Concilium Carthaginense III can. 47 col. 966 t. 1 collect. Harduini, atque hæc forte ea de causa dictæ sunt legenda, quod publice in ecclesia legerentur. Habebantur etiam in eorum laudem orationes, quarum sexcenta sunt exempla apud Chrysostomum, Basilium, Nazianzenum, Nysseum, Augustinum, Ambrosium, Leonem, Chrysologum, atque alios. Paulo serius instituta sunt confessorum solemnitates, atque hinc initio solis martyribus publice dicatæ Ecclesiæ c. 54, 55, 59, 42, martyris tantum, non confessoris mentio est. In oriente IV sæculo Hilarionem celebrasse diem mortis Antonii, scribit Hieronymus in vit. Hilar. c. 50 opp. t. 2 col. 51 ed. Veron. c., et Sozomenus histor. eccles. l. 5 c. 14 p. 114 ed. Valesii Cantabrig. 1720, narrat à Palestina ecclesia celebratam fuisse solemnitatem plurimum confessorum, nimirum Hilarionis, Gazæi, Aurelii, Authedonii, Alexionis, et aliorum. Primus in occidente ex confessoribus publico cultu honorari cepit S. Martinus Turonensis, qui obiit an. 402, atque hunc cultum probavit

Concilium Turonense II, can. 48 col. 560 t. 5, et Matisconense I, can. 9 col. 402 t. 5 collect. Harduini, eique S. Benedictus in Monte Cassino monasterium ædificavit. Contra Jacobus Laderchius edito ab se libro demonstrare conatus est, SS. Confessorum, ac mulierum cultum à prima usque ætate perpetuum in ecclesia catholica fuisse. Equidem non inficior, ab ipsis ecclesiæ primordiis privatum cultum fuisse tributum SS. Patriarchis, Prophetis, Confessoribus, virginibus, ac viduis; cum catholica Ecclesia id semper ratum fixum habuerit, non solum martyres, sed etiam ceteros, qui servatis Christi præceptis, in ejus dilectione mortui sunt, æternam gloriam consequi, eosque etiam colendos, et invocandos esse; atque hæc à primis usque sæculis Patrum omnium sententia semper fuit. Sed publicus, de quo hic tantum loquimur, cultus citius martyribus, serius autem confessoribus datus ab ecclesia est. Consule Card. Bellarminum de Missa l. 6 c. 3 p. 429 §. tertia objectio t. 5 ed. Ven. 1721, et Card. Thomasium præfat. ad codices sacramental. eccles. Roman. n. 5, et ipsius Thomasi vindicias Panormi editas an. 1725, præsertim c. 4 p. 52 et seq.

2. Festi dies, vel mobiles, vel immoviles sunt. Mobiles dicuntur, qui non eodem die quovis anno celebrantur, immoviles, qui certis semper diebus hærent; atque hi sunt Natalis Domini, Circumcisio, Epiphania, dies festi Beatæ Mariæ Virginis, et Apostolorum. Dierum festorum moviliū celeberrimus est Paschalis, à quo omnes reliqui mobiles pendent. Pascha antecedit jejunium quadragesimale, ad quod præparantur animi tribus hebdomadibus, quæ proxime antevortunt; et quarum prima *septuagesima*, altera *sexagesima*, postrema *quingagesima* est (1). Pascha sequitur Ascensio Domini post dies quadraginta, post quinquaginta Pentecoste. Reliqui dies Dominici usque ad Adventum, et ab Epiphania usque ad Septuagesimam, numeris distinguuntur. Ergo in figendo Paschate præcipuus labor.

(1) Plures olim, ac præsertim Monachi, sese à carnibus abstinentes ad Quadragesimam præparabant; et vero græci hanc abstinentiã inchoabant à die, qui Dominicam Sexagesimam proxime sequebatur; post Dominicam vero Quingagesimam, non solum carnibus, sed ne lacte quidem, atque ovibus vescabantur. Itaque à græcis hebdomada Sexagesimæ dicitur *carnis privium*; quo vocabulo non raro utuntur mediæ ætatis Scriptores, ut designent tempus baccanaliū, quoniam tunc christiani carnibus privabantur. Inde ortum forte est vocabulum *Carnevale*, quia tunc christiani carni vale dicebant; et hinc à tollendis, deserendis que carnibus, hoc idem tempus *carne-levanem*, et *carnem-laxare* appellatum, ostendit Muratorius Antiquit. Italie. dissert. 71, unde etiam vocabulum *carnevale* effeci potuit.

3. Est autem celebrandum Pascha die Dominica, quæ post æquinoctium vernali, proxime sequitur lunam XIV Martii, hoc est, plenilunium; sed non illa ipsa die XIV: quia Christus post tridie Paschatis Hebræorum ex inferis resurrexit. Itaque nostrum

Pascha cum Paschate Hebræorum convenire numquam potest. Vetus est hæc de celebrando Paschate Ecclesiæ Romanæ regula, quam Nicænum Concilium probavit contra Asianos, qui festum illum agebant diem ipsa luna XIV, Hebræorum more (1).

(1) Magnæ olim de celebrando Paschate fuere controversiæ, excitatæ præsertim ab Asianis, qui antiquam traditionem proponentes, ipsa luna XIV, more Judaico, pascha celebrandum esse contendebant. Contra Summi Pontifices, nisi traditione, quam à D. Petro acceperant, hanc solemnitate differre- bant ad diem Dominicum, qui post æquinoctium vernalium ipsam lunam XIV proxime sequitur. Romam ea de re venit Polycarpus, ut cum Aniceto Pontifice consilia conferret; sed nihil tunc perfectum est, et Asiaticæ Ecclesiæ in sua sententia permanserunt, sicuti narrat Irenæus in ep. ad Victor. apud Eusebium histor. eccles. l. 5 c. 24 p. 245 et seq. ed. Valesii Cantabrig. 1720. Recruduit controversia Victore Pontifice, qui Asianis Episcopis ecclesiasticam communionem interdixit, quod Pascha eodem, quo Judæi, tempore celebrare pergebant; denique Nicæno Concilio probatum, confirmatumque est, quod à Romanis Pontificibus statutum fuerat. Atque hi, qui Pontificæ, ac Nicæne sententiæ de celebrando paschate pervicacius obsistere ausi sunt, hæretici, et schismatici habiti sunt, et Quartadecimani, Tessaradecatitæ, Andiani appellati. Sed quamquam catholicorum Ecclesiæ de celebrando pascha, te in die Dominico consentirent, non una tamen, eademque erat omnium sententia in hoc Dominico die constituendo. Nam interdum eveniebat, ut ecclesiæ quædam una hebdomada, vel mense citius, quam reliquæ festum illum diem agerent; et Ambrosius quidem ep. 25 n. 15 et seq. col. 94 t. 5 ed. Ven. cit. testatur, anno 387 pascha ter separatim temporibus celebratum fuisse, ab aliis scilicet XII Kal. Apriles, ab aliis XIV Kal. Majas, ab aliis VII Kal. Majas. Similiter Leo M. ep. 140 t. 2 c. 1 p. 401 ed. Rom. tradit, an. 455 octo dierum intervallum inter Romanorum pascha, et pascha Alexandrinorum intercessisse. Tanti hujus discriminis ratio erat, quod non omnes uno, eodemque cyclo uterentur. Priscos christianos Hierosolymitanos adhibuisse constat cyclum Judaicum 84 annorum, quo Judæi aliquanto ante ad constituendam anniversariam paschatis sui celebritatem usi fuerant. Cyclum hunc per ducentos fere annos christiani adhibuerunt, quamquam pascha suum die dominico, non quartadecima luna cum hebræis observarent, uti adversus Josephum Scaligerum de emendat. tempor. l. 2, ostendunt Guillelmus Beveregius in can. 7 Apostol., et Jacobus Usserius prolegom. ad Ignat. c. 9, uterque apud Cotelerium PP. Apostol. t. 1 p. 464, et t. 2, p. 218 ed. Amstelæd. 1724. Post Judaicum statum omnino ab Hadriano sublato, christiani alios cyclos adhibere cœperunt, cum novissent Judaici errores, qui interdum pascha æquinoctio verno anteferebat, adeo ut illud aliquando his in uno anno fieret. Hippolytus Portensis in Arabia Episcopus circa annum 220 cyclum composuit annorum sexdecim, alium annorum octo non multo post dedit Dionysius Alexandrinus Episcopus, et alium undeviginti annorum Anatolius similiter Alexandrinus an. 270, quæ omnia narrat Eusebius Histor. eccles. l. 6 c. 22 et l. 7 c. 20 et 52 p. 286, 344 et 569 ed. Cantabrig. 1720. Sed cum res adhuc incerta maneret, Synodus Nicæna, quæ die tantum dominico pascha celebrandum esse decreverat, omnem hanc curam Alexandrinis Episcopis commisit, ut reliquos Episcopos quoque anno certiores facerent de die dominico, quo pascha celebrare oporteret, sicuti testatur S. Leo

M. ep. 96 ad Marcian opp. t. 2 p. 455 ed. Rom. 1755. Veram hoc Nicænum decretum, vel non ubique obtinuit, vel progressu temporis antiquari cœpit. Nam Cyrillus Alexandrinus ep. Paschal. apud Bucherum de Doctrin. tempor. p. 431 seq. ed. Antwerp. 1654, de gravi queritur confusione, quæ de tempore celebrandi paschatis ubique dominabatur, cum Romanorum, et Alexandrinorum rationes una quandoque hebdomade, vel mense inter se discrepant. Romana enim Ecclesia adhuc vetusto cyclo Judaico annorum 84. non autem novo Alexandrino annorum 19 utebatur. Denique rem perfecit Dionysius Exiguus an. 525, qui in Romanam Ecclesiam induxit canonem Alexandrinum, atque ita omnes inter Romanos, et Alexandrinos ea de re controversiæ sublatae sunt. Sed adhuc magna erat confusio ob discrimen, quod est inter annum astronomicum, et civilem, quo utimur, neque recte novilunia constabant; ideo Gregorius XIII fastos emendandos curavit; et nunc post Gregorianam emendationem ex fastis perpetuis, et Kalendariis, quæ singulis annis evulgantur, facileprehendimus ordinem anni cum civili, tum ecclesiastici. Nostro hoc sæculo hujusmodi argumentum, quod pertinet ad Gregoriani Kalendarii emendationem, atque ad tempus celebrandi Paschatis, late pertractavit Jacobus Bettazzius Pratensis, qui an. 1752. Florentiæ librum edidit, cui titulus: «*Epitome operis Paschalis, proferens necessitatem emendandi correctionem Gregor., deinde opportunam ejusd. Gregor. emendationem sine Kalendarii, et martyrologii variatione: atque exhibens dissertationes 4, et appendices 2 ad materiam de cyclo Paschalis constitutione emendanda.*» Cujus operis deinde ipse Bettazzius defensionem edidit — De Kalend. à Gregor. XIII Pont. reform. concepta lex 14 tit. 1 lib. 1 *Novis. Compilat.*

4. Ex festis diebus quidam sunt omnibus per totum orbem christianum, et omni tempore sacri, ut cuncti dies Dominici, Pascha, Pentecoste, ceteræ majores solemnitates; et quidam sunt non ubique, sed à certis tantum civitatibus, aut provinciis, aut nationibus observati. Ita unaquæque fere civitas suum habet patronum, cujus festum diem agit cum venia Sedis Apostolicæ (1); atque in provinciis quibusdam certi sunt festi dies antiquissima majorum traditione constituti. Rursus quidam sunt festi dies, in quibus ubique Christiani et Missæ sacrificio interesse debent, et ab omnibus se abstinere operibus, quæ servilia vocantur; et quidam sunt minus solemnes, in quibus alicubi Christianis, posteaquam divino sacrificio fuere præsentibus, integrum est suis rebus vacare, ac pauperibus licet victum sibi ex suis laboribus comparare.

(1) De eligendo Sancto Patrono alienius civitatis, aut provinciæ, cujus ab universo populo festus agatur dies, habes apud Lucium Ferraris in Biblioth. verb. *Festa*, n. 4, decretum Sac. Congregationis, Rituum, quod jussu Urbani VIII editum est die 25 Martii an. 1650. Ejus autem decreti summa est, ut si tantum eligantur Patroni, qui Sanctorum albo adscripti sunt, non item qui tantum Beati vocantur; ut hæc electio fiat per secreta suffragia ab universo populo, cum Episcopi, et Cleri consensu; ut hujus electionis cau-



sæ Sacr. Rituum Congregationi aperiantur, ab eaque poseantur, et approbentur. — In Hisp. Patronos habemus, B. V. Mariam sub Immaculatæ Conceptionis titulo, et S. Jacobum Maj.: leg. 16 tit. 1 lib. 4 *Novis. Compital.*, ubi Pont. ea de re Breve 8 Nov. 1760 continetur.

3. Dies festos, quos de præcepto omnes in toto orbe Christiani observare debeant, constituit Summus Pontifex, cujus est auctoritas, et potestas in Ecclesiam universam (1), idemque deminuit numerum minorum festorum (2); quod non nullis ab hinc annis factum est à Benedicto XIV, qui rogantibus Episcopis, et conquerentibus, quod propter festorum multitudinem, vetitosque labores, pauperibus eriperetur occasio sibi parandi victum, et universa pene festa minus religiose observarentur, diebus festis minus solemnibus, integro præcepto audiendi missam, laborandi facultatem attribuit (3).

(1) Consule Urbanum VIII const. *Universa* 720 Bullar. 1. 6 par. 2 p. 541. Episcopos in sua diœcesi dies festos præcipere posse, quidam negant. Sed mihi à Synodo Tridentina sess. 25 cap. 12 de Regular. hæc facultas Episcopo perspicue concedi videtur: et Urbanus VIII in laudata Constitutione *Universa* §. 5, monet quidem Episcopos, ut se à novis festis præcipiendis abstinant, ne nimia eorum copia mali aliquid pariat, non tamen ipsis adimit hanc facultatem. Consule Gonzalezium in c. ult. n. 17 de *Feriis*, et Ferrarium Biblioth. verb. *Festa* in nov. addit. n. 2. Sunt autem etiam à Regularibus, ceterisque exemptis servandi dies festi, quos Episcopus in sua diœcesi servari jussit. Concilium Tridentinum l. c. Vide Giraldum Expos. Jur. Pontif. par. 2 sect. 166 p. 1042.

(2) Extant inter epistolas selectas Cardinalis Bonæ duæ ipsius literæ, nimirum 258 et 259 datæ ad Jo. Baptistam Thiersium auctorem operis *de Diebus festorum imminutione*, atque in postrema ipse reprehendit Thiersium, qui putaverat, Episcopum posse in sua diœcesi tollere dies festos in universa Ecclesia receptos, atque id tantum à Summo Pontifice fieri posse animadvertit. Confer ea de re peculiariem dissertationem editam à Benedicto XIV, quæ descripta est in ejus opere de Canonizatione Sanctorum l. 4. par. 2 c. 16.

(3) Adendum est Benedictus XIV, const. *Non multi* 65 ejus Bullar. 1. 2 p. 505 ed. cit.

6. Sed reliquos dies festos integros Deo, et Religioni tribuere oportet, eaque est, quæ dicitur, festorum sanctificatio, quæ in eo est posita, ut non tantum sacrosancto Missæ sacrificio præsentibus simus, sed etiam diem in divinis laudibus, in precibus, in ceteris religionis officiis transigamus (1). Justum enim est, ac rationi consentaneum, quod vacui reliqui curis, atque negotiis, certos quosdam dies habeamus, quos totos divino cultui tribuamus, Deumque inmortalem, à quo summa, et innumerabilia beneficia accepimus, cognoscamus, colamus, ac vene-

remur. Si enim jussisset, nos quotidie religionis cultum sibi tribuere, nonne pro innumeris, quibus ab eo cumulati sumus, beneficiis, omni ope, et opera enim nos oporteret, ut ei prompto, alacrique animo pareremus? Nunc vero, paucis ad ejus cultum institutis diebus, non socordes, et negligentes nos esse oportet in hoc officio persolvendo, quod sine gravissima culpa prætermittere non possumus (2).

(1) Catechismus Romanus par. 5 præc. 5 c. 4 §. 25.

(2) Catechismus Romanus l. c. §. 26.

7. Itaque his diebus, qui toti Deo, ac Religioni addicti sunt, Christianis abstinendum est ab omnibus, quæ animam à Deo abstrahunt, quæque impedimento sunt, quominus ipsi ad Ecclesias conveniant, rebusque religionis animum adjungant. Hinc vetita sunt opera servilia, quæ olim apud Romanos præsertim à servis gerebantur, et ideo servilia dicuntur (1). Similiter nefas est agere mercatus rerum venalium, quamquam nundinæ longo usu receptæ cum certis legibus tolerentur (2); et nefas judicialia acta exercere, quæ si gesta fuerint die festo, irrita sunt (3). Urgente vero necessitate, veluti si fruges ingenti periculo subsint, aut præclara sit occasio piscandi, quæ alio die haberi non possit, Episcopus metendi, et piscandi tribuit facultatem (4).

(1) Opera servilia, quæ diebus festis expedire nefas est, numerat Lucius Ferraris Biblioth. canon. verb. *Festa* n. 12 et seq. Vide etiam Benedictum XIV, Instit. Eccles. Inst. 45 et 65.

(2) Consule Benedictum XIV, Const. *Ab eo tempore*, 144 ejus Bullar. t. 1 p. 555, ed. Ven. seu Rom. cit.

(3) Leg. 2 et 5 Cod. de *Feriis*, cap. 1 et cap. 5 de *Feriis*.

(4) Cap. 5 de *Feriis*. Catechismus Romanus par. 5 præc. 5 c. 4 §. 25. Vide etiam Benedictum XIV, cit. Const. 144 §. 26 et 27, et cit. Inst. 65. Edicto S. Caroli Borromei spectacula etiam, ac publici ludi interduntur; de quo edicto vide ipsum Benedictum XIV, de Synod. diœces. l. 11 c. 1 n. 7.

In Hispania diem Dominicam, ob memoriam et reverentiam Resurrectionis J. C., nec non diem S. Spiritus in Apostolos Descensionis, cultu maximo veteres nostri observant; concil. Narbon. an. 589, can. 4. Atqui Concil. Cojac., cap. 6, à vespere in sabbato à manuum operibus vacare tenebantur christiani omnes, et in ecclesiam convenire, ac sequenti die Missæ adesse et divinis officiis, constringebantur; nec proinde iter arripere licebat absque gravi causa: quamobrem concil. compostell. an. 1114, decr. 9, ruricolis, diebus festis civitatem, negotiandi ergo, venire, severe vetitum: quin etiam episcopis, presbyteris, et clericis omnibus judicialia sententiam diebus festis dicere prohibitum, atque ut judicialia omnino silerent, mandatum. Ex can. item 4 conc. Tarracon. diebus omnibus Dominicis aqua benedicta, sale permixta, populus erat aspergendus.

Festa quatuor, Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, et Pentecostes, primis ab inde sæculis maxima solemnitate in Hispania celebrabantur; hoc postremum conc. Mliber. can. 43, omnibus in ecclesiis recolendum constituit. Adde his, Gotthorum tempore, festa Circumcisionis, Ascensionis, Inventionis S. Crucis, et ecclesiæ Dedicacionis; SS. Martyrum sollempnitates; quin etiam (ex S. Isidoro. *Offic. lib. 1, c. 55*) Apostolorum quoque addenda memoria est, utpote jam tunc apud Majores nostros celebrata. Hic ergo, ad hispani nominis sempiternam celebritatem, monendum existimamus, nostratam nempe Ecclesiam omnium primam Bmæ. V. M. Conceptionem celebrasse, quod porro festum à sæculo inde VII Hispania egit. In Conc. Tolet. X, c. 1, de Anuntiacionis festo transferendo actum est. Atque S. Ildephonsi aetate, B. V. M. Purificationem cultu tunc fuisse in Hispania prosecutam, ex ejusdem serm. 1 liquido constat.

Posterioribus postmodum sæculis, Apostolorum S. Joannis Baptistæ, plurium SS. Martyrum, Virginum, Confessorum peracta jam tum solemnia fuisse ab Hispanis, arbitrò omnibus manifestum. (Ex M. Vill.)

Denique de festorum apud nos celebratione ac debita erga Ecc. reverentia, vid. Conc. Tolet. III can. 25; Tarracon. c. 4; leg. 10 lib. 2, tit. 1 *Fori Judic.* (Chindasvinthi); legg. 7, 10, 11, 12, et 21, tit. 1 lib. 1 *Novis. Compilai.*

TITULUS VI.

DE JEJUNIIS.

1. QUID JEJUNIUM, ET ABSTINENTIA?—2. JEJUNIUM QUADRAGESIMÆ, QUATUOR TEMPORUM, VIGILIARUM.—3. JEJUNIUM QUARTÆ, AC SEXTÆ FERIE, ET SABBATI.—4. JEJUNIORUM FINIS.—5. VIGILIE.—6. ABSTINENTIA A CARNIBUS, LACTE, OVIS.—7. ET UNICA COMESTIO IN DIEBUS JEJUNII.—8. JEJUNIUM A QUIBUS, ET QUOMODO OBSERVANDUM SIT?

**U**t celebratio dierum festorum, ita jejuniorum observatio pertinet ad religiosa officia Christianorum, qui per ea corpus castigant, atque in officio continent. Jejunium proprie sic dictum, distinguitur ab abstinentia, quæ jejunii pars est. Nam abstinentia propria est eorum, qui carnes non comedunt, sed quavis diei parte cibum sumere possunt; jejunare autem dicuntur ii, qui non modo abstineant se à carnibus, atque à delicato convivio, sed etiam cibum ad certam, statamque horam differunt, atque non nisi semel in die sumunt. Hoc porro est jejunium, quod ecclesiasticum dicitur, et quod cum naturali confundi non debet. Nam hoc nihil cibi, potusque permittit, adeo ut tantum observetur ab iis, qui plane jejuni sunt, hoc est, nihil cibi, aut potus in stomachum immiserunt, quale est jejunium eorum, qui Eucharistiam accipiunt. Verum jejunium ecclesiasticum (1) potum,

cibumque permittit, modo stato tempore, et vero talis capiatur, qualis tunc capi potest.

(1) Jejunium ab Ecclesiasticis Scriptoribus etiam statio appellatur. Hermas in Pastor. l. 3 simil. 5 n. 1 apud Cotelerium PP. Apostol. t. 1 p. 105 ed. Antwerp. 1693. *Respondi, quoniam, Domine, stationem habeo. Quid est, inquit, statio? Et dixi: jejunium. Et dixit, quid est illud jejunium? Sicut solebam, inquam, sic jejuno.* Eodem sensu stationis vocabulum accipiunt Tertullianus de Coron. c. 11 p. 107 de Anima c. 48 p. 500 de Jejun. c. 40 p. 550 ed. Ven. 1744, Cassianus de Conob. inst. l. 5 c. 20 et 24 p. 125 et 129 et collat. 21 c. 29 p. 804 ed. Atrebat. 1628, Isidoro Orig. l. 6 c. ult. p. 83 ed. Paris. 1601. Alii stationem à jejunio distinguunt. Nam Rabanus lib. 2 de Instit. Cleric. c. 13 p. 17 t. 6 opp. ed. Colon. Agrip. 1626, *Jejunium inquit, est indifferenter cujuslibet diei abstinentia, non secundum legem, sed secundum propriam voluntatem. Statio autem est observatio statutorum dierum, vel temporum: dierum, ut quartæ, et sextæ ferie jejunium, ex veteri lege præceptum; temporum autem, ut jejunium quarti, quinti, septimi, et decimi mensis, et observatio Quadragesimæ, quæ in universo orbe institutione Apostolica observatur.* Cur autem statio dictum sit jejunium, explicat Auctor Serm. 21, qui extat in Append. opp. S. Ambrosii t. 4 col. 517 ed. Maurin. Venet. 1751: *Castra enim nobis sunt nostra jejunium, quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt. Denique stationes vocantur, quod stantes, et commorantes in eis, inimicorum insidias repellamus.* Verum Cotelerius in Hermas. l. c. not. 56, inter jejunium, et stationem hoc tantum discrimen fuisse contendit, quod interdum statio pro jejunio quartæ, et sextæ ferie acciperetur; de cætero unum, et idem utrumque fuisse putat. Similiter observat, quod sicuti diebus jejunii conventus, sive stationes Christianorum in Ecclesia longiores erant, quam Dominicis, festisque diebus, hinc forte factum est, ut jejunium stationis nomine vocaretur.

2. Religiosa jejunia apud Christianos (1), alia generali Ecclesiæ lege sunt constituta, atque omnes obstringunt, statoque tempore quotannis redeunt, ut jejunium quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum; et alia certos tantum homines attingunt, qualia sunt jejunia quæ pœnitentibus imponuntur, quæ suscipiuntur ex voto, quæ ab Episcopo in diœcesi, propter solitudinem, curamque ecclesiasticam, indicuntur (2). Inter stata, et solemnia jejunia maxime sacrum est jejunium ante Pascha, quod Quadragesima appellatur, et quod licet à Christo præceptum affirmari non possit (3), tamen ab Apostolica traditione repetendam est (4). Hoc jejunium nunc complectitur dies quadraginta, atque ejus initium fit à die cinerum (5); olim constabat sex hebdomadibus, hoc est, diebus triginta sex (6); nam die dominico Christiani, de veteri more, in memoriam dominicæ Resurrectionis, non jejunabant.

(1) Calviniani, atque in primis Joannes Dallæus lib. de Jejun. et Quadra-

Festa quatuor, Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, et Pentecostes, primis ab inde sæculis maxima solemnitate in Hispania celebrabantur; hoc postremum conc. Mliber. can. 45, omnibus in ecclesiis recolendum constituit. Adde his, Gotthorum tempore, festa Circumcisionis, Ascensionis, Inventionis S. Crucis, et ecclesiæ Dedicacionis; SS. Martyrum sollempnitates; quin etiam (ex S. Isidoro. *Offic. lib. 1, c. 55*) Apostolorum quoque addenda memoria est, utpote jam tunc apud Majores nostros celebrata. Hic ergo, ad hispani nominis sempiternam celebritatem, monendum existimamus, nostratam nempe Ecclesiam omnium primam Bmæ V. M. Conceptionem celebrasse, quod porro festum à sæculo inde VII Hispania egit. In Conc. Tolet. X, c. 1, de Anuntiacionis festo transferendo actum est. Atque S. Ildephonsi aetate, B. V. M. Purificationem cultu tunc fuisse in Hispania prosecutam, ex ejusdem serm. 1 liquido constat.

Posterioribus postmodum sæculis, Apostolorum S. Joannis Baptistæ, plurium SS. Martyrum, Virginum, Confessorum peracta jam tum solemnia fuisse ab Hispanis, arbitrò omnibus manifestum. (Ex M. Vill.)

Denique de festorum apud nos celebratione ac debita erga Ecc. reverentia, vid. Conc. Tolet. III can. 25; Tarracon. c. 4; leg. 10 lib. 2, tit. 1 *Fori Judic.* (Chindasvinthi); legg. 7, 10, 11, 12, et 21, tit. 1 lib. 1 *Novis. Compilati.*

## TITULUS VI.

## DE JEJUNIIS.

1. QUID JEJUNIUM, ET ABSTINENTIA?—2. JEJUNIUM QUADRAGESIMÆ, QUATUOR TEMPORUM, VIGILIARUM.—3. JEJUNIUM QUARTÆ, AC SEXTÆ FERIE, ET SABBATI.—4. JEJUNIORUM FINIS.—5. VIGILIE.—6. ABSTINENTIA A CARNIBUS, LACTE, OVIS.—7. ET UNICA COMESTIO IN DIEBUS JEJUNII.—8. JEJUNIUM A QUIBUS, ET QUOMODO OBSERVANDUM SIT?

**U**t celebratio dierum festorum, ita jejuniorum observatio pertinet ad religiosa officia Christianorum, qui per ea corpus castigant, atque in officio continent. Jejunium proprie sic dictum, distinguitur ab abstinentia, quæ jejunii pars est. Nam abstinentia propria est eorum, qui carnes non comedunt, sed quavis diei parte cibum sumere possunt; jejunare autem dicuntur ii, qui non modo abstineat se à carnibus, atque à delicato convivio, sed etiam cibum ad certam, statamque horam differunt, atque non nisi semel in die sumunt. Hoc porro est jejunium, quod ecclesiasticum dicitur, et quod cum naturali confundi non debet. Nam hoc nihil cibi, potusque permittit, adeo ut tantum observetur ab iis, qui plane jejuni sunt, hoc est, nihil cibi, aut potus in stomachum immiserunt, quale est jejunium eorum, qui Eucharistiam accipiunt. Verum jejunium ecclesiasticum (1) potum,

cibumque permittit, modo stato tempore, et vero talis capiatur, qualis tunc capi potest.

(1) Jejunium ab Ecclesiasticis Scriptoribus etiam statio appellatur. Hermas in Pastor. l. 5 simil. 5 n. 1 apud Cotelerium PP. Apostol. t. 1 p. 105 ed. Antwerp. 1693. *Respondi, quoniam, Domine, stationem habeo. Quid est, inquit, statio? Et dixi: jejunium. Et dixit, quid est illud jejunium? Sicut solebam, inquam, sic jejuno.* Eodem sensu stationis vocabulum accipiunt Tertullianus de Coron. c. 11 p. 107 de Anima c. 48 p. 500 de Jejun. c. 40 p. 550 ed. Ven. 1744, Cassianus de Conob. inst. l. 5 c. 20 et 24 p. 125 et 129 et collat. 21 c. 29 p. 804 ed. Atrebat. 1628, Isidoro Orig. l. 6 c. ult. p. 83 ed. Paris. 1601. Alii stationem à jejunio distinguunt. Nam Rabanus lib. 2 de Instit. Cleric. c. 13 p. 17 t. 6 opp. ed. Colon. Agrip. 1626, *Jejunium inquit, est indifferenter cujuslibet diei abstinentia, non secundum legem, sed secundum propriam voluntatem. Statio autem est observatio statutorum dierum, vel temporum: dierum, ut quartæ, et sextæ ferie jejunium, ex veteri lege præceptum; temporum autem, ut jejunium quarti, quinti, septimi, et decimi mensis, et observatio Quadragesimæ, quæ in universo orbe institutione Apostolica observatur.* Cur autem statio dictum sit jejunium, explicat Auctor Serm. 21, qui extat in Append. opp. S. Ambrosii t. 4 col. 517 ed. Maurin. Venet. 1751: *Castra enim nobis sunt nostra jejunium, quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt. Denique stationes vocantur, quod stantes, et commorantes in eis, inimicorum insidias repellamus.* Verum Cotelerius in Hermas. l. c. not. 56, inter jejunium, et stationem hoc tantum discrimen fuisse contendit, quod interdum statio pro jejunio quartæ, et sextæ ferie acciperetur; de cætero unum, et idem utrumque fuisse putat. Similiter observat, quod sicuti diebus jejunii conventus, sive stationes Christianorum in Ecclesia longiores erant, quam Dominicis, festisque diebus, hinc forte factum est, ut jejunium stationis nomine vocaretur.

2. Religiosa jejunia apud Christianos (1), alia generali Ecclesiæ lege sunt constituta, atque omnes obstringunt, statoque tempore quotannis redeunt, ut jejunium quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum; et alia certos tantum homines attingunt, qualia sunt jejunia quæ pœnitentibus imponuntur, quæ suscipiuntur ex voto, quæ ab Episcopo in diœcesi, propter solitudinem, curamque ecclesiasticam, indicuntur (2). Inter stata, et solemnia jejunia maxime sacrum est jejunium ante Pascha, quod Quadragesima appellatur, et quod licet à Christo præceptum affirmari non possit (3), tamen ab Apostolica traditione repetendam est (4). Hoc jejunium nunc complectitur dies quadraginta, atque ejus initium fit à die cinerum (5); olim constabat sex hebdomadibus, hoc est, diebus triginta sex (6); nam die dominico Christiani, de veteri more, in memoriam dominicæ Resurrectionis, non jejunabant.

(1) Calviniani, atque in primis Joannes Dallæus lib. de Jejun. et Quadra-

ges., contendunt, de veteri ecclesie more, Christianos pro arbitrio suo, non autem ex necessitate, jejunia observasse. Hinc, ajunt, jejuniorum disciplinam, quæ à Catholica ecclesia constituta est, non abesse à sententia Montanistarum; quoniam ut his erant, ita catholice ecclesie sunt stata jejunia, quæ ex necessitate observari debeant. Sed putidæ hæ calumnie sunt, quas satis refutarunt catholici, quos inter videndus est Natalis Alexander Histor. Eccles. sæc. 2 dissert. 4 t. 5 p. 504 seq. ed. Ven. 1776. Sane veteris Ecclesie jejunia non ex hominum voluntate, et arbitrio, sed ex legis necessitate, Christiani observarunt; et Montanistarum jejunia Ecclesia rejecit, atque damnavit, quod ea illi ducerent ex figmento novarum revelationum, quas se à Paraceto Montanus accepisse jactabat. Egregie etiam de catholicorum jejuniis contra hæreticos doctissimi Cardinales Baronius, Bellarminus, Cozza, Gottus disputarunt.

(2) Vide Benedictum XIV de Synod. dioces. l. 15 c. 4 n. 6., ubi etiam queritur, num exempti observare debeant jejuniū, quod ab Episcopo pro tota diocesi indictum est.

(5) Consule Ludovicum Thomassinum in tract. de Jejun. par. 1 c. 4. S. Hieronymus in Isaiam l. 16 t. 4 c. 58 col. 688, et in Jonam c. 5 opp. t. 6 col. 416 ed. Vallar. Veronæ 1756, quadragesimæ jejuniū repetere videtur ex jejuniō, quod per dies quadraginta Moyses, Elias, et Christus Dominus observarunt. Verum id ita intelligendum est, non quod Christus de quadragesimali jejuniō disertum, atque expressum mandatum dederit, sed tantum quod proposuerit exemplum, cui insistens Ecclesia, quadragesimæ jejuniū instituit, uti monet Augustinus Epist. 55 ad Januar. c. 15 opp. t. 2 col. 159 ed. Venet. 1729. Atque ita etiam intelligendi sunt Basilius, Theophilus, Cyrillus Alexandrini, Petrus Chrisologus, ceteri Patres, qui hoc jejuniū ad divinam institutionem referunt. Vide Bertium Histor. Eccles. t. 1 dissert. 6 n. 51.

(4) S. Augustinus de Baptismo contr. Donatist. l. 4 c. 24 opp. t. 9 col. 140 ed. cit., S. Hieronymus Ep. 41 ad Marcellam opp. t. 1 n. 5 col. 187 ed. cit., S. Leo M. Serm. 45 de Quadrages. c. 2 opp. t. 1 p. 117 ed. Rom. 1755. Apostolos observasse constat jejuniū *ante paschale*, quod numero dierum à quadragesimali differt, quoniam complectebatur tres illos dies, qui inter Christi mortem, atque ejus resurrectionem intercesserunt. Ante paschale hoc jejuniū ipsa fortasse ætate Apostolorum amplificatum deinceps est, atque ita quadragesima instituta; et certe cum hæc institutio retenta semper in universa ecclesia fuerit, atque ejus origo ignoretur, non nisi Apostolica auctoritate tradita haberi debet, quæ celebris est Augustini regula. Consule Natalem Alexandrum cit. dissert. 4 art. 5 p. 515, et Selvagium Antiq. christian. l. 2 par. 2 c. 7 §. 4 et 5. Porro quadragesimam tanquam ubique observatam, ac jampridem receptam, memorant Origenes Hom. 10 in Levit. opp. t. 2 p. 246 ed. Maurin. Paris. 1755, Concilium Nicæn. can. 5 col. 526 t. 1 collect. Harduini, Athanasius in Apolog. ad Constant. opp. t. 1 p. 241 n. 15 ed. Patav. 1777, Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 5 de Bapt. p. 4 et in Notis ed. Paris. 1720, Basilius Hom. 2 de Jejun. opp. t. 2 p. 11 n. 2 ed. Paris. 1722, Gregorius Nazianzenus Orat. 40 in baptism. t. 4 p. 659 ed. Colon. 1690, Epiphanius in Exposit. fid. t. 1 c. 22 p. 1105 ed. Paris. 1622., Leo M. Serm. 1 et seq. de Quadragesim. opp. t. 1 col. 145 et seq. ed. Ballerin. Ven. 1755; alique Patres. Illud non omittam, et alias olim fuisse quadragesimas, ideoque illam, quam statim Pascha sequitur, *majorem* appellatam fuisse, ut à reliquis distingueretur. Confer. Cl. Card. Garampiam Memorie della B. Chiara di Rimini dissert. 6 §. 6 et seq. p. 202 seq.

(5) Quis diem cinerum, et tres dies alios initio quadragesimalis jejunii primus addiderit, ut numerus conficeretur quadraginta dierum, incertum est. Alii id à Gregorio M., alii à Gregorio II. factum putant.

(6) Quædam Ecclesie sex hebdomadibus, et quædam septem jejuniū observabant; uti constat ex Cassiano cellat. 21 c. 24 et seq. p. 568 et seq. ed. cit. Sed nulla tamen earum quadraginta dierum numerum explebat, cum illæ dies Dominicos, hæ vero etiam Sabbata exciperent, et ideo tantum ex diebus triginta sex jejuniū constaret: Chrysostomus Hom. 11. in Genes. c. 2 opp. t. 4 p. 84 ed. cit. Paris., et Ambrosius de Elia c. 10 n. 54 l. 1 col. 655 ed. Maurin. Ven. 1748. Atque ita quidem quadragesimam usque ad ætatem Gregorii M. observatam fuisse, constat ex ejus Hom. 16 in Evangel. opp. t. 1 l. 1 n. 5 col. 149 ed. cit.

3. Stati jejuniorum dies erant etiam quarta, et sexta feria in qualibet hebdomade, quæ jejunia jam inde à primis sæculis recepta sunt, quod quarta feria Judæi ad occidendum Christum consilium inierint, feria sexta interfecerint (1). Jejunia hæc, quæ singulis hebdomadibus, exceptis quinquaginta diebus à Paschate ad Pentecosten, observabantur, non ad vespas, uti quadragesimalia, producebantur, sed hora nona finiebantur (2). Latini ab antiquissima ætate etiam jejuniū Sabbati habuerunt, quod semper una cum jejuniō sextæ feriæ retinuerunt; jejuniū quartæ feriæ labentibus annis paulatim desiit (3). Nunc feria sexta, et Sabbati jejuniū tantum à carnibus abstinentia est.

(1) Clemens Alexandrinus Strom. l. 7 c. 12 p. 377 ed. Ven. 1757., Epiphanius hæres. 56 sive 76 n. 3 et 6 l. 3 t. 1 p. 908 et 910 ed. Coloniae 1682., Augustinus Epist. 86 seu 56 ad Casulanum opp. t. 2 c. 15 n. 30 col. 80 ed. Ven. 1729. Petrus Alex. can. 15 col. 25 apud Bevereg. ed. Oxonii 1672. Auctor constit. Apostol. l. 5 c. 15 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 522 ed. Amstelæd. 1724.

(2) Ætate Ratherii Veronensis, qui ante medium sæculum X vitæ usura fruebatur, mitigari cœperat antiqua disciplina, et jejuniū quadragesimale non amplius ad vespas, sed tantum ad nonam producebatur, uti ostendit ipse Ratherius Orat. Synodic. ad Presbyter. n. 15 col. 420 ed. Veron. 1765. Sed etiam post eam ætatem vetustam disciplinam alicubi stetisse, mōnent Fratres Ballerini ibid. not. 48.

(3) Orientales unum Sabbatum post Parasceven jejuniō consecrabant, cæteris vero totius anni Sabbatis, non solum non jejunabant, sed eodem fere solempni ritu, quo diebus dominicis, sacros conventus, et synaxes celebrabant, uti testantur Athanasius Hom. de Semente t. 5 n. 1 p. 45 ed. Patav. 1777., Socrates Histor. Eccles. l. 5 c. 22 et l. 6 c. 4 p. 295 et 315 ed. Valesii Cantabrig. 1720, Cassianus Instit. l. 5 c. 2 p. 50 ed. cit. Quinimo die Sabbati vetitum ipsius erat jejuniū, uti patet ex can. 56 Apostol. apud Cotelerium l. c. p. 450., et Auctore constit. l. c., quod à Catholicis Orientalibus factum est, ne assentiri viderentur errori Marcionis, qui Sabbati jejuniū suæ fecerat hæreseos partem, uti demonstrat Epiphanius hæres. 22 vel 42 l. 1 t. 1 c. 5 p. 304 ed. cit. Quæ disciplina magis magisque apud Orientales firmata est, cum hæreses eruperunt Marcionitarum, Lampetia-

norum, Choreutarum, Adelpianorum, qui superstitiosa, et vana observatione Sabbato jejunabant. Orientalium consuetudinem nunquam damnavit Ecclesia Romana, imo à Benedicto XIV, Const. Etsi pastoralis 57 §. 9 n. 8 et seq. Bullar. t. 1 p. 110 cit. ed., tolerandus edicitur apud Græcos usus carniū die Sabbati, si sine scandalo fieri potest, in locis autem ipsorum, et inter eos tantum. Gabriel Albaspinæus observ. l. 1 c. 15 p. 50 ed. Neap. 1770, putat, olim etiam in Ecclesia Romana die Sabbati carnes edi consuevisse. Verum sæculo IV jam Sabbatum inter esuriales dies recensebatur, ut ostendunt Hieronymus Ep. 71 ad Licinium Bat. n. 6 col. 452 t. 1 ed. Verona 1754, Augustinus Ep. 56 ad Casulan. c. 45 n. 51. et Ep. 82 ad Hieronym. c. 2 n. 14 opp. t. 2 c. 108 et 256 ed. Maurin. Ven. 1759. Vide etiam Concilium Eliberitanum can. 26 t. 1 conc. Labbæi col. 995 ed. Ven. Neque vero hoc Sabbati jejunium, ut quidam putant, primum institutum est ab Innocentio I, Epist. ad Decent. Eugubin. c. 4 n. 7 apud Constantium col. 859.; nam Innocentius non novi aliquid constituit, sed confirmat, quod jam constitutum, receptumque erat. Vide Bertium Hist. Eccles. t. 2 diss. 1 n. 5. Extat etiam de jejunio Sabbati dissertatio Paschasi-Quenelli, quæ est dissert. 6 in opp. S. Leonis t. 2 col. 1069 ed. Ballerin. Ven. 1756. In Africa ætate Augustini, uti ipse testatur cit. Ep. ad Casulanum n. 52 col. 103, quædam Ecclesie erant, quæ Sabbato jejunabant, quædam, quæ non jejunabant; item in Ecclesia Mediolanensi Sabbati jejunium non observabatur, uti narrat ipse Augustinus l. c., et Ambrosius de Elia et jejun. c. 10 n. 54 opp. t. 1 col. 655 ed. Ven. 1748; similiter in Hispaniæ Romanæ Ecclesia consuetudinem non obtinuisse, constat ex Conc. Coyacensi c. 11 l. 6 par. 1 collect. Harduini col. 1028. Labentibus annis jejunium Sabbati fere ubique antiquari cœpit, et ideo S. Gregorius VII. in Concilio Romano can. 51 dist. 1 de consecrat. non ausus antiquam disciplinam integram restituere, satius putavit Fideles commone, ut ea die sese ab esu carniū abstineant. Innocentius III. in e. observant. jejun. cum à Bracharensi Episcopo de Sabbati jejunio interrogatus fuisset, respondit, quod super hoc consuetudinem tuæ regionis fuerit observare. Hinc communis Doctorum opinio est, licere die Sabbati carnes comedere, ubi earum esus à recepta consuetudine non est interdictus. Consule Glossam in cit. can. 51., S. Antonium in Summ. Theolog. par. 1 tit. 16 c. unic., Fagnanum in can. cit. c. 2 n. 19 et seq. de observant. jejun., Pirhingium Jus eccles. tit. 46 l. 3 n. 2.

4. Quatuor temporum jejunia initio Quadragesimæ, post Pentecosten, ac mensibus Septembri, et Decembri, quarta, ac sexta feria, et Sabbato, quotannis celebrantur (1). Exemplo Judæorum, qui quater in anno jejunabant, quatuor temporum jejunia recepit Ecclesia, quæ jam sæculo V obtinebant (2), quamquam non Judaico ritu, sed Christiano animo observarentur (3). Quibus jejunatis id sibi vult Ecclesia, ut pro acceptis beneficiis Deo gratias agamus, ut divinam opem exoremus, atque his pœnitentiæ operibus nostra crimina expiantur, ut denique bonos altaris ministros divinitus impetremus. Nam his temporibus, uti superiori libro demonstratum est, solennes clericorum ordinationes peraguntur.

(1) Trium temporum jejunia ab Apostolis instituta fuisse, Callixtum tantem Summum Pontificem addidisse jejunium Decembris, scriptum est in Ep. 4 ipsius Callisti; verum hæc epistola Isidori Mercatoris lignentum est. Ab Apostolica traditione initium sumere hoc jejunium, tradunt Baronius ad an. 57 n. 209 t. 1 p. 433 ed. Lucæ, et Thomassinus de Jejun. par. 1 c. 21 n. 7. Gam deinde aliqua ex parte vetus disciplina immutata esset, et nonnullæ ecclesie verum jejunium mense Martio, æstivum vero in hebdomade, quæ post festum Pentecostes sequitur, quodam more celebrarent, S. Gregorius VII Quadragesimæ initio primum jejunium fieri, alterum in hebdomade Pentecostes, perpetua lege constituit. Quod memorat Micrologus, scriptor Gregorio suppar, de Eccles. observ. c. 24 et 25 col. 746 et seq. in Biblioth. PP. t. 10 ed. Paris.; et huc spectat Concilium Claromontanum habitum Urbano II Pontifice can. 27 apud Labbæum t. 12 col. 852 ed. Ven. Confer Odeurium Vitalem de Histor. eccles. l. 9, et Muratorium in Anecd. l. 2 diss. de Jejun. quatuor temporum. Præsertim autem videndus est Thomas Valfredius, qui anno 1771 Bononiæ dissertationem edidit de Usu et Institutione jejuniorum temporum.

(2) Consule S. Leon. M. de Decim. mens. jejun. Serm. 6 c. 1 p. 52 et Serm. 8 c. 2 p. 58 de Jejun. Pentecost. Serm. 2 c. 2 p. 251 et Serm. 4 c. 4 p. 255 de Jejun. mens. septim. Serm. 4 et 9 opp. t. 1 p. 256 et 270 ed. Rom. 1755.

(3) S. Leo M. cit. Serm. 4 de Jejun. sept. mens. c. 1 p. 256 t. 1 ed. cit.

5. Sed et in vigiliis Natalis Domini, Pentecostis, Assumptio- nis B. Virginis, multorumque Sanctorum per annum jejunia observantur. Vigiliæ erant nocturni cœtus, quos Christiani in Ecclesia habebant ante præcipuum aliquem festum diem, ut divina officia persolverent. Hæc differebant à communi nocturno, seu matutino officio, quod hoc non nisi post mediam noctem circa gallicantum incipiebat, vigiliæ autem longiores erant, quod cœtum in Ecclesia per maximam noctis partem delinebant, unde et *Pernoctationes*, et *Pervigiliæ* dicebantur (1). Nunc, cum non amplius fideles noctu ad Ecclesiam conveniant, vigiliæ illæ cum jejunio agenda sunt.

(1) Videndi sunt in primis S. Joannes Chrysostomus Homil. 1 l. 6 p. 95., et Homil. 4 p. 121. Homil. 50 in Genesim t. 4 n. 6 p. 505, Homil. de Terræ motu t. 2 p. 718 ed. Paris. cit., S. Augustinus confess. l. 9 c. 7 n. 1 opp. col. 162, ed. Ven. 1729, Socrates l. 1 c. 57 p. 75, et Sozomenus l. 2 c. 6 et 23 p. 55 et 86, uterque ed. Valesii Cantabrig. 1720, Sidonius Apollinaris l. 3 Ep. 17 p. 148 ed. Paris. 1652.

6. Jamvero duabus veluti partibus jejunium constat, abstinentia à carni- bus, ovis, lacte, aliisque cibis delicatioribus, et unica in die comestione. Nam institutum est, ut agamus pœnitentiam, et corpus affligamus. Et abstinentia quidem à carni- bus, cibisque delicatioribus, semper ecclesiastici jejunii pars

fuit, atque etiam antiquis canonibus constituta (1). Cibi quoque delicatiores, viniq[ue] potus erant interdicti (2), ac multi addictos jejuniu[m] dies fructibus, herbis, leguminibus transigebant, multi quoque ad duos, tresve, aut quatuor dies jejuniu[m] producebant, neque deerant, qui tota hebdomade prorsus jejuni vitam agerent (3). Quin ab ipso aquæ potu, nisi legitimum advenisset solvendi jejunii tempus, sese Majores nostri abstinabant (4).

(1) Præclarum quadragesimalis abstinentiæ monumentum est apud S. Gregorium Turonensem l. 5 c. 4 p. 205. ed. Paris. 1690, qui miratur, quod Rucculenus, licet ægrotus, et miles, quadragesimæ tempore carnes comederet. Eandem hanc abstinentiam laudat S. Epiphanius *Exposit. fid.* c. 25 t. 1 p. 4106 ed. Paris. 1622. In Capitulatione de partibus Saxoniae cap. 4 apud Baluzium capitular reg. Francor. t. 1 col. 181 ed. Ven. 1772. statutum est, ut si quis sanctum quadragesimale jejuniu[m] pro despectu Christianitatis contempserit, et carnes comederit, morte moriatur. Et Carolus M. Ep. ad Olfam Regem Merciorum, apud eundem Baluz. l. e. col. 193, graviter reprehendit Scotum quemdam Presbyterum, quod carnem diebus quadragesimalibus comedisset. Confer Natalem Alexandrum cit. dissert. 4 artic. 2 p. 595 et seq. qui late contra Dallæum, cæterosque hæreticos ostendit, abstinentiam à carnibus semper ecclesiastici jejunii partem fuisse, atque etiam apud veteres christianos Ecclesiæ lege præceptam. Vide etiam Bossuetum *Histoir. des Variations*. l. 7 n. 92. Quæritur autem num hæc abstinentia ad antiquam consuetudinem, an potius ad jus positivum referenda videatur; quæ de re vide Benedictum XIV. *Inst. eccles.* l. 16 n. 5.

(2) Basilius Hom. 1 de Jejun. l. 2 p. 9 n. 10 ed. cit. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 4 ad Illuminat. p. 65 c. 27 ed. Paris. Vide etiam quæ de Valentiniano Jun. narrat S. Ambrosius in ejus Orat. col. 254 n. 16 t. 4 ed. Ven. 1751, de Justiniano Procopius de *Ædific.* Justinian. l. 1 c. 7 p. 19 t. 3 ed. Paris. 1665.

(3) Confer Augustinum de morib. eccles. catholic. c. 55 n. 70 col. 712 t. 1. 1 ed. cit., et Auctorem constit. Apostolic. l. 5 c. 13, ibique Cotelerium not. 18 p. 525, qui multis allatis monumentis ostendit, quousque jejunii austeritas apud majores nostros progrediretur. Intendebatur autem jejuniu[m] potissimum in majori hebdomade, quo temporis intervallo veteres christiani sub vespere utebantur arido victu, qui constabat aut pane, et sale cum aqua, uti tradit Epiphanius *Exposit. fidei* n. 22 t. p. 1105 ed. Petavii Paris. 1622., aut pane, aqua, sale, et oleribus, uti enim describit Auctor const. Apostolic. l. e. Aridum hunc victum per totam Quadragesimam adhiberi jubet Concilium Laodicenum can. 50 t. 1 conc. Labbei col. 1559 ed. Ven. Sed Laodiceno Concilio recentior Epiphanius l. e. legem hanc, *xerophagiorum* dietam, tantum in majori hebdomade ab Ecclesia universa observatam fuisse testatur. Ipse enim triplicem jejunii formam distinguit: alteram illius Quadragesimæ partis, quæ septem dies Paschalis, seu majorem hebdomadam præcedit; hæc mitior erat, quoniam xerophagiis minime adstricta; alteram majoris hebdomadæ, quæ illa severior erat, ac xerophagiorum lege tenebatur; postremam utraque asperiores, quoniam hujus hebdomadæ pars, imo et tota sine cibo tradebatur. Prima, et altera universæ Ecclesiæ, cunctisque populis in more erat, et ideo vim legis habuit; postrema vero iis tantum, qui

plus pietate fervebant, merumque consilium, non præceptum fuit: Epiphanius antiquiores, Irenæus, Ep. ad Victor. P. opp. t. 1 p. 340 ed. Ven. 1751, et Dionysius Alexandrinus, Ep. ad Basilid. apud Labbæum t. 1 Conc. col. 855 ed. t. Ven., ostendunt, plures etiam ea ætate fuisse de forma, ac ratione antepaschalis jejunii controversias. Consule Masuetum in Irenæum dissert. 2 art. 1 n. 25 et seq. p. 74 et seq. opp. Iren. t. 2 ed. cit. Cæterum qui plures continuos dies jejuniu[m] agebant, dicebantur jejuniu[m] superponere, et conjungere, uti habent Epiphanius l. e., Tertullianus de Patient. c. 45 p. 147 ed. Paris. 1675, Hieronymus Ep. 24 ad Marcellam n. 4 col. 128 opp. t. 1 ed. Veronæ 1754, de qua quidem *superpositione* jejunii videndus est Du-Cangius verb. *Cluperpositio* Confer etiam Tertullianum de Jejun. c. 44 p. 552, et Sozomenum *Hist.* l. 1 c. 41 p. 24 ed. Valesii Cantabrig. 1720.

(4) Celebre est, quod de S. Fructuoso Episcopo Tarracensi narrat Prudentius Hymn. 6 p. 183 ed. Paris. 1687, qui cum ad mortem raperetur, haustum frigidæ recusavit, quod illo die jejuniu[m] ageretur, neque adhuc ejus solvendi tempus advenerat. Alia multa ea de re habet Bailletus t. 5 de Vit. Sanctor. in *Hist. quadrag.* §. 4 et. 7, ac Mamachus *Costumi de' primitivi Christiani* t. 2 l. 2 c. 5 §. 2 seq. p. 109 seq.

7. Unica etiam in die comestio, quæ ex cibis esurialibus frugaliter (1), atque hora legitima, hoc est, circa meridiem capitur, jejunii partem constituit (2). Nunc jejunantibus exigua cœnula permittitur, quæ *collatio* dicitur (3), quæque constare debet ex eo cibo, eaque potione, quibus homines jejunantes recte meticulosæ conscientiæ uti solent (4).

(1) Qui in illa unica comestione, ciborum copia, modo, vel condimentis communes excedit limites, si minus præceptum ecclesiasticum reipsa violat, tamen immunis non est ab intemperantiæ nota, sicuti docet S. Thomas in 4 dist. 15 q. 3 art. 4 q. 5 ad 2. Igitur norma quædam, sicuti inquit Benedictus XIV, *Inst. eccles. Inst.* 15 num. 12, *pro ciborum genere, copia, modoque statuendo, ex piis, moderatisque viris* sumenda est. Ipse Benedictus XIV, post editas Institutiones, quas emisit, cum Cardinalis esset, postquam Pontifex creatus est, Constitutionibus suis, quas paulo post indicabo, edixit, quid de jejuniu[m], ciborumque genere observandum sit.

(2) Quæsitum est à Theologis, num duæ illæ partes, quibus jejuniu[m] constat, abstinentia à certis cibis, et unica comestio, ita inter se conjunctæ, et conglutinatæ sint, ut una sublata, altera quoque necessario tolli debeat. Sed inutilis est hæc disputatio, posteaquam Benedictus XIV, const. 19. 27, 55, 99 ejus Bullar. r. 1 p. 29, 59, 100, 216 ed. ind., jussit Episcopis, ne cui valetudinis causa diebus quadragesimæ carnibus vesci permittant, nisi adjuncta lege servandi alteram jejunii partem, quæ in unica comestione consistit. Confer ipsum Benedictum cit. *Inst.* 15 n. 19 et seq. et de Synod. dioces. l. 7 c. 5 n. 1.

(3) *Collatio*, sive cœnula vespertina originem ducit à monachis, quibus, ob laborem manuum, in quo tota die versati fuerant, ipsis jejunii diebus, post sumptum sua hora cibum, haustus aquæ permittebatur, cui deinceps frustulum panis adjunctum est, ne simplex aqua noceret. Erat autem proprie collatio, lectio spiritualis, quæ statis horis, maxime post cœnam, quotidie absolvebatur, quæque in claustro, vel in capitulo fieri solebat, diebus au-

tem jejunii fiebat in refectorio, ne scilicet tempus regularis vite officiis destinatum, in illa cœnula tereretur. Mox ut surrexerint à cœna, inquit Regula S. Benedicti cap. 42 apud Holstenium cod. regul. t. 1 p. 127 ed. Aug. Vin. del. 1759, *sedent omnes in unum, et legat unus collationes, vel vltas Patrum, aut certe aliud, quod celsificet audientes.* Eodem sensu collationis vocabulum accipit Isidori Regula e. 8 p. 192 ibid. Semper autem vespertinus ille ad refectorem aditus esurialibus diebus significabatur his verbis: *ire ad collationem, aut accedere ad lectionem collationum.* Nomen hoc collationis translatum est deinceps ad cœnulam illam, sive refectorem vespertinam, quemalmodum illud adhibetur in Regula Templariorum e. 16 apud Holstenium tit. 2 ibid. p. 454, eodemque sensu hoc verbum usurparunt sæculares, cum illam cœnulam sumere cœperunt. Vide Natalem Alexandrum cit. dissert. 4 art. 7 prop. 2 p. 551.

(4) Benedictus XIV. const. Si Fraternitas 99 p. 216 t. 1 Bullar. ed. cit.

8. Observatio jejunii omnibus indicta est, qui ad constitutionem aetatem pervenerunt; et Episcopus curare præsertim debet ut hæc integra observatio sit (1). Verum carnes, aut ova comedendi facultas à Præsilibus iis tribuitur, præsertim in Quadragesima, qui iudicio medicorum propter adversam valetudinem cibos esuriales ferre non possunt (2); et sæpe etiam à Summis Pontificibus integræ nationi iustis de causis eadem hæc venia conceditur (3). In quo illud animavertere oportet, quod quibus est permissus esus carniū, ovorum, casei, lactis, ii jejunii diebus unicam comestionem servare debent (4), neque cum carniū pisces miscere possunt (5), aut in vespertina cœnula carne, ovis, lacte, caseo vesci (6).

(1) Concilium Tridentinum sess. 25 de Reform. decret. de Elect. cibor. jejun. et dieb. fest.

(2) Late, ac diligenter hoc argumenti genus persequitur Benedictus XIV. Inst. Eccl. Inst. 15 n. 15 et seq.

(3) Inter ceteras, quæ à Romanis Pontificibus integræ nationi ea de re datæ sunt facultates, celebris est *Bulla Cruciatæ*, quæ ita dicitur, quod olim hæc Bulla concederetur militibus, qui rubro signo S. Crucis insigniti, ad bellum contra Turcas proficiscebantur sub Urbano II. et in Concilio Lateranensi sub Julio II. Nunc conceditur Christianis omnibus in Regno Neapolitano, atque in regnis, et provinciis Hispaniarum Regi subjectis, certam opem, sive operam in subsidium belli contra infideles, et hæreticos conferentibus. Hoc idem privilegium an. 1745 Benedictus XIV. in constit. *Quoniam*, 86 t. 1 ejus Bullar. et cit. p. 172, attribuit etiam Militiæ Hierosolymitanæ, et incolis insularum ipsius ditioni subjectarum. Qui ejus Bullæ beneficio utuntur, præter alia privilegia, illud etiam habent, ut perseverante anno Bulæ, ovis, lacte, carniū jejunii diebus vesci possint. Multa, quæ ad hæc Bullam pertinent, præter ceteros, collegit Lucius Ferraris Biblioth. verb. *Bulla Cruciatæ*.

(4) Benedictus XIV. constit. *Non ambigimus* 19 §. 4 p. 50; et const. *Si Fraternitas*, 99 p. 217 ejus Bull. t. 1 ed. cit.

(5) Benedictus XIV. Const. 19 §. 4 et const. 99 mox, citat.

(6) Benedictus XIV. ead. Const. 99. Vide etiam ejusdem Benedicti Constitutionem *Libentissime* 150 p. 319 tit. 1 ejus Bullar.; ubi multa habes, quæ ad jejunii leges pertinent.

Primis sæculis, *Quadragesimæ* jejuniū diebus quinque posterius quam apud nos in more hodie est, incipiebat, ut S. Isidor. (*Offic. lib. 1.*) scripsit. Iste mos apud Rom. Ecclesiam ad sæculum usque IX invaluit; quem concil. VIII Tolet. Patres (can. 9) probaverunt. Nihil tamen minus in Missali Gotthico, quam hodie primam Dominicam Quadragesimæ dicimus, « prima olim ante carnis privium » appellabatur. Ita accurata observantia jejunia tunc erant prosequenda, ut qui hæc abrumperet, et paschali communiōne privaretur, et per totum annum à caræ temperare deberet. Et reapse, can. 25 Illiberit., jejunia et à carniū abstinentia in singulos menses, exceptis Julio et Augusto, præfinita, ab omnibus erant examussim servanda; can. item ejusd. Syn. 26, sabbatis omnibus jejuniō incumbendum erat cunctis fidelibus. Concil. Tolet. IV, Kalendas Januariar. jejuniō item edixit consecrandas (can. 41). Sed an. 580 Concil. Cæsaraug. can. 2, Dominicis diebus à jejuniō edixit cessare. Conc. Brac. I, cap. 4, adjunxit: « Natalis Domini diem jejunii non lege comprehendendam. » *Quatuor autem temporum*, ut ajunt, jejunia, etsi non iisdem, quibus nos hodie, diebus, veteres christiani servabant, ut S. Isid. (*Offic. lib. 1 cap. 38*) testatur. Atqui feria IV, VI et sabbato jejuniū tenebatur: Sed à sæculo tandem V hæc disciplina sensim evanuit. Quare posthinc Christiani nec feria IV nec sabbato jejunabant: et Hispana Eccl. sabbati jejuniū de præcepto deinceps non habendum putavit. Concilium tamen Cojacense, feriam VI essuriale solummodo habendam præstituit. Jam vero tandem diebus, quæ Resurrect. inter et Pentecost. intersunt, nec cibis nec potui fideles parebant; nec poplite flexo precibus instabant, ut ob Resurrectionem Dom. suam et Eccl. lætitiā ostenderent. Fatendum tamen est, severissimam jejunii disciplinam in Hisp. aliquando viguisse. Primis namque sæculis, oleribus solum ac piscibus vesci licebat; vinum potare, bibere etiam aquam ad horam usque nonam, olim non permissum. Verum enim vero sexto sæculo jam quasi vertente et incipiente septimo, fideles non modo piscibus, vino, stillatis poturis indulgebant, sed carnem sabbato, et Quadragesimæ Dominicis diebus indiscriminatim comedebant. Sed hæc corruptelam concil. Tolet. VIII, cit. can. 9, postmodum improbavit. At senes et ægrotantes ab jejunii lege excipiebantur, *ibid.*, et conc. Tolet. IV can. 8. (*Ex M. Vill.*)

De *Bulla Cruciatæ* quædam ad calcem tit. 3 hujus lib. indicavimus. Illius sequela est *Apostolicum Indultum pro carniū usu*, cujus hic meminit Cl. Auctor.

TITULUS VII.

DE REBUS SACRIS, ET PRIMUM DE ECCLESIIS

1. RES SACRA QUID? CULTUS EXTERNUS.—2. CHRISTIANORUM ECCLESIE, ET VARIA EARUM NOMINA.—3. QUALES PRIMO, QUALES POSTEA ECCLESIE FUERINT?—4. VETUS EARUM FORMA, ET SITUS.—5. ECCLESIE SIGNIFICATIO DUPLEX.—6. QUIBUS DE CAUSIS.—7. ET QUIBUS SOLEMNITATIBUS NOVA ECCLESIA AEDIFICETUR?—8. ECCLESIE REPARATIO.—9. VARIE EJUS PARTES. NARTHEX.—10. NAVIS.—11. SANGUARIUM.—12. ALTARE.—13. SACRÆ IMAGINES IN ECCLESIA.—14. EXTERIORES ECCLESIE PARTES. VESTIBULUM, ET ATRIUM.—15.—BAPTISTERIUM, SECRETARIUM, PASTOPHORUM, SCHOLA, BIBLIOTHECA.

**R**es sacræ sunt res Deo, et religioni consecratæ, ut quæ pertinent ad divinum cultum, peragantur. Hujusmodi sunt in primis Ecclesiæ, sacræ nimirum ædes, ad quas Christiani conveniunt, ut opera religionis impendant, Ecclesiæ vocabulum proprie significat societatem, et conventum fidelium; sed omnium consensu tractatum est ad designandum locum, in quo Christiani suos agunt conventus; et nos hoc sensu ecclesiæ vocabulum usurpamus (a). Nimirum cum Christi Ecclesia visibilis sit, præter cultum internum, habere etiam debet externum, qui omnis consistit in communibus precibus, in sacris, in sacramentorum administratione; ideoque instituta sunt loca, ad quæ Christiani concurrerent, ut divinis, sacrisque rebus operam darent.

(a) Ita plures can. Syn. Illiberit. et Tolet. I.

2. Jam inde ab Apostolorum ætate Christiani certa habuerunt loca, ad quæ frequentes conveniebant, ut res divinas, ac sacras agerent, quæ loca postmodum Ecclesiæ appellata sunt (1); Ecclesiæ inquam, potius, quam templa, in illi convenire videntur cum ethnicis, penes quos celeberrima fuerunt templorum, et sanctorum nomina (2). Vocatur autem Ecclesia ab ecclesiasticis scriptoribus etiam *oratorium*, hoc est, locus, in quo preces funduntur (3), et *dominicum*, hoc est, domus Dei (4); et *basilica*, quo nomine appellabantur regiæ ædes, ad audiendas causas, aut alium publicum usum constitutæ, quæ ædes à piis imperatoribus Christianis datæ sunt, ut ibi conventus agerent

suos (5); et *templa*; quo nomine Christiani serius uti cœperunt, antea non utebantur, cum proprium esset ethnicorum (6); et *tituli*, loca scilicet Deo consecrata, quæ sacerdotes, et ministros sibi addictos habebant (7). Si quam in memoriam Prophetæ, aut Apostoli, aut Martyris Ecclesiam aedificabant, eam *Propheteum*, *Apostoleum*, *Martyreum* Christiani appellabant (8).

(1) Quamquam certo affirmari non possit, Apostolos initio habuisse ecclesias, quales certe eorum discipuli habuerunt, tamen exploratum est, eis certa fuisse loca, in quibus opera religionis impenderent. Quod enucleate in primis, et copiose demonstrat Cl. Mamachus de Costumi de primitivi christiani l. 1 c. 4 §. 2 n. 2 l. 1 p. 296 seq. Videndus est etiam Medus, peculiari dissertatione, cujus veluti compendium dedit Binghamus origin. eccles. l. 8 c. 1 §. 15 l. 5 p. 141 et seq. ed. Hæke Magdeburg. 1758, qui et sua quædam adjecit, eaque gravia argumenta adversus eos, qui *plane singularem, et novam sententiam*, ut inquit, evulgarent, *Christianos tribus prioribus sæculis istiusmodi distincta cultus divini loca non habuisse*. Præcipua sunt, quod Paulus I. ad Corinth. XI. 22, iis verbis: *nunquid domos non habetis ad manducandum, et bibendum? aut Ecclesiam Dei contempnitis*, sine dubio Ecclesiæ nomine designat locum sacrum, atque ita Paulum explicant Augustinus, Basilius, Chrysostomus, Sedulius, Theophylactus, quod Apostoli semper in certum locum ad fundendas preces in monte Sione convenerunt, qui fuit *hyperoon*, sive *cœnaculum*, cujus in Actis Apostolorum toties mentio est; quod Ignatius ep. ad Magnes. n. 7 apud Cotelærium PP. Apostolic. t. 2 p. 19 ed. Amstelæd. 1724, diserte memorat *Templum Dei*, et ep. ad Philadelph. n. 4 p. 51 l. indic. *unum altare*; quæ altaris mentio satis ostendit, Christianos certum pro sacris conventibus habuisse locum; quod Therapontas jam inde à Mæci temporibus loca quædam ad divinum cultum secreta habuisse, scribit Eusebius histor. l. 2 c. 17 p. 67 ed. Cantabrig. 1720; quod denique Alexander Severus, *cum Christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum debere, rescripsit* apud Lampridium p. 219 n. 50 ed. Francofurti 1688, *melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur*. Atque hæc quidem, uti observat Card. Orsius histor. eccles. l. 6 §. 25, prima fuisse videtur publica ecclesia, quam Christiani habuerunt, cum antea non nisi privata, et occultas haberent.

(2) Hinc Origenes, Minucius Felix, Arnobius, Lactantius inquit, Christianos templa non habuisse; quod ita accipiendum esse multis ostendit Medus, eos talia non habuisse templa, qualia gentes habebant.

(3) Oratorium appellata est Ecclesia, hoc est *domus preceationis*, idque nomen primum publicæ Ecclesiæ, uti testantur Eusebius histor. l. 10 c. 5 p. 464 et de Laud. Constantin. c. 17 p. 770, et Soerates histor. l. 4 c. 18 p. 49 ed. Cantabrig. 1720, postea privati oratorii proprium fuit. (Syn. 1 Tolet. II. can. 5 et 9.) Oratoria tamen, sive *ædes oratorias* ab ecclesiis distinguunt Didymus Alexandrinus de Trinit. l. 2 c. 7 p. 200 ed. Bonon. 1769, Soerates histor. l. 5 c. 10 p. 233 ed. Taurin. 1747, Theophilus Antecessor inst. l. 2 tit. 1 p. 215 ed. an. 1751. Proprie oratoria minores quædam Ecclesiæ erant.

(4) Hieronymus, chron. olimp. 277 opp. t. 8 col. 735 ed. Vallarsii Veron. indic., auctor est nobis, celebrem Ecclesiam Antiochiæ à Constantino ædifi-



cari ceptam, et à Constantio absolutam, *Dominicum aureum* appellatam fuisse. Eodem vocabulo ad designandam Ecclesiam utitur Hilarius ad Constant. l. 1 n. 3 opp. t. 2 col. 540 ed. Veron. 1750.

(5) Nomen hoc frequens est apud Ambrosium ep. 20 ad Marcellin. n. 1 et ep. 40 n. 15 opp. t. 5 col. 966 et 1621 ed. Ven. 1751, Augustinum serm. 556 n. 9 opp. t. 5 par. 2 col. 1338 ed. Ven. cit., Hieronymum ep. 107 ad Lætam c. 9 t. 1 col. 639 laud. ed., Sidonium l. 7 ep. 17 p. 1416 opp. poetarum latinorum t. 2 ed. Lonlini 1715, aliosque sæculi quarti, et quinti scriptores.

(N. S. *Ecclesie, Basilicæ* dictæ sunt, vel ob magnificentiam, vel quod Romana aula Basilicæ in Ecclesias essent conversæ. Qua de re hæc vox apud Patres IV. et V sæculi frequenter occurrit. Verum in Hispania ad sæculum usque VI latuisse videtur hæc vox *Basilica*, donec eam usurpare cepit Synod. Tarraccon. an. 516 can. 7 et 8, ac dein Herdens. an. 546. can. 3. eaque frequenter usi sunt Hispaniarum Patres in hujus sæculi Conciliis; ejus tamen post sæculum VI fere penitus obliti, *Ecclesie* vocabulum recuperare manuerunt.)

(6) Vix ullus est christianus scriptor, qui tribus prioribus sæculis ad designandas Ecclesias *templi* nomine usus fuerit. Sublata, eversaque ethnicorum superstitione, tum demum Christiani scriptores nomen hoc adhibere ceperunt. Magis autem abhorruerunt à *fani* vocabulo, eoque utebantur, ut indignationem, atque animi dolorem ostenderent adversus quædam conventicula hæreticorum, quos eodem, quo ethnicos, habebant loco, uti patet ex Ambrosio ep. 40 ad Theodos. n. 16 opp. t. 5 col. 1021 ed. cit.

(N. S. Ab hoc *templi* nomine ad sæculum usque XIII abstinerunt Hisp. Patres.)

(7) Consule l. 1 tit. 4 sect. 2 §. 9 not. 2 p. 234, ubi de *titulis* actum est.

(8) Martyrium memorat Eusebius de Vit. Constantin. l. 5 c. 43 p. 604 ed. cit. Eaque de causa Eusebius de Vit. Constantin. l. 5 c. 55 et 40 p. 597 et 648, alique martyrium Salvatorum appellant ecclesiam, quam Constantinus ædificavit in honorem Christi Salvatoris, qui præcipuus fuit martyr eorum, qui divinæ religionis causa mortem pertulerunt, ejus rei ampla narratio est in epistola Henrici Valesii, quæ est ad calcem historiæ ecclesiasticæ Eusebii. Latini loco *martyrii* hujusmodi ecclesiam vocant *memoriam martyris*, uti constat ex Augustino de Civit. Dei l. 22 c. 8 n. 17 et c. 10 col. 669 et 675 t. 7 ed. cit. atque apud eos martyrium designat etiam Ecclesiam in honorem alicujus sancti, qui martyr non esset, uti patet ex S. Hieronymo in Vit. Hilarion. c. 51 opp. t. 2 col. 52 ed. Veronæ cit. Apostolei mentio est apud Sozomenum l. 8 c. 17 p. 522 ed. Taurin. 1747. Prophæti in Concilio Constantinopolitano sub Menna act. 3 col. 1245 t. 2 collect. Harduini. Memorat etiam ipse Sozomenus Hist. l. 2 c. 5 p. 45 ed. cit. *Michaelium*, hoc est Ecclesiam, quam in honorem S. Michaelis Archangeli Constantinus M. in Hætiis extra Constantinopolim Deo erexit.

3. Primæ Christianorum Ecclesiæ simplices, et modicæ fuisse videntur, quales videlicet fidelium paupertas, et paucitas, ac formidolosorum temporum ratio patiebatur. Sed aucta fidelibus, atque oblationibus Ecclesia, et extincta christiani nominis invidia, multæ æque splendidissimæ ædes ædificatæ sunt (1). Acceserunt edicta Imperatorum de templis ethnicorum in Eccle-

sias convertendis (2), et eorum, ac præsertim Constantinii magnificentia, qua sumptu vere regio magnificentissima templa excitata sunt (3).

(1) Baronius ad an. 57 num. 82 p. 445 t. 1 ed. Lucæ, copiose demonstravit, Ecclesias pluribus, usque ditissimis ornamentis, antiquitus fuisse referatas. Joannes Henricus Ottius Calvinianus in libro, cui titulus: *Examen perpetuum historicum-theologicum in Card. Baronii annales*, eum refellit conatus est. Sed ea in re opus hoc errorum, et ineptiarum plenum refutavit Muratorius diss. 16 ad calc. opp. S. Paulini p. 352 seq. ed. cit. ubi late ostendit, quam magna, et quam magna fuerint antiquarum Ecclesiarum ornamenta. Confer etiam Cl. Mamachium del Diritto libero della Chiesa di acquistare, è di possedere beni temporali l. 5 par. 2 c. 5 n. 24 et seq. p. 408 seq. Monumentis, quæ ab his duobus doctissimis viris allata sunt, addam Didymum Alexandrinum, Scriptorum IV sæculi, qui l. 2 de Trinit. c. 7 p. 200 ed. Bonon. 1769, testatur sua ætate Ecclesias fuisse *auro, argento, et ebore ornatas*.

(2) Plures ea de re leges extant in codice Theodosiano l. 9 tit. 17 et Leg. 2 cod. de Sepul. violat. idque etiam testantur non Christiani solum Scriptores, Eusebius de Vit. Constantin. l. 5 c. 51 et 58 p. 606 et 615 ed. cit., alique, sed etiam ethnici; Eunapius Vit. Aedes. p. 35 ed. Colonie Allobr. 1616, Libanius Orat. apol. 26 p. 50 t. 6 t. 2. ed. Paris. 1627, Julianus Orat. 7 p. 224 t. 1 ed. Lips. 1696.

(3) Constantinus nullis pepercit sumptibus, ut in omnibus orientis partibus, ex gr. Hierosolymis, Antiochiæ, Nicomediæ juxta quercum Maubre, Heliopoli in Phœnicia, aliisque locis compluribus, splendidissimæ Ecclesiæ ædificarentur, sicuti narrat Eusebius de Vit. Constantin. l. 5 c. 50 et 51 p. 606 et 605, et Socrates Histor. l. 1 c. 16, 17, 18 p. 45 et seq. ed. cit. Ipse etiam fundamenta jecit celebratissimæ Ecclesiæ, quæ S. Sophia, et Magna dicta, quæque annis triginta tribus post à Constantio absoluta est, uti Socrates l. 2 c. 16 p. 95 ed. Cantabr. 1720, et Auctor Chronici Alexandrini ad an. 569 memoriæ prodiderunt; quam quidem Ecclesiam, incendio consumptam, iterum Justinianus splendidius ædificavit. Ejus autem scriptiorem habes apud Evagrium, Procopium, Agathiam, Paulum Silentiarium.

4. Velus Ecclesiæ forma, et situs non semper idem. Interdum oblonga erat, ac navi similis, interdum rotunda, aut plurius laterum, aut ad formam crucis (1); qua de re non unus semper, nec ubique mos fuit. Ecclesiæ frons, ut plurimum, ad occidentem spectabat, sanctuarium ad orientem, quoniam versus orientem Christiani preces fundebant (2). Sed sæpe neque orientem, neque occidentem Sanctuarium respiciebat; et vero ab antiquis monumentis quavis forma, et situ Ecclesiæ exhibentur (3).

(1) Auctor constit. apostol. l. 2 c. 57 apud Cotelerium PP. Apostol. t. 1 p. 265 et 264 cit. ed., Ecclesiam vult esse oblongam, navi similem. Verum Ecclesiam à Constantino in monte Golghota ædificatam, rotundam fuisse, octo autem laterum Ecclesiam Antiochiæ, tradunt Eusebius in Vit. Constantin. l. 5

e. 58 et 50 p. 599, 606 ed. cit., et Strabo de Reb. eccles. c. 4 in Biblioth. PP. t. 10 col. 664 ed. Paris. Alias fuisse Ecclesias ad formam crucis, scribunt Evagrius histor. l. 1 c. 14 p. 268 ed. Valesii Cantabrig. 1720, et Cedrenus Vit. Justin. in compend. histor. t. 1 p. 590 n. 160 ed. Paris. 1647.

(2) Auctor constit. apostolic. l. c.

(N. S. Cathedralis Hispaniarum Ecclesiæ, ac reliquæ fere omnes eandem servant configurationem. Primatialis, præter alias, Ecclesiæ Toletanæ Capella Major, seu Sanctuarium, Orientem respicit.)

(5) Late id ostendit Binghamus origin. eccles. l. 3 c. 5 §. 1 et 2 l. 5 p. 172 ed. cit.

3. Ecclesiæ vocabulum latius, et angustius accipitur. Latius acceptum, significat sacras ædes, ad quas populus confluit, divinis, sacrisque rebus operam daturus; et hujusmodi sunt templa *cathedralia, parochialia, collegiata, conventualia*. Cathedralis Ecclesia est, quæ fixam habet Episcopi cathedram, et mater, ac princeps est Ecclesiarum omnium, quæ in diocesi sunt (a). *Parochialis* Ecclesia proprium habet Presbyterum, qui sub Episcopo curam animarum gerit; *collegiata* collegium canonicorum. Denique *conventuales* Ecclesiæ sunt, quæ à Monachis, et Regularibus administrantur. Latius acceptum Ecclesiæ nomen, comprehendit etiam oratoria, sacella, capellas, quæ privatis conventibus, præsertim vero mittendis ad Deum precibus, addictæ sunt.

(a) \* Ita in Syn. Tarracon. nuper. cit., c. 15.\*

6. Novum templum non temere, et cuiusque arbitrio ædificandum est, sed causa cognita, et cum Episcopi auctoritate (1). Causæ sunt populi commoda, et necessitates (2). Quare si tanta sit populi distantia, viarumque discrimen, ut ille sine magno incommodo, aut periculo ad Ecclesiam accedere nequeat, novum templum excitandum est (3), et nova etiam Ecclesia conceditur leprosis, aliisque contagioso morbo laborantibus, ubi suos agant conventus, ne ceteri fideles inficiantur (4). Sed et Episcopo pro paranda sibi sepultura novam Ecclesiam ædificare permittitur, eique ex propriæ Ecclesiæ redditibus dotem attribue- re (5).

(1) Can. 9 de consecrat. dist. 1; Concilium Chalcedonense can. 4 col. 601 et seq. t. 2 collect. Harduini. — Syn. Tolet. III, can. 15; Hispal. an. 1512, cap. 47. — Ramos del Manzano (ad Leg. Jul. etc. lib. 5, cap. 44. à n. 10) de Regiæ apud nos in proposito auctor. placito agit. — V. legg. 4 et 5 tit. 2 lib. 4 Novis. Compil., et Regg. ordinat. 24 Februar. 1844, et 4 Dec. 1845.

(2) Can. 10 dist. 1 de consecr., cap. 5 et ult. de eccles. ædif.

(5) Concilium Tridentinum sess. 21. c. 4 de Reform. — Syn. Valent. an. 1565, sess. 4 cap. 14, alias 17.

(4) Cap. 2 de eccles. ædific.

(5) Can. 74 c. 12 q. 2, \*id est, Syn. Tolet. IX can. 5., cap. 9 de Donat.

7. Cum nova fabrica inchoanda est, Episcopus designato loco preces fundit, et crucem humi defigit, ubi majus altare locari debet (1). Ante ædificationem curandum est, ut nova Ecclesia dotem habeat, unde necessaria pro ministris, pro luminaribus, pro sacra suppellectile, et ceteris, quibus est opus, perpetuo comparentur (2); audiendique sunt Parochus antiquæ Ecclesiæ, et ceteri, quorum interest, iisque etiam injuste adversantibus, novum opus incobatur, et absolvitur. Parochus antiquæ Ecclesiæ, quæ *matris* dicitur, respectu habitu ad novam seu *filialem* Ecclesiam, debet partem fructuum Parochiæ suæ novo Parocho attribuere, habetque ab Ecclesia *filiali* annuam præstationem, quæ ejus subjectionis argumentum est. Cum opus fuerit, Episcopus etiam novæ Parochiæ cives compellit ad præstandum Parocho id, quod ei necessarium est ad vitam honeste traducendam (3).

(1) Consule Pontificale Romanum par. 2 tit. 1 et 2 t. 2 p. 1 seq. ed. Rom. 1759. — Can. 9 dist. 1 de Consec. Syn. Tolet. an. 1525, cap. 17.

(2) Can. 26 et 56 caus. 16 q. 7, cap. 8 de consecrat. eccles. — Syn. Bracar. II, can. 6; collect. Jo. Teres, lib. 3 tit. 6, cap. un.\*

(3) Concilium Tridentinum cit. sess. 21 c. 4 de Reform.

8. Ecclesiæ jam constructæ identidem reparandæ, instaurandæque sunt. Id vero faciendum est ex bonis earumdem Ecclesiarum, et ideo jam inde à sæculo VI viguit consuetudo, ut certa pars reddituum ecclesiasticorum ad Ecclesiæ fabricam pertineret (1). Cum Ecclesia non habet hos redditus fabricæ addictos, beneficiarii debent suorum beneficiorum Ecclesias instaurare (2), eidemque oneri subsunt etiam, qui decimas, aut alia bona ecclesiastica possident (3). Cathedralis Ecclesiam reparare præsertim debet Episcopus, atque aliquid etiam ejus canonici in id conferre coguntur (4). Cum bona ecclesiastica non suppetant, patronos, et ceteros ecclesiasticorum bonorum possessores, ac denique parochianos Episcopus ad parœciam instaurandam cogit. Quod si nullus sit Ecclesiæ reparandæ modus, ea convertitur in profanos non sordidos usus, ibique crux erigitur, et ejus jura ad matricem, aut ad viciniorem ecclesiam transferuntur (5).

(1) Hoc juris Augustino Angliæ Episcopo Gregorius M. præscripsit can. 50 caus. 12 q. 2, et idem etiam sancitum extat alijs canonibus, qui eodem loco à Gratiano referuntur. Eamdem quoque aliarum, præsertim in Hispaniis, Ecclesiarum fuisse disciplinam, et quidem *ex antiqua traditione*, constat ex Concilio Tarraconensi can. 8 col. 1042 t. 2. collect. Harduini; (in quo tertia oblationum pars pro luminariis, ceterisque Ecclesiæ impensis constituta est. Cui consonat Braear. I cap. 7, alias can. 14; Tolet. IV can. 55, alias 54; Brae. II can. 2; Emerit. can. 16, et Tolet. XIV can. 5; cujus quidem tertiæ partis ministratio ad Episcopum præcipue spectabat: Syn. Tarrae. can. 8 —N. S.)

(2) Cap. 1 et 4 de Eccles. edifice.

(3) Can. 2 et 5 caus. 10 q. 5.

(4) Cap. ult. de his quæ fiunt à major. par. cap.

(5) Concilium Trident. sess. 21 c. 7 de Reform. — V. quæ ad hujus tit. §. 6, not. 1 indicavimus. — Novissimi item Concordati art. 36 *in fine* hæc habet: «Regale Gubernium, quæ sumptibus ad reparanda templa aliaque ædificia cultui addicta necessaria fuerint, suppedietur.»

9. Jamvero Ecclesiæ, præsertim ampliores, pluribus constant partibus, quarum aliæ interiores, hoc est intra parietes sunt, aliæ exteriores, quæ parietibus non includuntur. Partes interiores ex antiqua disciplina erant *narthex*, sive *ferula*, *templum*, sive *navis*, et *bema*, sive *sanctuarium* (1). *Narthex* erat pars oblonga, et angusta ad instar *ferulæ*, è transverso fœtis Ecclesiæ, ibique, dum sacræ conciones habebantur, infideles, hæretici, cathecumeni, et pœnitentes *audientes* dicti consistebant (2).

(1) In has quidem partes tres plerumque Ecclesiæ dividebantur. Morinus tamen, de Pœnit. l. 6 cap. 1 n. 20, et Le Brunius Explicat. Missæ t. 2 disert. 4 art. 8 p. 64 ed. Ven. 1770, monent, primis temporibus Ecclesias in duas tantum partes fuisse tributas, in aulam, sive atrium laicorum, et in Sanctuarium, in quo consistere Episcopis, Presbyteris, et Diaconis tantum licebat; divisionem autem illam in partes tres, serius à Monachis initium habuisse.

(2) De antiqua Ecclesiarum forma copiosissime, accuratissimeque disputat Cl. Mamechius de Costum. de primitivi christiani l. 1 c. 4 §. 2 n. 5 et seq. t. 1 p. 508 seq.

10. *Narthecem* excipiebat pars illa Ecclesiæ, quæ proprie *templum*, ac *navis*, dicebatur. Hæc, ut plurimum, quadrata erat (1), eamque à *narthece* separabant lignea quædam repagula, pervia portis, quas portas *regias*, et *speciosas* appellabant (2). In inferiori hujus partis loco, qui statim ingredientem occurrebat, stabant pœnitentes *substrati* (3), in superiori, qui erat Sanctuario propinquior, *consistentes*, et fideles communicantes; et huiusmodi quoque habebant locum, mares discretum à fœminis, vir-

gines à nuptis, monachi à sæcularibus (4). In *media navi* erat *Ambo*, hoc est, locus editus, ad quem per gradus patebat ascensus, in eoque stabant cantores (5), et lectores, qui epistolas, atque evangelia legebant (6), et in eo etiam diptycha recitabantur (7).

(1) Hinc in Constitutione Theodosii, et Valentiniani, quæ extat in codice Theodosiano post Leg. 4 l. 9 tit. 45 t. 5 p. 597 ed. Lips. 1758, Ecclesiæ navis *quadratum populi oratorium* appellatur.

(2) *Regiæ*, seu speciosæ dicebantur navis portæ, vel quod per eas ad regium Dei palatium, hoc est Ecclesiam, patebat accessus, vel quod ibi Reges templum ingressuri, coronas deponerent. Hinc Leo Grammaticus in Vit. Michael. Imper. p. 466 ed. Paris. 1655, tamquam rem insolentem, et indignam animadvertit, quod ipse Imperator, cum venisset ad portas regias, coronam non deposuisset, uti reges facere consueverant.

(3) Omnes ecclesiasticarum antiquitatum scriptores summi substratis adscribunt locum à ceteris discretum, auctoritate præsertim Tertulliani de Pudicit. c. 13 p. 564 ed. Paris. 1675, et Sozomeni Histor. l. 7 c. 16 p. 500 ed. Cantabrig.

(4) Mares à fœminis per ligneos parietes secernebantur; ejus consuetudinis testimonia sunt apud Cyrillum Hierosolymitanum Præfat. in Catech. n. 14 p. 40 ed. Paris. 1720, Augustinum de Civit. Dei l. 2 c. 28 et l. 22 c. 8 n. 5 col. 57 et 665 t. 7 ed. Ven., Paulinum in Vit. Ambr. n. 41 opp. Ambros. t. 5 col. 4 ed. Ven., Soeratem Histor. l. 4 cap. 17 p. 47 ed. Cantabr. 1720; et ligneos quidem parietes, per quos fœminæ à maribus discernebantur, nominat Crisostomus Hom. 74 in Matth. opp. t. 7 p. 712 ed. Paris. 1727. Aliæ erant portæ, per quas viri, et aliæ, per quas mulieres Ecclesiam ingrediebantur. Hinc Auctor Const. Apostol. l. 2 c. 57 p. 266 t. 1 ed. cit. Ostiarios stare jubet *ad virorum introitus, quos custodiant, Diaconissas ad mulierum*. Atque ex eodem Auctore loc. cit. intelligimus, virgines, et nuptas fuisse discretas, quod etiam patet ex Ambrosio de Lapsu virgin. c. 6 n. 22 et 24 col. 587 et seq. t. 5 ed. Ven. 1751.

(5) Concilium Laodicenum can. 15 col. 764 t. 1 collect. Harduini.

(6) Cyprianus Ep. 34 p. 49 ed. Paris. 1666.

(7) Concilium Constantinopolitanum V. sub Menna art. 5 t. 2 col. 1523. collect. Harduini.

11. Tertia, et intima antiquarum Ecclesiarum pars erat *sanctuarium*, quod Græci *bema* appellabant. Locus hic septis, sive cancellis munitur (1), uti nunc munitur, ne laicis ad eum pateret aditus (2), cum sacra officio peragebantur (3). Cancelli erant portulis pervii; portulas autem, et spatia cancellorum, vela quædam obtegebant (4). Suprema pars *sanctuarii*, *apsis* (5) dicebatur, ædificium scilicet semicirculi formam exhibens, ubi thronus Episcopi, sedesque erant, seu throni Presbyterorum (6).

(1) Eusebius Histor. eccles. l. 10 c. 4 p. 419. ed. Taurin. 1746. Memorat etiam altare cancellis septum Zeno Veronensis l. 2 tract. 50 t. 1 p. 241. ed. Aug. Vindelic. 1758.

(2) Confer Concilium Trullanum can. 69. t. 7 collect. Labbæi col. 1579. Concilium Laodicenum can. 19 col. 1553 t. 1 ejusd. collect.

(3) Pars hæc Ecclesiæ *adyta*, seu *inaccessa* dicebatur, quoniam ad eam populo accedere non licebat. Quamquam non una semper, neque eadem omnium Ecclesiarum consuetudo fuisse videtur. Nam Dionysius Alexandrinus ep. ad Basilidem can. 2 apud Labbæum t. 1 Concil. col. 853. ed. Ven. mares, et fœminas ad altare accessisse memorat, cum Eucharistiam accipiebant, atque ita Dionysium explicat Valesius in Euseb. Histor. l. 7 c. 9 p. 550. Idem habet Concilium Turonense II, can. 4 col. 553 t. 5. collect. Harduini.

(4) Vela hæc memorant Athanasius Ep. ab solitar. l. 1 p. 293 n. 56 ed. Patav. 1777., Hieronymus in Epitap. Nepotian. opp. t. 1 col. 558 ed. Vallars. Veron. aliique complures. Ea Synesius Ep. 67 ad Theopit. p. 212 ed. Paris. 1655, vocat *vela mystica*; sæpe autem erant auro exornata, uti testatur Evagrius l. 6 c. 21 p. 469 ed. Valesii Cantabrig. 1720. Confer Du-Cangium in Glossar. græc. barb.

(5) Apsis græcum verbum est, quod latine significat arcum, fornitem. Pars illa Ecclesiæ, in qua majus altare collocabatur, proprium habebat fornitem, aut arcum, quo tegebatur, ideoque apsis appellata est. Hieronymus l. 2 in Ephes. c. 4 opp. t. 7. col. 614 ed. Vallar. Veron.: In summo, inquit, cœli fornice, et ut ipso verbo utar, apside. Vide Du-Cangium verb. Absida.

(6) Presbyterorum sedes proprie *secundi throni* dicebantur, quos memorat Nazianzenus carm. jamblic. 25 t. 2 p. 244 ed. Coloniae 1690., atque hinc Constantinus apud Eusebium l. 10 c. 5 p. 485 ed. indic., Chrestum Syracusanum Episcopum ad Arelatense Concilium vocans, duos *secundi throni*, hoc est duos Presbyteros, secum deferre jubet.

12. In medio sanctuario à pariete sejunctum erat altare, quod etiam *ara*, *mensa sacra*, *sanctum sanctorum* dicitur (1). Initio lignea, ut plurimum, erant altaria, deinde lapidea facta sunt (2); erantque etiam in locis compluribus auro, argenteoque cooperata (3). Unum in Græcis ecclesiis erat altare, uti nunc etiam est (4); sed Latini jam inde ab antiquissimis temporibus plura in una Ecclesia altaria habere consueverunt (5). Altare obtegebat linteum (6), atque ornabat ciborium (7), et crux in eo stabat (8), et prope crucem ex utroque latere candelabra, quæ ardebant, dum sacra peragebantur (9).

(1) Altare semper christianos habuisse, in quo rem divinam conficerent, certum est; ut proinde inscitia sit, aut imprudentia incredibilis Calviniano-rum, qui verum Christi corpus in Eucharistia esse negantes, vocem *Thysias-terion*, seu altare per tria priora sæcula vero, ac proprio significato usurpatum non fuisse contendunt. Videndus ea de re Cardinalis Petronius *de Sacro-sanct. Eccles. sacram. adversus Philippum Mornæum de Plessis* l. 2 p. 174 et seq., ubi id late demonstrat; et ipsi etiam videndi sunt à catholica communione alieni Scriptores, Guillelmus Beveregius in cod. canon. eccles. primitiv. c. 10 n. 5., Joannes Cericus apud Cotelierum PP. Apostolic. t. 2 p. 118 ed. indic., Josephus Binghamus Orig. et antiq. eccles. l. 8 c. 6 §. 12 et 13 t. 3 p. 222 seq. ed. Italæ Magd. 1738.

(2) Augustinus ep. 185 ad Bonifac. opp. t. 2 col. 654 n. 27 ed. Ven. 1729. Optatus Milevitanus l. 6 p. 112 ed. Paris. 1676., Athanasius Ep. ad Solitar. vit. agen. t. 1 p. 298 n. 56 ed. cit. De lapideis altaribus decretum extat Silvestri Pontificis; sed hujus decreti suspecta fides est. Certe etiam post hanc ætatem in multis Ecclesiis lignea fuisse altaria, ostendit Martenius de Antiq. eccles. rit. l. 1 c. 5 art. 6 §. 4 t. 1 p. 111 ed. Antwerp. seu Ven. 1765. Lapideum altare memorat Gregorius Nyssenus de Baptism. Christ. p. 801 opp. t. 1 ed. Paris. 1615.; et Concilio Epæonensi can. 26 col. 1050 t. 2 collect. Harduini sancitum est, ut *altaria, nisi lapidea, unctione non sacrentur*. Cum autem altarum materia mutari cœpit, formam etiam mutatam fuisse, tradit Binghamus orig. et antiq. eccles. l. 8 c. 6 §. 15 t. 5 p. 228 ed. e. Nam cum ea mensarum similitudinem antea referrent, ad instar aræ erigi cœperunt, et una duabusve, aut quatuor columnis lapidea mensa nitentur, ac nonnulla etiam quadro superposita edificio, uti observat Card. Bona Ber. liturg. l. 1 c. 20 §. 1 t. 2 p. 64 ed. Taurin. 1219, tumuli formam referebant, tanquam martyrum sepulcra, quæ proprie altaria, quasi altæ aræ, dicebantur.

(3) Sozomenus l. 9 Histor. eccles. c. 1 p. 564 cit. ed. Cantabrig., et Nicephorus l. 14 c. 2 p. 459 t. 2 ed. Paris. 1650, narrant, Pulcheriam Augustam, Arcadii filiam, et Theodosii Junioris Imperatoris sororem, Constantinopolitanæ Ecclesiæ donasse sacram mensam auro, gemmisque confectam, quam describit Paulus Silentiarius in descrip. Ædis Sophian. p. 513 n. 555. ed. Paris. 1670. Ejusdem materiæ fuisse mensam altaris Ecclesiæ, quam Basilii Macedo in palatio suo edificavit, testatur Constantinus Porphyrogenitus in ejus vit. c. 85 p. 200 ed. Paris 1685., et aureum item altare memorat Ughellius Ital. sac. t. 4 col. 32 ed. Ven. 1729.

(4) Unum græcis altare fuisse demonstrat S. Ignatius M. Ep. ad Philadelph. n. 4 p. 77 ed. cit.; idque etiam patet ex Theodoro l. 1 c. 51 p. 64 cit. ed. Cantabrig. Sed quamquam græci unum habeant in Ecclesia altare, plura tamen, ipsique Ecclesiæ proxima, ac muro disjuncta sacella, sive oratoria habent, quæ *Par ecclesiæ* vocantur, quasi Ecclesiarum appendices, in quibus, uti narrat Goarius in Not. ad Eucholog. p. 16, profestis diebus liturgiam privatim agunt. Consule Leonem Allatum de Græcor. recent. templis p. 177 ed. Paris. 1646.

(5) Latinos jam inde ab ætate Gregorij M., plura in Ecclesia altaria habuisse, inter omnes constat. Nam disertus est Gregorij locus l. 6 Ep. 49 ad Pallad. Santonens. Episc. t. 2 p. 828 ed. Paris. 1705., ubi habentur hæc: *Veniens lator presentium, insinuavit nobis, Fraternalitatem vestram Ecclesiam construxisse, atque illie tredecim altaria collocasse, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remansisse*. Verum et ante hoc tempus eandem fuisse Latinæ Ecclesiæ disciplinam, facile intelliget, quisquis in ecclesiasticis antiquitates paulo diligentius inquirat. Revera in vetustissimo S. Sepulchri templo Hierosolymitano, à Constantino M. erecto, tria, et in Ecclesia Beata Mariæ de Valle Josaphat, quatuor altaria fuisse, tradit Arculfus Episcopus Gallus, qui VII sæculo loca sacra lustravit, uti testatur Adamanus de Loc. sanct. l. 1 c. 2 et 15. apud Mabillonium Act. SS. Ord. S. Benedict. sæc. 5 par. 2 p. 457 et 460. ed. Ven. 1754. Plura quoque in una Ecclesia altaria memorant, S. Ambrosius Ep. 20 ad Marcellin. soror. n. 8 et 26 c. 908 t. 3 ed. Venet. 1751., S. Augustinus serm. 5 de S. Stephan. opp. t. 5 par. 2 col. 1271 et de Civit. Dei l. 8 c. 27 t. 7 col. 217 ed. Ven. 1732., Prudentius lib. Peristeph. seu de Coron. hymn. 3, 4 et 5, et S. Paulinus Poem. 19 col. 471 et Ep. 51 et 52 col. 193, 199, 202 et 471 ed.

Veron. 1756, S. Gregorius Turonensis de Glor. martyr. l. 1 c. 54 col. 760 ed. Paris. 1690. Similiter Joannes Diaconus, Scriptor vitæ S. Gregorii M., Ep. ad Senarium, apud Mabillonium Mus. Italic. t. 1 p. 74, à Majoribus, qui certe Gregorio antiquiores erant, decretum testatur, quod Romæ Sabdato Paschæ septem in Ecclesia altaria consecrarentur. In cœmeteriis etiam plura erant altaria, atque unum ex iis describit Aringhius Rom. subterr. l. 3 c. 22, in quo non pauca martyrum tumulis superposita altaria observantur. Cœmeteria autem Christianis erant Ecclesiæ, cum ethnici imperio potirentur. Recte hinc Cabassulius *Notit. eccles.* Diss. 10 n. 5 p. 40 ed. Lugduni 1620, Juvenius de Sacram. diss. 5 qu. 7 c. 5, Muratorius in Paulin. cit. poem. 19 col. 471, PP. Maurini in S. Gregorium cit. p. 49 l. 6., alique colligunt, plurimum in una Ecclesia altarium usum apud Latinos antiquissimum esse. Ex quo intelligitur, quam falso et quam imperite hæreticus homo Claudius Salmasius in Solin. Polyhist. p. 1215, et ceteri, qui Salmasii errorem sequuntur, tanquam rem novam reprehendant hodiernam Latinæ Ecclesiæ disciplinam, per quam plura in uno, eodemque templo altaria retinentur. Non inficior, in quibusdam etiam Occidentis Ecclesiis unum fuisse altare in unoquoque templo: atque hanc fuisse quarundam Africae Ecclesiarum consuetudinem, intelligimus ex Optato Milevitano l. 1 p. 21 ed. Paris. 1676; sed certe in reliquo Occidente obtinebat ea, quæ nunc obtinet, consuetudo plura in una Ecclesia altaria retinendi.

(6) Vide Optatum Milevitano l. 6 p. 115 ed. cit., et Victorem Vitensem de Persecut. Vandal. l. 1 in biblioth. PP. t. 7, p. 1396, ed. Lugdun.

(7) Sacræ mensæ ciborium imminabat, hoc est, umbraculum, ut inquit Du-Fresnius comment. in Paul. Silent. p. 569 n. 57 ed. cit., alius eductum, quo universa sacra mensa tegebatur. Confer ipsum Pauli Silentarii, et Du-Fresnii locum. Consule etiam Anastasium Bibliothecarium in S. Gregorio I, in Honorio, in Leone III, p. 115, 120, 205 ed. Rom. 1718; quibus locis ciborii mentio est; et vide etiam vetustum Ordinem, ubi ciborii benedictio extat, apud Martenium, de Antiq. eccles. rit. l. 2 c. 19 t. 2 p. 294, ed. cit.

(8) Usam crucis, quæ in altari locatur, ab Apostolica traditione descendere, putat Card. Bonæ Rer. liturgie. l. 1 c. 25 §. 8 p. 517 t. 2 ed. Taurin. Variæ autem erant crucis figure, quas describit Muratorius Anecd. t. 1 diss. 21 de Cruce Nolana p. 210 ed. Mediolani 1697. Consule Robertum Salam in Notis ad illum Bonæ locum, et Gretserum de Cruce l. 2 c. 15.

(9) Candelabra, aliaque vasa affabre facta ex auro, argento, aliove metallo, quibus fixæ candelæ, vel ellychnia oleo imbuta accendebantur ad præbendum lumen, ab ipsa Apostolorum ætate in Ecclesia adhiberi consuevisse, ostendit Baronius ad an. 58 n. 70 et seq. p. 515 t. 1 ed. Luc. Confer etiam Card. Bonam Rer. liturgie. l. 1 c. 25 §. 7, ibique Salam Not. 4 t. 2 p. 514 et 516 ed. Taurin. 1749; Tournelyum Prælect. theolog. de Sacrific. Miss. qu. 8 art. 15; Casalium de Vet. sacr. Christianor. rit. c. 42 p. 131; Durantium de Rit. eccles. cathol. l. 1 c. 8., Ciampinum de Sacr. ædific. Constant. M. e. 10 p. 151; Dominicum Georgium de Liturg. Rom. Pontif. disquisit. de Sacr. minist. c. 8 et seq. In antiqua inscriptione Eugeni Notarii apud Aringhium Rom. subter. t. 1 l. 2 c. 10 p. 540, mentio fit redituum quorundam ex hortis transtiberinis ad luminaria. Accedebantur autem lumina non solum noctu, sed etiam die, quem morem cum reprehenderet Vigilantius, ei graviter, nervoseque respondit Hieronymus contr. Vigilant. t. 1 c. 394, inquit, non esse Ecclesiæ consuetudinem, accendique luminaria, non ad fugandus tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum; quibus iisdem verbis utitur Isidorus Orig. l. 7 c. 12 p. 100 ed.

Paris. 1601. Sane qui luminum in Ecclesia usum vetustissimum esse negat, is plane rudis Ecclesiasticae antiquitatis esse debet. Mitto quæ de cereis in pervigilio Paschæ accendi solitis in Ecclesiis christianorum, scriptum reliquerunt Eusebius in Vit. Constant. l. 4 c. 22 p. 575 ed. Taurin. 1746., ibique Valesius in Not., S. Gregorius Nazianzenus orat. 19 n. 31 opp. l. 1 p. 504 et orat. 42 n. 4 p. 676 et Coloniae 1790., S. Zeno Veronensis tract. 58 l. 1 p. 250 ed. Augustæ Vindelic. 1758., quem in locum videndi sunt Fratres Ballerini not. 5.; quæ item de luminibus in funere S. Cypriani adhibitis tradita sunt in Actis ejus passion. opp. S. Cypriani col. 146 et Ven. 1758, in funere autem S. Paulæ memoriæ proiit S. Hieronymus ep. 27 seu 108 ad Eustoch. t. 1 col. 716 n. 29 ed. Vallarsii Veron.; quæ demum supra demonstravi tit. 2 sect. 1 §. 55 decereis facibus catechumenorum. Mitto inquam hæc; nam luminum, quæ noctu, et interdum in Ecclesiis ardebant, disertissimam mentionem faciunt S. Paulinus Nolanus Poem. 14 de S. Felice, vers. 99 et seq. p. 585 ed. Veronæ 1756, S. Epiphanius Epist. ad Joan. Hierosol. opp. t. 2 p. 517 ed. Coloniae 1682, Prudentius apud Ruinart in Act. prim. Mart. Hymn. 2 de Martirio S. Laurentii p. 19 ed. Amstelæd. 1715, S. Leo M. Serm. 14 c. 2 t. 1 col. 454 ed. Ballerin. Ven. 1755, concilium Carthaginense IV, c. 6 l. 2 concil. col. 1457 collect. Labbei. De canone 54 concilii Eliberitani, qui cereos per diem in cœmeteriis incendi vetat, multæ sunt doctorum hominum interpretationes, quas vide apud Cardinalem de Aguirre concil. Hispan. t. 1 p. 557 et seq. Confer etiam Albaspinæum in Not. ad eund. canon. p. 171 ed. Neap. 1770.

13. Vix ullas in antiquissimis Ecclesiis sacrarum imaginum usus fuisse videtur (1). Non enim eas adhiberi patiebatur et prisca Christianorum paupertas, et veterum formidolosorum temporum ratio, et petulantia ethnicorum, qui illas facile deridere, et contemnere poterant. Accedit et alia ratio, quod illæ imagines aliquam forte offensionem asferre poterant ethnicis, qui Christi religionem amplectebantur. Sed eversa idolatria, lateque diffusa, et constituta Christiana Religione, sacræ imagines, aut pictura, aut statuis expressæ, adhiberi cœperunt (2).

(1) Nullum quidem est, quod ego sciam, antiquum monumentum, unde colligi possit, tribus prioribus sæculis in Ecclesiis adhibitas fuisse sacræ imagines, uti nunc adhibentur. Hoc tantum certum est, iis etiam temporibus non plane ignotum fuisse earundem imaginum usum. Nam Pastoris suis humeris ovem gestantis, hoc est, Christi imaginem in calice extantem, memorat Tertullianus de Pudicit. c. 7 p. 559 ed. Paris. 1675; et Lucianus Dial. Philopater. t. 5 p. 597 ed. Amstelæd. 1745, satis clare indicat imaginem S. Pauli, quam ipse viderat, et quam petulante irridet. Adde quod de muliere Syrophenissa scribit Eusebius Hist. l. 7 c. 18 p. 542 ed. cit., eam ex sanguinis fluxu à Christo Domino sanata, in ejus honorem æream statuam erexisse quæ Eusebii ætate adhuc Cæsariæ Philippi visebatur. Quam statuam cum ethnici Juliano Apostata Imperatore confregissent, Christiani ejus frusta collegerunt, et in Ecclesia collocarunt, sicuti narrat Sozomenus Histor. l. 5 c. 21 p. 212 cit. ed. Cantabrig. Adde etiam antiqua vitra, ex quibus prioribus quoque sacentis sacrarum imaginum usus ostenditur; sed quod illæ in Ecclesiis adhibita non fuerint, uti post extinctam idolatriam adhiberi cœpe-

runt, mirari non poterit quisquis eorum temporum rationem animo comprehensam, et exploratam habeat.

(2) Innumera fere sunt monumenta IV, V, et VI sæculi, ex quibus constat, ea tempestate sacras imagines in omnibus fere ecclesiis adhiberi consuevisse. Seligam quædam, sed dissertissima Patrum loca. Augustinus de Consens. Evangelist. l. 1 c. 10 opp. t. 3 par. 2 col. 3 ed. cit., memorat imaginem Christi pictam cum Petro, et Paulo; tum Apostolorum Petri, et Pauli effigies ibidem coloribus expressas, referunt Ambrosius, et Hieronymus, quos laudat Selvagius Antiq. Christian. l. 2 c. 4 §. 4. Similiter Gregorius Nyssenus sacrarum imaginum usum vehementer laudat in Orat. de S. Theodor. opp. t. 1 p. 1011 ed. Paris. 1615; et huc etiam referenda sunt testimonia Asterii Amasæ in Ponto Episcopi Panegyric. de S. Euphem. apud Ruinart. p. 490 n. 1 ed. Amstelæd. 1715, Paulini Natal. 9 et 10 Felic. p. 641 vers. 511 et seq., et p. 645 vers. 14 et seq. ed. Veron. 1756, Ven. Bedæ in Vit. S. Benedicti Episcopi apud Mabillonium Act. SS. Benedic. sæc. II, l. 1 n. 6 et 9 p. 964 et 966 ed. Ven. 1755, et Theodoretii Histor. relig. vit. 26 p. 332 t. 5 ed. Paris. 1642, qui refert S. Simeonis Stylitæ imagines frequentissimas Romæ fuisse, ut tantum, tamque Deo carum hominem, multi Patronum habent. Illud tamen animadvertit Petavius de Incarnatione l. 15 c. 14 n. 3 theol. dogmat. t. 4 par. 2 p. 589 ed. Paris. 1650, magis usitatas picturas, quam statuas fuisse. Locum autem Epiphanius in Ep. ad Joan. Hierosolymit. t. 2 p. 517 ed. Paris. 1622, et canonem 56 Concilii Eliberitani, quæ duo antiquo usui sacrarum imaginum obstare videntur, late explicant Albaspinæus in Not. ad d. can. Eliberit. p. 174 ed. Neap. cit., Bona Rerum liturgie. l. 1 c. 16 §. 2 t. 1 p. 323, ibique Sala Not. 6 et seq. p. 551 ed. Taurin., Schelestratus de Disciplin. arean. c. 7 art. 3 p. 122 et seq. ed. Rom. 1685, Prægius in Baron. ad an. 57 n. 115 t. 1 p. 455 ed. Lucæ, Assemanus de Eccles. reveren. et asyl. art. 5 p. 59, Natalis Alexander Histor. eccles. sæc. 5. Dissert. 21 art. 2 et c. 6 art. 28 t. 4 p. 459 et seq. et 514 ed. Ven. 1776. Consule eundem Natalem Alexandrum, qui adversus antiquiores, recentioresque leonmachos, præsertim adversus Joannem Dallæum, Calvinianum hominem, late disputat de cultu sacrarum imaginum Dissert. 6 sæc. 8 t. 6 p. 94 et seq. atque illud recte animadvertit, imaginum usum in templis rem esse disciplinæ, sed earum usu semel constituto, rem esse fidei earum honorariam venerationem.

14. Exteriores Ecclesiæ partes erant ædificia, quæ ad eam pertinebant, sed Ecclesiæ angustiori sensu acceptæ parietibus non includebantur. Talis erat exterior narthex, qui vestibulum, et atrium, sive aream comprehendebat. Vestibulum erat primus aditus, inter quem, et Ecclesiam angustius acceptam media erat area, sive atrium, locus scilicet, cujus medium sub dio erat, latera vero quatuor porticibus cingebantur. Erant in medio aquæ salientes, seu putei, et canthari, aut conchæ, ubi Christiani templum ingressuri manus, et os lavabant (1); unde usus aquæ benedictæ repetendus est (2).

(1) Eusebius Hist. l. 10 c. 4 p. 475 cit. ed., S. Paulinus Ep. 52 ad Sever. p. 205 ed. cit. Veron., S. Jo. Chrysostomus in Joan. Hom. 75 n. 5 p. 455.

t. 3 ed. Paris. cit. Vide etiam Variorum Notas in S. Paulin. Ep. 45 n. 41 p. 332 et seq. ed. cit.

(2) Usum aquæ benedictæ ab Apostolica traditione profectum, semperque in Ecclesia observatum, docent Baronius ad an. 152 n. 5 t. 2 p. 122 ed. Lucæ, et Bona Rer. liturgie. l. 1 c. 20 §. 5 t. 2 p. 77 ed. Taurin. Auctor constit. Apostol. l. 3 c. 29 apud Cotelertum PP. Apostolic. t. 1 p. 411 ed. Antwerp. 1698, benedicentæ aquæ formam describit. Memorant etiam aquam sanctificatam, aut benedictam Tertullianus de Baptism. c. 4 p. 225 ed. Ven. 1744, Cyprianus Ep. 70 ad Januar. col. 500 ed. Ven. 1758, Epiphanius l. 1 Hæres. 50 n. 12 p. 157 ed. Colon. 1632, Ambrosius De Sacram. l. 4 c. 5 n. 15 opp. t. 5 col. 475 ed. Ven. 1751, Theodoretus Hist. Eccles. l. 5 c. 21 p. 197 ed. Taurin. 1743, aliique Patres. Decretum tamen Alexandri I., quod à Gratiano descriptum est can. 20 dist. 3 de Consecr., pertinet ad falsas decretales Isidori Mercatoris. Quæ hæretici obijciunt adversus usum aquæ benedictæ, solide inter cæteros expendit, atque refellit Robertus Sala in Notis ad cit. Bonæ locum p. 78 et seq.

15. Cetera ædificia circum Ecclesiam, generali exedrarium nomine vocabantur, eaque erant Baptistarium, Secretarium, sive Diaconicon, Pastophorium, Schola, Bibliotheca. Baptistarium erat satis amplum ædificium, ac duabus constabat partibus: vestibulo, in quo catechumeni abrenuntiationes emittebant; ac domo interiori, in qua fiebat ablutio, ritusque ceteri in baptismo adhibiti peragebantur (1). Secretarium, sive Diaconicon locus erat, in quo sacra indumenta, vasa, ac reliqua Ecclesiæ supellex servabantur (2). Pastophorium generale nomen est, quo multa significantur (3); sed, ut plurimum, designat ædificia, quæ stabant ab utroque Ecclesiæ latere ad extremitatem orientalem (4), et custodum, ac ministrorum templi domicilium (5). Schola, et Bibliotheca locus erat, in quo animi literis, atque doctrinis excolebantur (6).

(1) Baptistarium separatam ab Ecclesia locum fuisse, ostendit Martenius de Antiq. eccles. rit. l. 1 c. 1 art. 2 n. 7 t. 1 p. 4 ed. cit., idque etiam observant Fratres Ballerini in S. Zenon. l. 2 tract. 51 p. 241 t. 1 ed. August. Vindelic. Sæculo tamen VI, intra Ecclesiam baptisteria constitui cœpisse, ex Gregorio Turonensi docet Durantus de Rit. eccles. l. 1 c. 19.

(2) Atque hoc quidem Diaconicon magnum erat, de quo vide Du-Cangium in Glossar.; nam quod dicebatur Diaconicon Bematis, id erat intra Ecclesiam, eoque Diaconi ea, quæ erant ad sacram liturgiam necessaria, ex Diaconico magno deferrebant, ut ad manus essent. Auctor Chronic. Alexand. p. 590 ed. Paris.

(3) Pastophorium generali nomine usurpatum, comprehendebat etiam Diaconicon, et Gazophylacium, videlicet locum illum, in quo ponebantur populi oblationes, quæ super altare ponendæ non erant, sed potius Episcopi domum mittendæ judicabantur.

(4) Memorat Pastophoria Auctor constit. Apostolic. l. 2 c. 57 p. 264 ed. cit., quo ex loco intelligimus, ea fuisse loca ex utraque Ecclesiæ parte ver-

sus orientem. Ipse Auctor deinceps l. 8 c. 45 p. 409, eorum locorum usum explicat, cum illic Eucharistiæ reliquias, post omnium communionem, deferri jubet.

(5) Consule Schelestratum in Concil. Antioch. p. 186.

(6) De cunctis exterioribus antiquarum Ecclesiarum partibus late disputant Binghamus Origin. eccles. l. 8 c. 7 t. 3 p. 252 et seq. cit. ed., et Selvagijs Antiquit. christian. l. 2 c. 5.

(N. S. Ex Ecclesiæ Hispanæ disciplina, Tempia, ut plurimum, tribus constant partibus; Sanctuario, scilicet, Nave, et Choro. Sanctuarium, quod Presbyterium universim audit, est ea pars Aræ Majori proximior, paululum supra commune solum erectior, et nonnunquam etiam cancellis septa, cui nonnisi Clericis Divina operaturis ingredi licet. Nave est ille amplior Ecclesiæ locus, fidelibus precaturis deputatus, qui inter Chorum, et Sanctuarium est medius. Chorus locus ille est, muris, aut cancellis circumseptus, in quo Clerici Divinas laudes cantaturi adstant. In Majoribus situs est in ipso Ecclesiæ plano, binis summum gradibus erectus, in minoribus vero erectior est, fornicibus subnixus, ita ut ex interioribus ædificiis pateat ingresus. Baptisterium, ut plurimum, ad ipsos Ecclesiæ fores situm est, ferreis etiam cancellis munitum. Pauca Ecclesiæ sunt, quæ atrium non habeant, eæ præcipuæ, quæ Monasteriorum vestigia servant. Neque ulla quoque est Ecclesiæ, quæ non habeat Diaconium, aut Sacrarium, seu, ut vulgo sonat, Sacristia, eamque quantum fas sit amplissimam, commodissimam, et pulcherrime ornatam. Postremo Majoribus Ecclesiis ædificia adjacent, habendis Capitulis, et suppellectilibus custodiendis deputata, et in quibus inferiores Ecclesiæ ministri habitent).

SECTIO I.

DE CONSECRANDIS, ET RECONCILIANDIS ECCLESIIS.

16. CONSECRATIO ECCLESIARUM, ET EJUS ANTIQVI RITVS.—17. RITVS, QUI NUNC OBTINENT.—18. ECCLESIE CONSECRATIO AD EPISCOPVM PERTINET, EA NON ITERANDA.—19. ECCLESIA VIOLATA, AUT POLLUTA.—20. EA RECONCILIANDA EST.

16.

**A**EDIFICATA Ecclesiæ, ut primum fieri potest, consecratur, vel saltem benedicitur; nam secus in ea rem divinam conficere nefas est. Antiquissimus est Ecclesiarum consecrandarum usus (1); sed non iidem semper ritus, eademque cæremoniæ adhiberi consueverunt. Ex veteri disciplina vicini Episcopi vocabantur (2); et interdum etiam concilia celebrari solebant (3). Episcopi sermones habebant (4); cuncti fundebant preces: ac denique divinis sacrificiis, mysticis oblationibus, hymnis, aliisque pietatis, operibus, summo omnium gaudio, et celebritate consecratio peragebatur (5). Martyrum quoque reliquias, ritu saltem Romano, adhibitas fuisse constat (6).

(1) Ecclesias tantum IV. sæculo, pacato Constantini imperio, consecrari cœpisse, multi arbitrantur: laudantque Eusebium Hist. l. 10 c. 5 p. 464 ed. cit., et Athanasium Apol. ad Constant. n. 47 et 18 opp. t. 1 p. 242 et 245 ed. Patav. 1777. Equidem iis facile assentior, si publicam illam, et solemnem consecrationem intelligunt, quæ tantum pace Ecclesiæ data absolvi potuit; sed ab iis valde dissentio, si etiam privatam consecrationem excludunt, ac plane omnem adhibitum negant actum religionis, per quam Ecclesiæ divino cultui addiceretur. Nam templorum consecrationem è veteri testamento ad novum, atque ab Apostolis ad eorum successores transisse, semperque in Ecclesiâ retentam, ac servatam arbitror. Quomodo expedita fuerit vetus consecratio toto illo temporis spatio, quo ethnici homines imperio potiebantur, incertum est; et forte initio consistebat in solemnibus gratiarum actione, certisque precibus, quam tunc eorum temporum usus postulabat, quæ est simillima veri conjectura Josephi Aloysii Assemani, præstantissimi olim in Romana Academia Collegæ mei, mihi quæ, dum vixit, amicissimi, in Tract. de Eccles. rever. et asyl. art. 6 p. 64, et Laurentii Selvagijs Antiquit. Christian. l. 2 c. 5 §. 1. Consule Bonam. Rer. liturgic. l. 1 c. 19 §. 3 t. 2 p. 71 et seq. ibique Salam in Not.

(2) Vide Eusebium Hist. l. 10 c. 3 p. 464 et de Vit. Constant. l. 4 c. 45 p. 650; Socratem l. 1 c. 28 p. 65; Sozomenum l. 2 c. 26 p. 81; Theodoretum l. 1 c. 31 p. 64 omnes ed. Valesii Cantabrig. 1720; Augustinum Ep. 269 ad Nobilem, col. 902 opp. t. 2 ed. Ven. cit.

(N. S. Sic vocati ab Alphonso Magno Episcopi, Oscensis, Legionensis, Asturicensis, Salmaticensis, Cauriensis, Comanbricensis, Lameensis, Vicensis, Portucalensis, Bracarenensis, Tudensis, Auricensis, Iriensis, Lucensis, Britoniensis, Cæsaraugustanus, Ovetensem Ecclesiam, cum illius Urbis Episcopo, sollempni pompa, et Evangelica habita concione, consecrarunt die 24 Junii an. circit. 873, cui Rex ipse una cum præcipuis Regni Proceribus, et catholica plebe interfuerunt; ac sanctum celebratum est Concilium, in quo inter alia, illud maxime constitutum est, ut Ecclesiæ Ovetensis Metropolis haberetur, Valesis Aguirre, Concil. Tom. 4 pag. 356. Plures dein Episcoporum conventus habiti sunt Ecclesiarum consecrationis causa, videlicet, Rotensis an. 1022, Pampilonensis an. 1023, Rivipollensis an. 1052, Gerundensis an. 1058, Urgellensis an. 1070, Barcinonensis an. 1058, Helenensis an. 1058).

Illis adde, ex M. Villodas Antiq., part. 2, sect. 3, pag. 176: « Ad S. Jacobi templum Compostellæ inaugurandum (quod tempore Alphonsi III contigit) Rex ipsemet Alphonsus, cum tota ipsius familia, 17 episcopis, Palatii comitibus, ac magnatibus interfuit comitatus. Legionensis item Ecclesiæ consecrationi Alphonsus VI, et ejus sorores Urraca et Elvira, et Pelagius Episcopus, 7 quoque alii episcopi adfuerunt. (Florez, t. 19). »

(3) Hinc propter dedicationem Ecclesiarum frequentes habitæ sunt Synodi, qualis fuit Antiochena an. 541, quæ inde in eucaniis dicta est.

(4) Plures hujusmodi sermones apud Ambrosium, Augustinum, atque alios extant.

(5) Eusebius in Vit. Constantin. l. 4 c. 45 p. 631 ed. cit.

(6) Ambrosius Ep. 22 col. 931 n. 43 opp. t. 3 ed. Ven. cit., Paulinus Ep. 52 ad Severum col. 499 n. 7 ed. Xeronæ 1756.

17. Ritus, qui nunc servantur, describit Pontificale Romanum (1), cujus decreto diei consecrationis anteire debet jeju-

sus orientem. Ipse Auctor deinceps l. 8 c. 45 p. 409, eorum locorum usum explicat, cum illic Eucharistiæ reliquias, post omnium communionem, deferri jubet.

(5) Consule Schelestratum in Concil. Antioch. p. 186.

(6) De cunctis exterioribus antiquarum Ecclesiarum partibus late disputant Binghamus Origin. eccles. l. 8 c. 7 t. 3 p. 252 et seq. cit. ed., et Selvaggius Antiquit. christian. l. 2 c. 5.

(N. S. Ex Ecclesiæ Hispanæ disciplina, Tempia, ut plurimum, tribus constant partibus; Sanctuario, scilicet, Nave, et Choro. Sanctuarium, quod Presbyterium universim audit, est ea pars Aræ Majori proximior, paululum supra commune solum erectior, et nonnunquam etiam cancellis septa, cui nonnisi Clericis Divina operaturis ingredi licet. Nave est ille amplior Ecclesiæ locus, fidelibus precaturis deputatus, qui inter Chorum, et Sanctuarium est medius. Chorus locus ille est, muris, aut cancellis circumseptus, in quo Clerici Divinas laudes cantaturi adstant. In Majoribus situs est in ipso Ecclesiæ plano, binis summum gradibus erectus, in minoribus vero erectior est, fornicibus subnixus, ita ut ex interioribus ædificiis pateat ingresus. Baptisterium, ut plurimum, ad ipsos Ecclesiæ fores situm est, ferreis etiam cancellis munitum. Pauca Ecclesiæ sunt, quæ atrium non habeant, eæ præcipuæ, quæ Monasteriorum vestigia servant. Neque ulla quoque est Ecclesiæ, quæ non habeat Diaconium, aut Sacrarium, seu, ut vulgo sonat, Sacristia, eamque quantum fas sit amplissimam, commodissimam, et pulcherrime ornatam. Postremo Majoribus Ecclesiis ædificia adjacent, habendis Capitulis, et suppellectilibus custodiendis deputata, et in quibus inferiores Ecclesiæ ministri habitent).

SECTIO I.

DE CONSECRANDIS, ET RECONCILIANDIS ECCLESIIS.

16. CONSECRATIO ECCLESIARUM, ET EJUS ANTIQVI RITVS.—17. RITVS, QUI NUNC OBTINENT.—18. ECCLESIE CONSECRATIO AD EPISCOPIVM PERTINET, EA NON ITERANDA.—19. ECCLESIA VIOLATA, AUT POLLUTA.—20. EA RECONCILIANDA EST.

16.

**A**EDIFICATA Ecclesiæ, ut primum fieri potest, consecratur, vel saltem benedicitur; nam secus in ea rem divinam conficere nefas est. Antiquissimus est Ecclesiarum consecrandarum usus (1); sed non iidem semper ritus, eademque cæremoniæ adhiberi consueverunt. Ex veteri disciplina vicini Episcopi vocabantur (2); et interdum etiam concilia celebrari solebant (3). Episcopi sermones habebant (4); cuncti fundebant preces: ac denique divinis sacrificiis, mysticis oblationibus, hymnis, aliisque pietatis, operibus, summo omnium gaudio, et celebritate consecratio peragebatur (5). Martyrum quoque reliquias, ritu saltem Romano, adhibitas fuisse constat (6).

(1) Ecclesias tantum IV. sæculo, pacato Constantini imperio, consecrari cœpisse, multi arbitrantur: laudantque Eusebium Hist. l. 10 c. 5 p. 464 ed. cit., et Athanasium Apol. ad Constant. n. 47 et 18 opp. t. 1 p. 242 et 245 ed. Patav. 1777. Equidem iis facile assentior, si publicam illam, et solemnem consecrationem intelligunt, quæ tantum pace Ecclesiæ data absolvi potuit; sed ab iis valde dissentio, si etiam privatam consecrationem excludunt, ac plane omnem adhibitum negant actum religionis, per quam Ecclesiæ divino cultui addiceretur. Nam templorum consecrationem è veteri testamento ad novum, atque ab Apostolis ad eorum successores transisse, semperque in Ecclesiâ retentam, ac servatam arbitror. Quomodo expedita fuerit vetus consecratio toto illo temporis spatio, quo ethnici homines imperio potiebantur, incertum est; et forte initio consistebat in solemnî gratiarum actione, certisque precibus, quam tunc eorum temporum usus postulabat, quæ est simillima veri conjectura Josephi Aloysii Assemani, præstantissimi olim in Romana Academia Collegæ mei, mihi quæ, dum vixit, amicissimi, in Tract. de Eccles. rever. et asyl. art. 6 p. 64, et Laurentii Selvaggi Antiquit. Christian. l. 2 c. 5 §. 1. Consule Bonam. Rer. liturgic. l. 1 c. 19 §. 3 t. 2 p. 71 et seq. ibique Salam in Not.

(2) Vide Eusebium Hist. l. 10 c. 3 p. 464 et de Vit. Constant. l. 4 c. 45 p. 650; Socratem l. 1 c. 28 p. 65; Sozomenum l. 2 c. 26 p. 81; Theodoretum l. 1 c. 31 p. 64 omnes ed. Valesii Cantabrig. 1720; Augustinum Ep. 269 ad Nobilium, col. 902 opp. t. 2 ed. Ven. cit.

(N. S. Sic vocati ab Alphonso Magno Episcopi, Oscensis, Legionensis, Asturicensis, Salmaticensis, Cauriensis, Comanbricensis, Lameensis, Vicensis, Portucalensis, Bracarenensis, Tudensis, Auricensis, Iriensis, Lucensis, Britoniensis, Cæsaraugustanus, Ovetensem Ecclesiam, cum illius Urbis Episcopo, sollempni pompa, et Evangelica habita concione, consecrarunt die 24 Junii an. circit. 873, cui Rex ipse una cum præcipuis Regni Proceribus, et catholica plebe interfuerunt; ac sanctum celebratum est Concilium, in quo inter alia, illud maxime constitutum est, ut Ecclesiæ Ovetensis Metropolis haberetur, Valesis Aguirre, Concil. Tom. 4 pag. 356. Plures dein Episcoporum conventus habiti sunt Ecclesiarum consecrationis causa, videlicet, Rotensis an. 1022, Pampilonensis an. 1023, Rivipollensis an. 1052, Gerundensis an. 1058, Urgellensis an. 1070, Barcinonensis an. 1058, Helenensis an. 1058).

Illis adde, ex M. Villodas Antiq., part. 2, sect. 3, pag. 176: «Ad S. Jacobi templum Compostellæ inaugurandum (quod tempore Alphonsi III contigit) Rex ipsemet Alphonsus, cum tota ipsius familia, 17 episcopis, Palatii comitibus, ac magnatibus interfuit comitatus. Legionensis item Ecclesiæ consecrationi Alphonsus VI, et ejus sorores Urraca et Elvira, et Pelagius Episcopus, 7 quoque alii episcopi adfuerunt. (Florez, t. 19).»

(3) Hinc propter dedicationem Ecclesiarum frequentes habitæ sunt Synodi, qualis fuit Antiochena an. 541, quæ inde in eucaniis dicta est.

(4) Plures hujusmodi sermones apud Ambrosium, Augustinum, atque alios extant.

(5) Eusebius in Vit. Constantin. l. 4 c. 45 p. 631 ed. cit.

(6) Ambrosius Ep. 22 col. 931 n. 43 opp. t. 3 ed. Ven. cit., Paulinus Ep. 52 ad Severum col. 499 n. 7 ed. Xeronæ 1756.

17. Ritus, qui nunc servantur, describit Pontificale Romanum (1), cujus decreto diei consecrationis anteire debet jeju-



nium, et vesperæ canendæ coram reliquiis, quæ subtus altare collocantur. Deinde Episcopus mane ter ipsam Ecclesiam exterius circumit, et aqua benedicta adspersit; tum Ecclesiam ingreditur, delineato duplici græco, ac latino in ipso templi pavimento alphabeto, ac una quidem in porta, duodecim vero in interioribus parietibus signatis crucibus, iisque sacro christomate linitis, psalmis, hymnis, precibus, aliisque ritibus consecrationem perficit; denique Missam celebrat, quæ tamen ad vim intimam consecrationis non pertinet. Atria etiam consecrantur, et suos etiam ob eam rem habent ritus, et cæremonias (2).

- (1) Par. 2 tit. 2 p. 32 ed. Catalani Rom. 1739.
- (2) Vide Pontificale Romanum l. c. tit. 3, 4, 5 p. 157 et seq.

18. Consecratio Ecclesiæ actus est sacer, et sollemnis, per quem ea divino cultui addicitur (1). Tantum Episcopus Ecclesiam consecrat diœcesis suæ, neque hæc Presbyteris potestas est (2). Quovis die fieri potest consecratio, quamquam fieri soleat die festo (3), et sollemnia sacra dedicationis quovis anno celebranda sunt (4); semelque facta numquam iteratur, nisi tota pene collapsa, aut exusta instauretur Ecclesia, vel nisi de illius consecratione dubitetur (5). Altaris etiam consecratio non repetitur, nisi frangatur, aut nisi evellatur è basi, ubi affixum fuerat (6).

(1) Ecclesiæ consecratio, et dedicatio passim confunditur, quasi Ecclesiam consecrare ac dedicare unum idemque sit; sed revera alia consecratio, et alia dedicatio est, quod observat Mazochius de Camp. Amphih. c. 3. Diatr. de Consecr. et Ep. de Dedicat. sub ascia c. 1. Dedicatio proprie est initiatio, et primus rerum usus, consecratio autem potius ad cæremonias pertinet, quibus ecclesiæ consecrantur. Sed quoniam utrumque conjunctim perficitur, factum est, ut duo hæc vocabula indiscriminatim accipiuntur.

- (2) Can. 9 et 25 de Consecr. dist. 1, cap. 1 de Relig. domib.—\*Syn. Bracar. I, can. 19, alias 56; Hispal. II, can. 7.
- (3) Cap. 2 de Consecr. eccles.—\*Syn. Casaraug. III, can. 1.
- (4) Can. 16 et 17 de Consecr. dist. 1.
- (5) Can. 16, 18 et 20 de Consecr. dist. 1.
- (6) Can. 19 de Consecrat. dist. 1 cap. 1 de Consecrat. eccles.

19. Consecrata Ecclesia, si violetur aut polluatur, reconciliari debet, quoniam in ea res divina fieri non potest (1). Polluitur autem injuriosa humani sanguinis effusione, et homicidio, quod, etiam non effuso sanguine, in Ecclesia patratum est (2); item humani seminis voluntaria effusione (3); denique infidelis, aut excommunicati vitandi sepultura (4).

- (1) Cap. ult. de Consecr. eccles.
- (2) Cap. 4 eod.
- (3) Cap. 4 et ult. eod.
- (4) Cap. 7 eod., can. 27 de Consecr. dist. 1.

20. Reconciliatio fit ab Episcopo, missis precibus, et adspersione aquæ, cum qua vinum, et cinis commiscetur (1). Quæ cæremonia designat peccatorum reconciliationem, eoque videtur spectare cinis, qui in publica pœnitentia adhibebatur. Si Ecclesia benedicta tantum erat, non consecrata, etiam Presbyter lustrali aqua reconciliationem facit (2). Cum pollutio facta est ob sepulturam excommunicati, aut infidelis, ante omnia cadaver, si discerni possit, effodiendum est (3). Reconciliata autem Ecclesia, reconciliantur etiam atria, eique conjuncta cœmeteria, quæ duo simul cum violata Ecclesia violantur (4).

- (1) Cap. 4, 7, et 9, de Consecr. eccles.
- (2) Cap. ult. eod. ibique Glos.
- (3) Can. 27 et 28 de Consecr. dist. 1.
- (4) Cap. unic. de Consecr. eccles. in 6.

### SECTIO XI.

#### De Immunitate Ecclesiarum.

21. SACRORUM LOCORUM REVERENTIA APUD OMNES GENTES.—22. CHRISTIANI SUARUM REVERENTIA ECCLESiarUM CUNCTIS PRESTARE DEBENT.—23. QUANTA FUERIT VETERUM CHRISTIANORUM REVERENTIA.—24. UNDE ORTA ECCLESiarUM IMMUNITAS?—25. IN ECCLESIA PROFANI ACTUS NON EXERCENDI.—26. JUS ASYLI.—27. UNDE REPETENDUM?—28. REGENDUM LEGIBUS ECCLESIASTICIS.—29. QUÆ LOCA ASYLI JURE POTIANTUR?—30. QUORUM CRIMINUM REI AB ECCLESIASTICO ASYLO EXCLUDANTUR.—31. QUOMODO HI AB ECCLESIA EDUCENDI?

21.

OMNES gentes, quæ templa habuerunt (habuerunt autem cunctæ, quibus erat religio) (1) ædes suis diis addictas, et consecratas præcipuo quodam honore, ac reverentia prosequi consueverunt. Hinc nefas erat violare templum, aut quidquam in eo facere aliter ac deceret, et in ipso armorum strepitu, ac tumultu, militaris licentia templorum jura sancta, et inviolata servabat. Hebræorum templum quantam venerationem haberet, omnibus compertum est; et certe nemo non intelligit, quam venerandus, et colendus esset locus, quem ipse Deus sanctum se fecisse affir-

nium, et vesperæ canendæ coram reliquiis, quæ subtus altare collocantur. Deinde Episcopus mane ter ipsam Ecclesiam exterius circumit, et aqua benedicta adspersit; tum Ecclesiam ingreditur, delineato duplici græco, ac latino in ipso templi pavimento alphabeto, ac una quidem in porta, duodecim vero in interioribus parietibus signatis crucibus, iisque sacro christomate linitis, psalmis, hymnis, precibus, aliisque ritibus consecrationem perficit; denique Missam celebrat, quæ tamen ad vim intimam consecrationis non pertinet. Atria etiam consecrantur, et suos etiam ob eam rem habent ritus, et cæremonias (2).

- (1) Par. 2 tit. 2 p. 32 ed. Catalani Rom. 1739.
- (2) Vide Pontificale Romanum l. c. tit. 3, 4, 5 p. 157 et seq.

18. Consecratio Ecclesiæ actus est sacer, et sollemnis, per quem ea divino cultui addicitur (1). Tantum Episcopus Ecclesiam consecrat diœcesis suæ, neque hæc Presbyteris potestas est (2). Quovis die fieri potest consecratio, quamquam fieri soleat die festo (3), et sollemnia sacra dedicationis quovis anno celebranda sunt (4); semelque facta numquam iteratur, nisi tota pene collapsa, aut exusta instauretur Ecclesia, vel nisi de illius consecratione dubitetur (5). Altaris etiam consecratio non repetitur, nisi frangatur, aut nisi evellatur è basi, ubi affixum fuerat (6).

(1) Ecclesiæ consecratio, et dedicatio passim confunditur, quasi Ecclesiam consecrare ac dedicare unum idemque sit; sed revera alia consecratio, et alia dedicatio est, quod observat Mazochius de Camp. Amphih. c. 3. Diatr. de Consecr. et Ep. de Dedicat. sub ascia c. 1. Dedicatio proprie est initiatio, et primus rerum usus, consecratio autem potius ad cæremonias pertinet, quibus ecclesiæ consecrantur. Sed quoniam utrumque conjunctim perficitur, factum est, ut duo hæc vocabula indiscriminatim accipiuntur.

- (2) Can. 9 et 25 de Consecr. dist. 1, cap. 1 de Relig. domib.—\*Syn. Bracar. I, can. 19, alias 56; Hispal. II, can. 7.
- (3) Cap. 2 de Consecr. eccles.—\*Syn. Casaraug. III, can. 1.
- (4) Can. 16 et 17 de Consecr. dist. 1.
- (5) Can. 16, 18 et 20 de Consecr. dist. 1.
- (6) Can. 19 de Consecrat. dist. 1 cap. 1 de Consecrat. eccles.

19. Consecrata Ecclesia, si violetur aut polluatur, reconciliari debet, quoniam in ea res divina fieri non potest (1). Polluitur autem injuriosa humani sanguinis effusione, et homicidio, quod, etiam non effuso sanguine, in Ecclesia patratum est (2); item humani seminis voluntaria effusione (3); denique infidelis, aut excommunicati vitandi sepultura (4).

- (1) Cap. ult. de Consecr. eccles.
- (2) Cap. 4 eod.
- (3) Cap. 4 et ult. eod.
- (4) Cap. 7 eod., can. 27 de Consecr. dist. 1.

20. Reconciliatio fit ab Episcopo, missis precibus, et adspersione aquæ, cum qua vinum, et cinis commiscetur (1). Quæ cæremonia designat peccatorum reconciliationem, eoque videtur spectare cinis, qui in publica pœnitentia adhibebatur. Si Ecclesia benedicta tantum erat, non consecrata, etiam Presbyter lustrali aqua reconciliationem facit (2). Cum pollutio facta est ob sepulturam excommunicati, aut infidelis, ante omnia cadaver, si discerni possit, effodiendum est (3). Reconciliata autem Ecclesia, reconciliantur etiam atria, eique conjuncta cœmeteria, quæ duo simul cum violata Ecclesia violantur (4).

- (1) Cap. 4, 7, et 9, de Consecr. eccles.
- (2) Cap. ult. eod. ibique Glos.
- (3) Can. 27 et 28 de Consecr. dist. 1.
- (4) Cap. unic. de Consecr. eccles. in 6.

### SECTIO XI.

#### De Immunitate Ecclesiarum.

21. SACRORUM LOCORUM REVERENTIA APUD OMNES GENTES.—22. CHRISTIANI SUARUM REVERENTIA ECCLESiarUM CUNCTIS PRESTARE DEBENT.—23. QUANTA FUERIT VETERUM CHRISTIANORUM REVERENTIA.—24. UNDE ORTA ECCLESiarUM IMMUNITAS?—25. IN ECCLESIA PROFANI ACTUS NON EXERCENDI.—26. JUS ASYLI.—27. UNDE REPETENDUM?—28. REGENDUM LEGIBUS ECCLESIASTICIS.—29. QUÆ LOCA ASYLI JURE POTIANTUR?—30. QUORUM CRIMINUM REI AB ECCLESIASTICO ASYLO EXCLUDANTUR.—31. QUOMODO HI AB ECCLESIA EDUCENDI?

21.

OMNES gentes, quæ templa habuerunt (habuerunt autem cunctæ, quibus erat religio) (1) ædes suis diis addictas, et consecratas præcipuo quodam honore, ac reverentia prosequi consueverunt. Hinc nefas erat violare templum, aut quidquam in eo facere aliter ac deceret, et in ipso armorum strepitu, ac tumultu, militaris licentia templorum jura sancta, et inviolata servabat. Hebræorum templum quantam venerationem haberet, omnibus compertum est; et certe nemo non intelligit, quam venerandus, et colendus esset locus, quem ipse Deus sanctum se fecisse affir-

maverat, quem suam domum elegerat, et sponderat, se audientium preces, quæ in eo funderentur (2).

(1) « Si terras obeas, inquit Plutarchus, invenire possis urbes muris, literis, regibus, domibus, opibus, numismate carentes; urbem templis, diisque carentem nemo usquam vidit. » Ita videlicet ethnicus homo loquitur.

(2) Isai. LVI. 7. Genes. XXVIII. 17. Exod. III. 5. Machabæor. II. III. 12. Reg. III. VIII. 15 et seq. et IX 3.

22. Christiani suorum reverentia templorum non Hebræis, non reliquis gentibus concedere, imo vero cunctis præstare debuerunt. Nam in eorum Ecclesiis non hircorum, aut vitulorum sanguis offertur, sed ipse Christus sine cruore immolatur, atque ipse adest Deus reali præsentia sua, qua in re Hebræos vincunt; uti cultu etiam vincunt ceteras gentes, quæ non verum, ut ipsi colebant, effectorem et dominatorem rerum omnium Deum, sed deos hominum voluntate confictos, et omnium scelerum contagione contaminatos.

23. Hinc Ecclesiæ à Christianis semper pro sacris usibus, cultuque religionis adhibitæ, exclusaque omnia, quæ non aliquo modo ad pietatem tenderent, vel proxime ad eam essent referenda (1); Episcopi mori maluerunt, quam Ecclesias ab hæreticis violari sinerent (2); Reges Ecclesiam ingressuri, diadema deponebant, atque extra illam custodias relinquebant (3); cuncti autem fideles manus, atque os lavabant, ut significarent innocentiam, ac puritatem, quam omnes in illo tam pleno reverentiæ, ac majestatis loco præferre oportebat (4), calciosque detrahebant (5); in ipso vestibulo caput, ac genua flectebant (6), osculabantur, et circumplebant amplexu januas, atque columnas (7); denique Ecclesia tutissimus erat rerum servandarum locus, et perfugium miseris, quos eo vocaverat spes tutelæ, et metus publicæ calamitatis (8).

(1) Itaque ne quod in Ecclesiis scelus latenter admitteretur, prohibita sunt scœniæ in iis vigiliis agere. Concilium Eliberitanum can. 35 col. 254 t. 1 collect. Harduini. Eademque de causa vetita sunt in Ecclesia convivia. Concilium Carthaginense III. can. 50 col. 964 t. 1 collect. Harduini, itemque vetitæ, aut certe imminutæ agapæ, scilicet convivia illa caritatis, quæ in Ecclesia fiebant, quæque Apostoli instituerant. Concilium Laodicenum can. 23 col. 785 t. 1 collect. Harduini. Hinc Synodus Gangrensis duos edidit canones, videlicet can. 5 et 6 col. 554 et 556 t. 1 collect. Harduini adversus hæreticos Eustathianos, Massalianos, atque alios, qui inter Ecclesias, privatasque domos discrimen non faciebant, quæque in Ecclesia peragebantur ecclesiastica officia, etiam domi peragi posse existimabant. Quis vero ignorat factum Christi Servatoris, qui è templo emptores, ac venditores, et cæ-

teros negociationem exercentes ejecit? Matth. XXI. 12 et 13. Joann. II. 14 et seq. — V. Syn. Tolet. an. 1565. Act. 2. Ret. cap. 21.

(2) S. Ambrosius ep. 17 n. 15 col. 369 et seq. t. 3 ed. Ven. 1751.

(3) S. Jo. Chrysostomus orat. post redit. ab exil. t. 5 p. 423. Idemque habetur in serm. I in Pentecost. int. spur. t. 3 p. 791 ed. Paris. 1721. Vide etiam Edictum Theodosii post leg. 4 eod. Theodos. de his qui ad Eccles. confug. t. 3 p. 593 ed. Lipsiæ 1758.

(4) Hujus consuetudinis crebra mentio est apud Chrysostomum, Eusebium, Tertullianum, Synesium, Paulinum, et cæteros, quorum supra testimonia descripsi.

(5) Memorat hanc consuetudinem Joannes Cassianus de instit. cœnob. l. 1 c. 10 p. 12 ed. Francofurti 1722; non tamen ea generatim ubique videtur obtinuisse.

(6) Quamquam nulla certa hujus consuetudinis demonstratio dari possit, tamen eam valde probabilem esse, ostendit Binghamus Origin. ecclesiast. l. 8 c. 40 §. 7 t. 3 p. 544 cit. ed., laudatque Chrysostomi testimonium, unde intelligimus, candidatos baptismi procidere, seque in genua projicere consuevisse, cum ad baptisterium accedebant.

(7) Ambrosius ep. 20 n. 26 col. 908 t. 3 ed. cit., Paulin. not. 6 Felic. p. 453 vers. 250 ed. Veron. 1755, Prudent. Hymn. 2 in S. Laurent. vers. 520 p. 131 ed. Paris. 1687, Cassiod. histor. tripart. l. 9 c. 50 p. 344 t. ed. Rotomagi 1679, Auct. eccles. hierarch. c. 2 §. 4 t. 1 p. 252 ed. Antwerp. 1655.

(8) S. Augustinus de Civit. Dei l. 1 c. 1 col. 5 opp. t. 7 ed. Ven. cit.; S. Hieronymus ep. 127 ad princip. n. 13 col. 954 opp. t. 4 ed. cit.; S. Gregorius Turonensis histor. l. 5 c. 4 col. 205 ed. Paris. cit.; Orosius l. 7 c. 59 p. 575 ed. Lugduni Batavorum 1758; Cassiodorus Var. l. 12 c. 20 p. 497 t. 1 ed. cit.; Sozomenus Histor. l. 9 c. 10 p. 576 ed. Valesii Cantabrigi 1720. Ac sæpe ipsi hostes eos, quibus parcere volebant, ad Ecclesias ducebant, ut ibi tuti essent ab aliis, qui ipsis vim, et injuriam inferre potuissent.

24. Ipse sensus Religionis impresus, atque insitus in hominum animis fecit, ut Christiani ita colerent, et venerarentur Ecclesias suas; atque hic ipse sensus intimus ecclesiasticæ immunitatis origo, et fundamentum est. Non enim Ecclesiarum immunitas inducta est à legibus, ut quidam putant, sed inducta est à Religione, sive à reverentia, qua in Religionem ferri debemus, et proinde Ecclesiasticæ Potestatis, cujus est moderari res Religionis, ejus est etiam de ecclesiastica immunitate leges constituere.

25. Duæ sunt immunitatis partes, quarum prima est, ut nullus profanus actus, qui minus decet loci sanctitatem, in Ecclesia exerceatur. Quare procul ab ea judicia criminalia; item judicia civilia, quæ ad Forum sæculare pertinent (1); procul ludi theatrales, convivia, comœdiæ, choreæ, et cantus non pietatis, sed oblectationis causa instituti (2); procul civiles conciones, et profana concilia, procul nundinæ, contractus, negociationes (3). Acta in Ecclesiis sæcularia judicia, irrita etiam sunt; criminalia

non tantum irrita, sed etiam pœnam afferunt excommunicationis (4); contractus tamen valent.

(1) Cap. 4 et 5 de Immunit. Eccl̄s.

(2) Can. 1 dist. 92, cap. 12 de Vit. et honest. cleric., Concilium Tridentinum sess. 22 decret. de observan. et vitan. in miss.—Syn. Valent. an. 1565, sess. 5, tit. 4, cap. 5; Synodus Tolet. mox laudato loco; Compil. Jo. Teres, lib. 5, tit. 51, cap. 11; leg. 40 tit. 11. 1 *Novis. Compilat.*

(5) Cap. 2 de immunit. in 6.

(N. S. Negotiationes et nundinas ab Ecclesiis penitus, et cœmeteriis relegandas voluit Syn. Vallisolet. Cap. 18, idque sub excommunicationis pœna. Sacristæ autem, *progredditur*, sive Thesaurarii Cathedralium, et Collegiatarum, ac Rectores Parochialium Ecclesiarum, diligenter attendant, ut negotiatores hujusmodi ab Ecclesiis abiciant. Revera Domus Dei, domus orationis est, non negotiationis; unde Syn. Valent. an. 1565 Sess. 4, Tit. 5 cap. 8, alias 10, præcepit sub excommunicationis pœna, ne in templis, etiam Monasteriis, Reliquiæ Sanctorum extra ipsum Altare educantur in locum, ubi ad quæstum populo sint propositæ.)

(4) Cap. 5 et 7 de immunit.;—Syn. Vallisolet cap. 18, et leg. 1 tit. 11 Partit. 4.

26. Pars altera immunitatis eo spectat, ut debitores, et re criminum ad Ecclesiam confugientes tuti sint, neque illinc divelli possint; quod jus asyli appellamus. Quemadmodum homines cum in periculis versantur, à Deo opem, et auxilium postulant, ita ad Ecclesias confugiunt, quoniam in illo precis, et obsecrationis loco se facilius à Deo, id quod optant, consequi, atque ibi tutum habere per fugium sperant, quod loci sanctitas, et reverentia pollicetur. Natura ipsa, atque in animis impressa vis Religionis, omnes vocat ad hoc commune præsidium, per quod quasi se in Dei tutelam recipiunt, et unde eos non videntur dejecturi ceteri homines, qui Ecclesias reverentur. Quare Ecclesiasticum asylum pars est reverentiæ, quæ ecclesiis debetur; atque hanc reverentiam ipsa vis Religionis induxit.

27. Ita natum est Ecclesiarum asylum; et vero antiquissimæ, quæ de eo sunt, leges non asylum constituunt, sed jam antea constitutum, et ubique receptum ostendunt (1). Scilicet, ut publice Christiana Religio dominari in civitatibus, atque in provinciis cœpit, is statim habitus à cunctis est honos Christianorum Ecclesiis, ut qui ad eas confugissent, loci sanctitate, ac reverentia defenderentur. Adeo verum est, nullis opus fuisse humanis legibus, quæ stabilirent jus asyli, quod jam asilum Ecclesiis, et earum venerationi, communis omnium consensus agnoverat.

(1) Vetustissima, quæ extat de Ecclesiarum asylo, est l. 1 cod. Theod.

de his qui ad eccles. confug. Verum hæc lex non asylum constituit, sed potius illud omnium moribus, et consensu jam pridem fuisse constitutum, lateque patuisse demonstrat; quod ipsi etiam animadvertunt Scriptores, quorum hæc in re testimonium repudiare non possunt, qui ægre ferunt asylum Ecclesiarum, Jacobus Gothofredus in not. ad d. leg. 1 cod. Theodos. t. 5 p. 588 ed. Lips., Binghamus origin. eccles. l. 8 c. 11 §. 1 p. 555 cit. ed., Van Espenius diss. canonic. de asyl. templor. c. 1 §. 1 Revera Gothofredus, et Binghamus l. c. complura collegerunt antiqua monumenta, ex quibus patet, jam Ecclesiarum asylum obtinuisse multo ante, quam Theodosiana illa lex in manus hominum perveniret, et *nulli unquam auctorum*, uti inquit Binghamus, *dubium fuit, quin id privilegium Ecclesiarum à tempore Constantini esse cœperit, licet nullæ leges Theodosio vetustiores, sive in Justiniano, sive Theodosiano Codice de hoc ipso reperiantur.* Atqui neque ulla lex extat Constantini, quæ Ecclesiarum asylum constituat; neque in antiquis monumentis ulla hujusce legis mentio, aut indicium est. An non id argumento est plane maximo, nullam ea de re legem à Constantino editam fuisse, quæ aut nunc extaret, aut saltem aliqua ejus mentio esse deberet apud Eusebium, qui Constantini vitam accurate conscripsit, atque apud cæteros scriptores, qui eorum temporum historiam literis mandarunt? Quod si Constantini ætate jam asylum vigeat, neque illud erat ulla lege constitutum, planum est, illud induci debuisse à moribus, atque à consensu christianorum, in ipso imperio Constantini; hoc est, eo ipso tempore, quo publicus christianæ Religionis cultus obtinere cœpit. Hic autem mos, et communis omnium consensus, qui statim erupit, cum primum erumpere libere potuit, unde ortus, nisi ortus est ex intimo sensu Religionis, atque ex impressa firmiter in omnium animis reverentia Ecclesiarum? Atque huc sane spectat S. Gregorius Nazianzenus, orat. 20 de Laud. Basil. p. 553 t. 1 ed. Colon. 1690, qui narrat, S. Basilium protexisse viduam, quæ ad altare confugerat, atque ait, eum fecisse id, quod non tantum M. Basilus, sed etiam quisvis alius Sacerdos facere debuisset, scilicet *ut eam adsereret, retineret, omni cura tueretur, Dei clementiæ et legi, quæ altaribus honorem haberi jubet, manum porrigeret, etc.* Ita scilicet Nazianzenus, antequam illa Theodosii lex prodiret, ecclesiasticum asylum referebat *ad Dei legem, quæ altaribus honorem haberi jubet.* Quam ecclesiastici asyli originem minime compertam, atque exploratam habent, qui eam à civilibus legibus repetendam putant; cum revera civiles hæc de re leges omnium, quæ extant, et quarum mentio habeatur, antiquissimæ, multo antea ecclesiarum asylum constitutum ostendant. Anonymus quidem Scriptor, qui anno 1765 Florentiæ libellum edidit cum titulo *«Discorso sopra l' Asilo Ecclesiastico r, falsis, et absurdis ratiunculis, quas à Paulo Sarpio pene omnes accepit, demonstrare conatus est, christianorum asylum ex ethnica superstitione procedere; illud initio non nisi meram Clericorum, et Episcoporum intercessionem fuisse, quæ non dabat spem certam per fugii, sed tota erat posita in prece, et obsecratione, quam Princeps audiebat, et despiciebat suo arbitratu; denique totum hoc de asylo negotium ad laicum Principem pertinere, quoniam illud ab ejus beneficio, et auctoritate profectum est. Mitto cæteros errores, quibus hic libellus abundat, et quos refutarunt Josephus Aloysius Assemanus de eccles. reveren. et asyl. animadvers. in discurs. p. 79 et seq., ac Jacobus Pistorozzius opere peculiarit. Tantum dico, quod si christianorum asylum ethniciæ superstitionis arguitur, propterea quod illud etiam ethnicis fuit, jam erit etiam superstitio christianis habere templa, et cultum externum Religionis, quoniam etiam ethnici utrumque habuerunt. Ivo vero quod hæc reverentia templis ethnicorum, et*

statui Principum exhiberetur, multo magis eam immortalis ac præpotenti Deo, ejusque domni à Christianis exhibendam esse, ostendunt Nicolaus I. in respons. ad consult. Bulgar. c. 95 col. 382 t. 1 collect. Harduini, Concilium Matisconense II, can. 8 col. 462 t. 3 collect. Harduini, et Theodosius Junior in celebri edicto, quod extat post leg. 4 Cod. Theod. de his qui ad eccl. confug. t. 3 p. 536 ed. cit. Præclare Isidorus Pelusiota ep. 174 p. 55 ed. Ven. 1745, ita firmum, certumque esse vult ecclesiasticum asylum, ut illud violare, *non solum crudelitatis, sed etiam impietatis* esse dicat. Et sane si ita ethnici colebant, ac venerabantur deos, quos veros putabant, superstitione erit Christianis colere, ac venerari Deum, quem unum verum esse certo sciunt? Nihil hoc magis absurdum, et magis impium dici potest. Quod de intercessione Clericorum, et Episcoporum Anonymus scriptor addit, id ab ipsa refutatur Theodosii lege, cujus supra est facta mentio, et quam omnium antiquissimam esse dixi, quæ de Ecclesiarum asylo disserat. Legis verba sunt hæc: *Publicos debitores, si confugiendum ad Ecclesias crediderint, aut illico extrahi de lateribus oportebit, aut pro his ipsos, qui occultare probantur, Episcopos exigi.* Lex hæc memorat disertissime debitores ad Ecclesias confugientes, et memorat etiam eorum extractionem, quæ verba referri certe non possunt ad Episcoporum, et Clericorum intercessionem. Neque vero, antequam illa Theodosii constitutio emitteretur, Episcoporum intercessionem, sed verum, ac germanum, quale nobis est, ecclesiasticum asylum, memorat Nazianzenus l. c., cum narrat, Basilium defendisse viduam, quæ contra vim sibi à Præfecto Ponti illatam ad altare confugerat. Similiter Ambrosius ep. 20 n. 3 col. 905 t. 5 ed. cit., et Ammianus Marcellinus l. 15 n. 5 p. 51 et l. 26 n. 3 p. 565 ed. Lips. 1775. Atque eadem semper fuit sententia eorum omnium, qui post hanc ætatem foruerunt. Cyriacus, qui in locum Joannis Baptistæ factus est Patriarcha Constantinopolitana vertente anno 595, pro asylo, ne templi sanctitas violaretur, adversus Phocam ipsum Imperatorem stetit, nec passus est, uti narrat Theophanes in Chronograph. p. 246 ed. Paris. 1655, ab Ecclesia educi Constantinam Mauriti, et tres ejus filias, nisi antea Phocas eas salvas fore, juratus confirmasset. Confer etiam S. Gregorium M. Ep. 57 l. 1, et Ep. 58 l. 10 opp. r. 2 col. 527 et 1063, ed. Paris. 1705: Concilium Aurelianense l. Can. 1 et 4 Can. 21 col. 545 et 1568 tit. 5 Conc. Labbei ed. Ven.: et Matisconense II. Can. 8 t. 6 col. 676. Non igitur Episcoporum intercessio cum ecclesiastico asylo confundi debet; intercessio obsecratio erat, et spem ponebat in venia, atque in misericordia Principis; sed asylum tuebatur reum jure sanctitatis loci, et reverentia, qua Christianos Dei domum prosequi oportebat. Denique quod dicitur, ecclesiasticum asylum nisi beneficio Principis, atque à civilibus legibus esse profectum, id falsum esse demonstravimus, cum illud indixerit ipsa vis Religionis, et reverentia Ecclesiis debita, legesque civiles jam communi omnium consensu stabilitum demonstrant asylum, multo ante quam ulla de eo civilis lex ederetur. Quod si non à civilibus legibus asylum procedit, sed à sensu intimo Religionis, atque à reverentia, quæ Ecclesiis debetur, manifestum est, ejus curam, et regimen non ad Civilem Potestatem, sed ad eum pertinere, cui Religionis cura, et Ecclesiarum regimen commissa, et commissum est. Quod si interdum laici Principes pietate præstantes de Ecclesiarum asylo leges tulerunt, non id ab ipsis factum est, ut primum asylum stabilirent, aut quod eorum legibus indigeret Ecclesia, ut haberet perfugium, quod dabat ejus sanctitas, ac reverentia, atque ipsa vis Religionis; neque ideo dici potest, quod illorum esse debeat de asylo leges constituere. Civi-

les illæ leges eo spectant, ut asyli jura sanete custodiantur, et earum etiam imperio, et auctoritate templorum veneratio firmetur, atque omnes metu quoque civilis coercionis à sacrilega violatione deterreantur. Non dissimiles Imperatorum leges extant in utroque Codice, atque Novellis, de Fide, et Sacramentis, de Religione ipsa Christiana, de hæreticis, apostatis, excommunicatis; neque tamen eam ob causam Catholicus homo dixerit, jus Religionis, ac Religionem ipsam Christianam, ac Fidem, à Principum auctoritate, et clementia pendere. Certe inter civiles leges, quibus ecclesiasticum asylum confirmatur, celebre est Edictum Theodosii Junioris, cujus paulo ante facta mentio est, et ibi quidem Imperator asylum, quod jampridem erat constitutum, repetit ex vi ipsa Religionis, atque ex naturali, et omnium animis insita reverentia Ecclesiarum. Neque aliud ferri debet judicium de antiquis Patribus, quos interdum ad Principes ivisse constat, ut de Ecclesiarum asylo leges impetrarent; unde in Codic. c. 56 apud Justelum Biblioth. Jur. Canon. t. 1 p. 154 ed. Paris. 1661 scriptum est: *ut pro confugientibus ad Ecclesiam quocumque reatu involutis, legem de gloriosissimis Principibus mereantur, ne quis audeat eos extrahere.* Imo et Patres illos legase scimus Epigonium, et Vincentium ad Honorium Imperatorem, ut concederet asylum Ecclesiis Africanis, quæ lex confirmata est à Justiniano Novell. de Eccles. const. in Afric. coll. 10. Nam eorum Patrum consilium fuit, ut Imperatoris gladio Ecclesiæ, ac Religionis honos, et cultus defenderetur, atque ut Imperatores ipsi sacrorum Canonum decreta auctoritate, imperioque suo ad exitum perducendi curarent. Similiter Episcopi pluries ad Imperatorem confugerunt, ut de Christiana Religione decreta firmaret, ut ecclesiasticam libertatem adsereret, ut catholicam fidem vindicaret; et multa harum rerum monumenta sunt, tum in Codice Canonum Africanorum, tum in Codice Justiniani, et Theodosii, atque in Novellis Constitutionibus. Sed non ideo quisquam dixerit, sanctissimos illos Episcopos potestatem in res sacras, ac Religionis, Ecclesiæque regimen, et curam, laico Principi committere voluisse. Sæculo IV Eutropius Eunuchus Arcadium Imperatorem impulit ad tollendum jus asyli, lata lege, quæ est L. 3 col. Theod. de his qui ad Eccles. confug.; sed postea confugere ipse ad Ecclesiam debuit, ut vitam tueretur suam, atque ita suomet facto, ut inquit Chrysostomus Hom. 1 in Eutrop. opp. t. 3 col. 585 ed. Paris. 1721, legem suam primus abrogavit.

(N. S. Verum nobis satius visum est, antequam hinc abeamus, nonnulla Conciliorum Hisp. decreta, in hujusce capituli argumentum adferre; scilicet Syn. Herd., Can. 8, quæ excommunicationis sententiam in Clericum infligit, qui servum ad Ecclesiam confugientem extrahere audeat, vel flagellare. Syn. Tolet. XII, Can. 10, jubente religiosissimo Rege Ervigio, constituit, ne ullus quemlibet ad Ecclesiam se recipientem, et intra triginta passus ab Ecclesia januis persistentem, abstrahere audeat: *Si quis, subjeit, hoc Decretum violare tentaverit, et Ecclesiasticæ excommunicationi subiaceat, et severitatis Regiæ feriatur sententia.* Syn. Cojac. an. 1050, Cap. 12, idem statuit; *sed sublato, ait, mortis periculo, et corporis delurpatione, faciat quod Lex Gothica (Leg. 1 Tit. 5 Lib. 9 Fori Julii) jubet. Qui aliter fecerit, anathema sit, et solvat Episcopo mille solidos* (unumquodque solidum puta, tria regalia, undecim morapetina, et tertia pars alterius morapetini, juxta hodiernum computandi modum) *purissimi argenti.* Syn. Valisolet. laud. Cap. 13, præcipit, sub excommunicationis pœna, ne quis ad Ecclesiam confugientem aliquo modo deturbare, aut consilium ad id præstare audeat. Salmant. Cap. 8, sub eadem excommunicationis pœna, prohibet confugientem ad Ecclesiam ligare, detinere, aut inde extrahere, *visi publicus*

latro fuerit, vel notorius depopulator agrorum, aut immunitas Ecclesie fuerit fracta. Consonat Hispal. an. 1512. Cap. 55: Valent. an. 1565, Sess. 5 Tit. 4 cap. 12; et præf. Compil. Tarracon. Lib. 3 Tit. 51 cap. 1 et 2).

28. Quod si Ecclesiarum asylum ex ipsa earum sanctitate, et reverentia procedit, consequens est, ut regatur autoritate ejus, cui regimen ecclesiasticarum rerum commissum est. Certe ecclesiasticis legibus et ampliati, et aretati sunt asyli fines; uti rerum ratio postulare videbatur. Naturalis reverentia in Ecclesiis fecit, ut eæ jure asyli fruereutur; deinceps illud traductum est etiam ad ea loca, quæ visa sunt reverentia, et obsequio digna, vel propter usum eni sunt addicta, vel propter dignitatem eorum, qui in illis habitant.

29. Hodie igitur asyli jure fruuntur omnes Ecclesie, etiam quæ consecratæ non sunt, earumque porticus, et atria (1); quin et locus, in quo, primo lapide solemniter jacto, Ecclesia ædificanda est (2); itemque oratoria Episcopi auctoritate constituta, ac perpetuo divinis addicta, non autem oratoria, quæ sunt in domibus privatorum, quamquam in iis cum venia Sedis Apostolicæ res divina peragatur; similiter palatium Episcopi; domus, quæ ad parochiam pertinet, et in qua parochus habitat; domus canonicales, et sodalitorum, quæ eorum ecclesiis conjunctæ sunt, turris campanaria, quæ intra passus triginta ab Ecclesia distat; xenodochia, et cœmeteria (3); domus Regularium; denique etiam sacerdos Eucharistiam deferens, ad se confugientibus asylum præstat (4).

(1) Can. 8. 9, 20, 36 c. 17 q. 4; cap. 5 et 9 de Immunit. Eccles. Quin etiam can. 6 et 55 caus. 17 q. 4, jus asyli traducitur ad passus 40 extra Ecclesiam cathedralem, ad passus 50 extra Ecclesiam inferiorem; verum hujus loci asylum nunc antiquatum esse, tradit Card. de Luca Disc. 12 n. 27 Miscell., ac solum obtinere ostendit Pignatellus consult. 426 t. 1, ubi consuetudine receptum est.

(2) Sacr. Congregatio Immunitatis in Jannen. 5 Octobris 1688.

(3) Cap. 10 de Immunit. Eccles.

(4) Consule Fagnanum in cap. Ecclesie 9 de Immunit. eccles. per tot. t. 5; Ferrarium Biblioth. verb. Immunitas art. 2; Giraldum Exposit. Juris Pontific. par. 1 sect. 657 p. 471; à quibus hæc omnia, quæ ad asylum pertinent ecclesiarum, latissime explicantur.

30. Publicas tamen ob causas factum est, ut rei graviorum quorundam criminum ab asyli beneficio excludantur. Atque hi quidem sunt, qui publice, et impudenter aliena bona diripiunt; qui agros depopulantur; qui hominem in Ecclesia, vel ejus cœmeterio interficiunt, aut ei membrum amputant; sicarii, qui

scilicet alieno jussu, alicui mortem inferunt, et qui tanti facinoris causa eorum operam conducunt, aut eos domi excipiunt; homicidæ, nisi vel casus, vel justa sui defensio homicidio causam dederit; Judæus, qui susceptam antea christianam religionem deseruit; hæreticus, nisi ad Ecclesiam confugerit ob aliud crimem, quam hæreseos; læsæ Majestatis reus; qui vim inferunt confugientibus ad Ecclesiam, atque eos inde violenter abducunt; qui in literis Apostolicis falsi crimen admiserunt; qui Montem Pietatis, aut alia similia loca administrantes, falsi, aut furti patrato crimine, ita publicam arcam minuunt, ut pœnæ mortis subjiciantur; qui aureas, et argenteas monetas privatim cudunt, aut vitiant, et corrumpunt; qui mentito Curie nomine, sese in alienas domos inferunt, et intrudunt, atque ibi rapinas faciunt, et homines trucidant, aut membra cædunt (1).

(1) Late de his omnibus agitur in cap. 6 et 10 de Immunit. Eccl.; in Bulla *Cum alias* 17 Gregorii XIV. Bullar. t. 5 par 1 p. 271; in Bulla *Ex quo* 75 Benedicti XIII. t. 12 p. 1; in Bulla *In supremo* 171 Clementis XII. lit. 14 p. 17; et in Bulla *Officii* 29 Benedicti XIV. t. 5 p. 160 ejus Bull. ed. Romæ sen. Ven. 1754. Consule Benedictum XIV. Inst. Eccl. Inst. 41 §. 5 et seq., et Giraldum Expos. jur. Pontific. p. 41. 5 sect. 655 p. 464 et seq. Recte autem animadvertit Benedictus XIV. l. c. §. 9 n. 55, quod præter ea scelera, quibus omnis immunitas jure negatur, si cetera quoque gravia sint, vel sæpius admittantur; auctoritate Summi Pontificis, vel Sacr. Congregationis Immunitatis, in carceres Ecclesiastici Judicis ex loco immuni rei detrudi possunt nomine Ecclesie, causaque ipsorum cognita, pœna constitui, paulo quidem mitior, ut simul et rei pœnam perferant, et ecclesiastici asyli ratio habeatur.

31. Qui se criminibus inquinant tantorum facinorum, ac tam atrocium, dimovendi ab Ecclesia sunt, ut meritis plectantur pœnis. Qua in re certa est adhibenda ratio, ne quis imprudenter, et temere privetur beneficio, quod ad se confugientibus Ecclesia præstat. Nimirum ab ecclesiastico Judice videndum est, num reus patrarit crimina, propter quæ immunitate prorsus indignus habeatur, ejusque auctoritate, ac præsentem viro ecclesiastico, quem ipse designavit, reus de asylo dimoveatur (1).

(1) Benedictus XIII, cit. const. Ex quo.

(N. S. Hispaniarum Reges, Gotthi præsertim, quorum ea fuit erga Ecclesiam pietas, ut non nisi in Episcoporum coactis Conventibus suas condere, vel confirmare Leges consueverint, nedum non imminuere, sed et fovere etiam multis immunitatem privilegii decrevere. Qua de re Sisenandus criminosos se in Ecclesiam recipientes, ab ea extrahere vetuit, eo dumtaxat excepto casu, cujus meminit præf. Syn. Cojac., quo reus se vi armata defen-

deret: *indie. Leg. 1 Fori Judic.* Regina Urraca, cum filiis, et filiabus, una cum Comitibus, ac pluribus Regni Proceribus, subscripserunt Constitutioni de Immunitate edita in Syn. Ovetensi an. 1115 cap. 5, qua sancitum est, ut nullus criminiosus, intra septuaginta à dextris Ecclesiae passus persistens, possit extrahi, nisi fuerit, servus, aut publicus latro, vel proditor *de crimine convictus*, sive palam excommunicatus, aut Monachus, vel Monacha refuga, aut violator Ecclesiae. Qui vero (ita progreditur), adreptus à diabolo, aliquid aliud per vim extraxerit ab Ecclesia, ejusque porticibus, usque ad duodecim passus, in quadruplum reddat: ... aut in Monasterio sit Monachus sub Regula B. Benedicti, aut sit Eremita omnibus diebus vitae suae. Quam quidem Constitutionem confirmavit deus, Alphonsus Castellae Rex, Alphonsus Portugalliae Infans, et Alphonsus Aragoniae Rex, una cum fratre ejus Ranimiro Monacho, pluribusque Regni, cum nobilibus, tum ignobilibus: atque etiam observantibus benedictiones, et infrigentibus, maledictiones, abjectae sunt. Suprascriptam quoque Sisenandi Regis legem confirmavit Alphonsus Sapiens Leg. 15, tit. 20, lib. 3 Fori Regii, et ad universum Regnum extendit Leg. 2 tit. 11 Part. 1. At serio perpendens, nimia interdum indulgentia augeri crimina, quosdam excipiendos voluit criminiosos, scilicet adulteros, violatores virginum, et Principi ad tributorum exactiones obligatos: *Leg. fin. tit. 11 Part. 1*; aliique alios successu temporum, de quibus infra.

Gregorianam Constitutionem *Cum alias*, neque in Hispania fuisse receptam, sed de ea ab eodem Philippo III supplicatum esse, adserit Ramos del Manzano ad *Leg. Julianam, et Pap. lib. 5 cap. 44 n. 6*, licet ipsam Cl. Antonius Augustinus suae inseruerit Collectioni *Tit. de Immunit. Eccles.* Jam vero Benedictus XIII, Gregorius XV, Clemens XII, et Benedictus XIV suas ediderunt Constitutiones, pluribus exceptionibus Asyli jus arctatum volentes, de quibus in progressu.

Quum initum Concordatum esset Catholicum Regem inter, et Apostolicam Sedem an. 1757, plures dein accesserunt R. Pontificum Constitutiones, quibus nonnihil Asyli jus imminutum est.

Ubi delinquens ad Ecclesiam confugerit, si iudiciis, quae ad torturam sufficiant, exceptum constet esse crimen, ab ipsa extrahendum est, at non propria iudicis laici auctoritate: Bened. XIV Const. *Officii Nostri* §. 5, et *Lex 2 tit. 4 lib. 1 Novis. Compilat.* Ministri, quibus hoc injunctum est officium, petita ab Ordinario licentia, una cum eo, vel persona Ecclesiastica ab ipso deputata, reum ab Ecclesia removeant, Regiis carceribus detrudendum Ordinarium criminiosum ab Ecclesiae potestate in iudicis laici manus transfert, censuras comminatur ab hoc incurrendas, nisi Ecclesiae reum restituerit, semel ac in causae progressu, non esse excepti criminis patratorem, constitit Episcopo; cujus quidem est declarare, an delictum jure Asyli potiat, vel non: Benedictus XIV, Const. *Officii Nostri* §. 15, et *Elapso proximo anno* §. 4. Porro si Ordinarium noluerit iudici Saeculari tradere reum, de quo vehementer suspicatur, exceptum perpetrasse crimen, poterit eum iudex Saecularis quam minimo educere strepitu, *ex praef. Lege 2*.

Si ad Ecclesiam perfrugens, haeresis reus existimetur, haereticæ pravitate Inquisitor, sine obtenta ab Ordinario licentia, ipsum per se ab Ecclesia educere potest, S. Tribunalis carceribus detrudendum; tenebitur tamen Inquisitor, vel ante capturam, vel postea, Episcopo de ea rationem reddere, tum propter reverentiam Episcopalis Dignitatis, tum etiam ut, quantum fas sit, Ecclesiasticum jus illaesus servetur: Benedictus XIV: *Elapso proximo anno* §. 5.

Crimina excepta quod spectat, jure Asyli non gaudent:

1. Delicti laesae Majestatis rei: Constit. Gregorii XV: *Quum alias*; et quicumque sacrae Regis Majestati laedere tentaverint, aut ad eundem spoliandum aliqua suarum ditionum parte occultas conflaverint conjurationes: *Concor. an. 1757 art. 1*.

2. Homicidae, qui animo deliberato, ac praemeditato, aliquem interfecerunt: Benedictus XIII Constit. *Ex quo*: etiam mulieres, nullis obstantibus privilegiis: Benedictus XIV Constit. *Officii Nostri* §. 8. Et Ecclesiastici, cujuscumque gradus, ac Ordinis; Regulares quoque, cujusvis Ordinis, aut Militiae, cujuscumque gradus, aut conditionis, et quibuscumque privilegiis non obstantibus, dummodo de commisso crimine à Jure Ecclesiastico cognoscatur, et sententia citra poenam sanguinis feratur; *ead. Constit. Benedicti XIV* §. 6 et 7. Demum quicumque homicida, cujusvis sexus, ordinis aut dignitatis, qui haeculo, aut saxo proximum occiderit, ubi ex delicti circumstantiis dignoscatur, actum illum, quamvis in rixa, non casu, aut necessaria defensione, sed ex odio, aut nocendi animo, ac voluntate prodixisse: *ead. Constit. § 9*, et qui opem, vel auxilium ad id praestiterint; si tantum viginti annorum aetatem expleverint: Constit. Clementis XII *Alias Nos* §. 6.

3. Assassini, regre mandantes, quamvis mors sequuta non sit, ac exsequentes: Benedictus XIII *ead. Constit. Ex quo*, et Clemens XII *in laud. Constit. ibid.*

4. Qui falso Curiae nomine usurpato, sese in alienas domos tanquam veri justitiae ministri insinuant, ibique rapinas committunt, dummodo homicidium, aut mutilatio sequatur: *ead. Constit. Benedicti XIII*.

5. Qui Ecclesiam, vel caemeterium, occasione, vel mutilatione violaverint: *leg. 1 tit. 4 lib. 1 Novis. Compilat.*, etiamsi intra Ecclesiam, vel caemeterium existens, extra positum interfecerit, vel mutilaverit: *ead. Constit. Benedicti XIII*.

6. Adulteri, ac Raptores Virginum, et qui Principi ad tributa solvenda obligati sunt, *Lege finali tit. 11 Part. 1*.

7. Falsarii litterarum Apostolicarum, ministri Montium Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci, furta, et fraudes in praedictis locis committentes, cujus causa poenae ordinariae locus sit; ac adulterantes, et ton dentes monetas aureas, vel argenteas, vel eas scienter expendentos: *ead. Constit. Benedicti XIII*.

8. Grassatores, praedonesque viarum: *Constit. Gregorii XV*, et *praef. Leg. 1 tit. 4 lib. 1 Novis. Compilat.*, etiam propter unicum, et simplicem grassationem; dum tamen mors, aut mutilatio ejus, cui vis illata est, subsequatur: *Concord. an. 1757 art. 1*, et *Benedictus XIII laud. Constit.*

9. Nocturni depopulatores agrorum, qui segetes, vineas, arbores, aut alia quaecumque fructifera abarserint: *Leg. 4 tit. 11 Part. 1*, et *laud. Leg. 1 Novis. Compilat.*; immo et publici latrones: *ead. Constit. Gregorii XV*.

10. Haeretici, et potiori jure Apostatae à Religione: *ead. Constit. Gregorii XV*.

11. Qui ab Ecclesia reos extrahunt, vel extrahi jubent: *ead. Constit. Benedicti XIII*.

12. Debitores, qui praestita à Jure saeculari cautione de non imponenda eis poena corporali, ab Ecclesia dimoveri, et in carcerem detruhi possunt: *Leg. 2 tit. 4 lib. 1 Novis. Compilat.*

13. Milites ab exercitu subterfugientes, qui eadem praestita cautione jurata, extrahendi sunt: *Decr. Reg. 2 Martii an. 1706 in Adnotat. 2<sup>a</sup> ad Sanct. un. tit. 2 lib. 1*, vulgo *Autos Acordados*; *leg. 5 tit. 4 lib. 1 Novis. Compilat.*

Regis etiam Ministris Ecclesiis, Hospitalia, Monasteria, et alia quæcumque loca à seculari jurisdictione exempta, adire licet, ibique res contra jus Regium clam inductas, vulgo *de contrabando*, perquirere, associatis tamen ipso Provisore, seu Vicario Generali, vel Foraneo Episcopi, qui per se requisitionem in Monasteriis Monialium facere tenentur, licet ad alias quaslibet Ecclesias lustrandas quæcumque Ecclesiasticam personam eligere possint. Fraudulenti homines, vulgo *Contrabandistas*, cum armis ad Ecclesias confugientes, statim debent armis ipsis exspoliari, et penes personam à Judice Ecclesiastico deputatam, deponi. Sic indulisit Nuntius Apostolicus Henricus Henriquez Ministris Reg. Patrimonii, die 6 Mart. an. 1749.

Quum nimium quondam locorum immunitum numerus excrevisset, paucique invenirentur improbi homines, quibus facilis ad Asyli perfrugium via non pateret, in grave publicæ tranquillitatis nocumentum; hinc Concordati lege an. 1757 art. 3, visum fuit Immunitatem adimere Eremiticis, iisque Ruralibus Ecclesiis, in quibus raro per annum Res Divina peragi solebat. At quum experientia compertum sit, comprimendæ perditissimorum hominum audaciæ, moderationem hanc adhuc non sufficere, Clemens XIV, ad petitionem Caroli III, ad unam in unoquoque Loco, vel summum duas secundum eorum frequentiam, ab Ordinario deputandas, Asylum præstringit; Constit. data 12 Sept. an. 1772.

Verum oportet ut criminosi, qui sese in Ecclesiam receperunt, *honeste, et decenter se gerant, nec ullo modo ludant, nec familiaritatem habeant cum suis uxoribus, vel aliis intus Ecclesiam, nec adstant in januis Ecclesiarum, nec in cæmeteriis, jocando, vel cyllharas pulsando, nec utendo aliis colloquiis otiosis; sed solitarie vivant, et tanquam persone, que erraverunt, et cum omnimoda humilitate, et honestate*: Synod. Hispalens. an. 1512 capit. 59).

De Asyli jure V. legg. tit. 4 lib. 1 *Novis. Compil.* cum ipsarum notis; Reg. ordinat. 6 Maj. an. 1832; necnon litteras Apost. in Hisp. Nuntii 21 Jun. 1828.

Eodem de proposito hæc Selvag. Barcin. Adnotat, antea laudati, t. 2 pag. 144: « Ut à Regio judice extrahatur quicumque ad Eccles. ob delictum confugerit, non requiruntur indicia ad *torturam* (quæ hodie nunquam intelligitur) sufficientia; imo poterit judex ad reum extrahendum procedere, cum ad ipsius cognitionem delictum pervenerit: super hac re vid. l. 16 tit. 4 lib. 1 *Novis. Recop.*, latam à Carolo IV 11 Nov. an. 1800, ubi perspicuè exhibentur regulæ in reorum extractione observandæ, etiam in hodierna praxi, dummodo in quibusdam præ oculis habeantur quæ in Reg. Prov. 25 Sept. an. 1855, art. 12, 13, 56, 51, 53 etc., statuta sunt. Quod ad milites attinet, quomodo ab asylo sint extrahendi, et quo pacto circa immunitatem processus, seu *articuli*, uti loquuntur, sint prosequendi, v. ll. 7, 8, 9, 10, et 11 tit. 4 lib. 1 *Novis. Recop.* — « Notatum reliquimus, Inquisitionis tribunal Reg. deer. 15 Jul. an. 1854 abolitum fuisse. Quinam ergo jus erit hæreticæ pravitatis reos ab ecclesiis extrahendi? Hæresis crimen est *mixti fori*; ac proinde, nostro iudicio, dabitur præventioni locus, ita ut, vel Episcopus, uti proprius fidei inspector, vel judex Regius, possint ex æquo reum ab Ecclesia educere. »

SECTIO III.

DE CAPELLIS, ET ORATORIIS.

52. QUID CAPELLA, ET ORATORIUM.—53. PUBLICI, ET PRIVATI ORATORII DISTINCTIO.—54. ALTARE PORTATILE.

32.

**C**APELLE (1), et oratoria sunt sacella, quæ in agris sedent, aut in civitatibus, aut in magnatum domibus, quæque sacris extraordinariis addicta sunt. Duplex oratorii genus, publicum; et privatum. Publicum est, quod publicam habet januam, et quod cuivis è populo patet; privatum, quod in privatis domibus, et quod domini arbitrio constituitur.

(1) Du Cangius in Glossar. med. et infim. latin. verb. Capella, hoc nomen repetit à capa, hoc est parva veste S. Martini, quæ in Oratorio Regis Galliarum servabatur: contra alii Capellæ nomen factum ostendunt à capa, hoc est, theca reliquiarum S. Martini, et aliorum, quam Galliarum Reges in oratorio habebant, et quam secum deferre solebant, cum ad bellum proficiscerentur. Nimirum capella orta est à Cap, sive Capa; et Cap vox Celtica est, uti tradit Leibnitiuss collee. ethymolog. par. 2; suaque origine significat capitis tegmen, ac generalim quodvis corporis tegumentum, ampliorique sensu rerum pretiosarum thecas, et conditoria. Evodius l. 1 de Miraen. B. Stephani, *capella urgetea*, inquit, *in qua erant reliquiarum portio*. Consule Pitheum Glossar. ad lib. capitular. verb. Capella, et Bignonium in Not. ad Marculf. formul. 48 l. 1, utrumque apud Baluzium capitular. Reg. Francor. t. 2 col. 491 et 626 ed. Ven. 1775.

33. Publicum oratorium Deo semel dicatum, in profanos usus converti nequit (1); quod de privato oratorio non est ita (2). Neque tantum in publicis oratoriis preces ad Deum mittuntur, sed etiam divinum sacrificium super altari rite consecrato peragitur. Hinc ea cum Episcopi auctoritate ædificari, ac benedici debent (3), et campanam habent, per quam populus ad rem divinam, atque ad fundendas preces publice vocatur (4).

(1) Cap. 51 de Regul. jur. in 6.

(2) Vulgatum est illud, quod post Glossam, et ceteros Juris Canonici interpretes, tradit Fagnanus in cap. *Auctoritate*, 27 de Censib., n. 6, quod hodie privatum oratorium est, *cras poterit fieri camera, cum non sit locus Deo dicatus*. Videndi in primis sunt Jo. Baptista Gatticus, Josephus de Bonis, et Fortunatus à Brixia, qui peculiaribus operibus *de oratoriis publicis, et domesticis* late, ac diligenter agunt.



Regis etiam Ministris Ecclesiis, Hospitalia, Monasteria, et alia quæcumque loca à seculari jurisdictione exempta, adire licet, ibique res contra jus Regium clam inductas, vulgo *de contrabando*, perquirere, associatis tamen ipso Provisore, seu Vicario Generali, vel Foraneo Episcopi, qui per se requisitionem in Monasteriis Monialium facere tenentur, licet ad alias quaslibet Ecclesias lustrandas quæcumque Ecclesiasticam personam eligere possint. Fraudulenti homines, vulgo *Contrabandistas*, cum armis ad Ecclesias confugientes, statim debent armis ipsis exspoliari, et penes personam à Judice Ecclesiastico deputatam, deponi. Sic indulisit Nuntius Apostolicus Henricus Henriquez Ministris Reg. Patrimonii, die 6 Mart. an. 1749.

Quum nimium quondam locorum immunitum numerus excrevisset, paucique invenirentur improbi homines, quibus facilis ad Asyli perfrugium via non pateret, in grave publicæ tranquillitatis nocumentum; hinc Concordati lege an. 1757 art. 3, visum fuit Immunitatem adimere Eremiticis, iisque Ruralibus Ecclesiis, in quibus raro per annum Res Divina peragi solebat. At quum experientia compertum sit, comprimendæ perditissimorum hominum audaciæ, moderationem hanc adhuc non sufficere, Clemens XIV, ad petitionem Caroli III, ad unam in unoquoque Loco, vel summum duas secundum eorum frequentiam, ab Ordinario deputandas, Asylum præstringit; Constit. data 12 Sept. an. 1772.

Verum oportet ut criminosi, qui sese in Ecclesiam receperunt, *honeste, et decenter se gerant, nec ullo modo ludant, nec familiaritatem habeant cum suis uxoribus, vel aliis intus Ecclesiam, nec adstant in januis Ecclesiarum, nec in cæmeteriis, jocando, vel cyllharas pulsando, nec utendo aliis colloquiis otiosis; sed solitarie vivant, et tanquam persone, que erraverunt, et cum omnimoda humilitate, et honestate*: Synod. Hispalens. an. 1512 capit. 59).

De Asyli jure V. legg. tit. 4 lib. 1 *Novis. Compil.* cum ipsarum notis; Reg. ordinat. 6 Maj. an. 1832; necnon litteras Apost. in Hisp. Nuntii 21 Jun. 1828.

Eodem de proposito hæc Selvag. Barcin. Adnotat, antea laudati, t. 2 pag. 144: « Ut à Regio judice extrahatur quicumque ad Eccles. ob delictum confugerit, non requiruntur indicia ad *torturam* (quæ hodie nunquam intelligitur) sufficientia; imo poterit judex ad reum extrahendum procedere, cum ad ipsius cognitionem delictum pervenerit: super hac re vid. l. 16 tit. 4 lib. 1 *Novis. Recop.*, latam à Carolo IV 11 Nov. an. 1800, ubi perspicuè exhibentur regulæ in reorum extractione observandæ, etiam in hodierna praxi, dummodo in quibusdam præ oculis habeantur quæ in Reg. Prov. 25 Sept. an. 1855, art. 12, 13, 56, 51, 53 etc., statuta sunt. Quod ad milites attinet, quomodo ab asylo sint extrahendi, et quo pacto circa immunitatem processus, seu *articuli*, uti loquuntur, sint prosequendi, v. ll. 7, 8, 9, 10, et 11 tit. 4 lib. 1 *Novis. Recop.* — « Notatum reliquimus, Inquisitionis tribunal Reg. deer. 15 Jul. an. 1854 abolitum fuisse. Quinam ergo jus erit hæreticæ pravitatis reos ab ecclesiis extrahendi? Hæresis crimen est *mixti fori*; ac proinde, nostro iudicio, dabitur præventioni locus, ita ut, vel Episcopus, uti proprius fidei inspector, vel judex Regius, possint ex æquo reum ab Ecclesia educere. »

SECTIO III.

DE CAPELLIS, ET ORATORIIS.

52. QUID CAPELLA, ET ORATORIUM.—53. PUBLICI, ET PRIVATI ORATORII DISTINCTIO.—54. ALTARE PORTATILE.

32.

**C**APELLE (1), et oratoria sunt sacella, quæ in agris sedent, aut in civitatibus, aut in magnatum domibus, quæque sacris extraordinariis addicta sunt. Duplex oratorii genus, publicum; et privatum. Publicum est, quod publicam habet januam, et quod cuivis è populo patet; privatum, quod in privatis domibus, et quod domini arbitrio constituitur.

(1) Du Cangius in Glossar. med. et infim. latin. verb. Capella, hoc nomen repetit à capa, hoc est parva veste S. Martini, quæ in Oratorio Regis Galliarum servabatur: contra alii Capellæ nomen factum ostendunt à capa, hoc est, theca reliquiarum S. Martini, et aliorum, quam Galliarum Reges in oratorio habebant, et quam secum deferre solebant, cum ad bellum proficiscerentur. Nimirum capella orta est à Cap, sive Capa; et Cap vox Celtica est, uti tradit Leibnitiuss collee. ethymolog. par. 2; suaque origine significat capitis tegmen, ac generalim quodvis corporis tegumentum, ampliorique sensu rerum pretiosarum thecas, et conditoria. Evodius l. 1 de Miraen. B. Stephani, *capella urgetea*, inquit, *in qua erant reliquiarum portio*. Consule Pitheum Glossar. ad lib. capitular. verb. Capella, et Bignonium in Not. ad Marculf. formul. 48 l. 1, utrumque apud Baluzium capitular. Reg. Francor. t. 2 col. 491 et 626 ed. Ven. 1775.

33. Publicum oratorium Deo semel dicatum, in profanos usus converti nequit (1); quod de privato oratorio non est ita (2). Neque tantum in publicis oratoriis preces ad Deum mittuntur, sed etiam divinum sacrificium super altari rite consecrato peragitur. Hinc ea cum Episcopi auctoritate ædificari, ac benedici debent (3), et campanam habent, per quam populus ad rem divinam, atque ad fundendas preces publice vocatur (4).

(1) Cap. 51 de Regul. jur. in 6.

(2) Vulgatum est illud, quod post Glossam, et ceteros Juris Canonici interpretes, tradit Fagnanus in cap. *Auctoritate*, 27 de Censib., n. 6, quod hodie privatum oratorium est, *cras poterit fieri camera, cum non sit locus Deo dicatus*. Videndi in primis sunt Jo. Baptista Gatticus, Josephus de Bonis, et Fortunatus à Brixia, qui peculiaribus operibus *de oratoriis publicis, et domesticis* late, ac diligenter agunt.

(5) Can. 10 c. 18 q. 2.

(4) Cap. 16 de Excess. Prælat. In privato tamen oratorio publicam campanam retineri vetat Cælestinus III, in cap. 10 de Privileg. — V. quod ad lib. 1 lit. 3 sect. 10, pag. 251, ex novis. Concord. art. 25, annotatum est.

34. Privatum oratorium domi habere unusquisque potest, sed in eo Missam celebrare non licet, nisi hæc facultas à Sede Apostolica impetrata sit (1). Verum Episcopi eo privilegio fruuntur, ut ad rem divinam faciendam, non tantum domi suæ oratorium habeant, sed etiam altare *viaticum*, seu *portatile*, ut vocant, erigere possint in alienis quoque domibus, in quibus vel visitationem obeuntes, vel iter facientes hospitio excipiuntur, quin etiam in suis domibus, in quibus commorantur, cum probatis de causis absunt à diœcesi sua (2).

(1) Can. 55 de Consecr. dist. 1; Concilium Tridentinum sess. 22 in Decret. de Observan. et evitan. in celebr. Miss. Confer Fagnanum in cit. c. 27 de Censib. n. 17 qui hoc Concilii decretum diligenter expendit.

(2) Cap. 12 de Privileg. in 6. Quod quidem Episcoporum privilegium à Tridentina Synodo minime fuisse sublatum, eoque potiri Episcopos electos, et confirmatos, quamvis consecrati non sint, ostendit Fagnanus in cap. *Quod nonnullis* n. 6 et seq. de Privileg. Cum autem Bonifacii Decretalis in cit. c. 12 comprehendat *Episcopos, eorumque superiores*, manifestum est, idem privilegium etiam ad Cardinales pertinere, qui præeminentia, et dignitate, non tamen ordine, sunt Episcopis superiores. Consule Fagnanum l. c. n. 5 et 10 et seq. et Passerinum in cit. c. 12. De jure altaris portatilis, quo fruuntur Episcopi, videnda in primis est Innocentii XIII Constitutio *Apostolici ministerii* 54 § 24 p. 265 l. 11 Bullar. Roman. ed. Mainard. qua quidem Constitutione declaratum est decretum ea de re editum à Clemente XI die 15 Decembr. an. 1705, illamque confirmavit Benedictus XIII, atque descripsit in Appendice Concilii Romani, ut ab omnibus observaretur. Confer etiam Benedicti XIV literas Magno datas ad Primate, Archiepiscopos, Episcopos Poloniæ, atque in ejus Bullario descriptas n. 48 l. 5 p. 216 ed. Ven. 1754.

#### SECTIO IV.

DE SACRIS VESTIBUS, VASIS, CETERIS AD ECCLESIAM PERTINENTIBUS.

55. RES SACRE IN HOMINUM COMMERCIO VERSARI NEQUEUNT.—56. SACRA INDUMENTA, AC VASA, EORUMQUE BENEDICTIO.—57. CAMPANÆ.

35.

**S**ACRAM supellectilem constituunt sacra indumenta sacerdotum et ministrorum, vasa, quæ adhibentur, cum res divina conficiuntur, omnia demum ecclesiæ, et altaris ornamenta. Cuncta hæc,

quæ Deo data, ejusque honori, ac cultui dicata erant, Majores nostri *anathemata* appellabant, quod essent à communi usu remota, atque sejuncta (1). Nam semper omnibus fixum, certumque fuit, res Deo consecratas revocari non posse in commercium hominum, in quo res profanæ versantur (2).

(1) Justinus Mar. Resp. 421 ad Orthodox. p. 495 ed. Paris. 1742, Cyrillus Alex. l. 5 de Adorat. p. 144 l. 1 ed. Lutetiæ 1658, Eusebius de Vit. Constant. l. 5. c. 58 p. 589 ed. Cantabrig. 1720, Zonaras, et Balsamon in Can. 5 Concil. in templ. Soplhiæ, apud Beveregium Pandect. Canon. t. 4 p. 563 ed. Oxonii 1672. Confer Svecicum *Thes.* et Selvagium *Antiquit. Christian.* par. 1 l. 2 c. 4 § 1.

(2) Notum est, qua constantia, et firmitate animi S. Ambrosius obstiterit Valentiniano Imperatori, qui ab eo sacra vasa tradi volebat. *Cum esset propositum*, inquit in Serm. contr. Auxent. n. 5 opp. t. 6 p. 56 ed. Ven. 1781, *ut Ecclesiæ vasa jam traderemus, hoc responsi reddidi: me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei juris esset, libenter offerre; templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum, acceperim.* Confer etiam canonem Apostol. 75 apud Cotelerium PP. Apostol. t. 1 p. 451 ed. Amstelæd. 1721, acta S. Laurentii apud Ruinarum Act. Mart. sincer. p. 164 ed. Veronæ an. 1751, Concilium Arelatense l. can. 15. t. 1 concil. Collect. Labbei col. 1452 ed. Ven., S. Augustinum, qui Silvanum Donatistarum Episcopum, proditorem judicat, quod Imperatoris ministris argenteam lucernam tradidisset. Ep. 55 al. 165 c. 2 n. 4 t. 2 opp. col. 161 ed. Ven. 1759.

36. Sacerdotem sacris operam daturum, non communi, sed peculiari, et magis augusto habitu uti oportere, compertum est; quem ritum, ab Apostolica ætate profectum (1), ad nos Ecclesiæ transmisit, quamquam lapsu temporum aliqua in vestium numero, et forma rerum facta mutatio sit (2). Maxime autem decet, benedictionem primum sacris usibus initiari vestes, quæ sunt ad sacrificium necessariæ (3). Consecrantur etiam, ac benedicuntur vasa, quibus in sacrificio opus est, et in his quidem sacrum chrisma adhibetur (4); præterea benedicuntur lintea, et cuncta altaris instrumenta. Utraque consecratio, et benedictio ad Episcopum pertinet (5).

(1) Quandam Apostoli primum sacrificium confecerint, et nam in eo conficiendo communibus, et quotidianis, an potius certis, et peculiaribus usi sint vestibus, non satis convenit inter eruditos. Illud plane compertum est, eos post Christi mortem per triduum sese à sacrificio abstinuisse; sed queritur, num statim hoc elapso triduo, primum sacrificium obtulerint, an potius illud distulerint ad Pentecosten, qua de re disputant Theophilus Raynaudus de Prima missa sect. 1 c. 2 et 5 opp. t. 6 p. 550 seq. ed. Lugduni 1665, et Cardinalis Bona *Ref. liturgic.* l. 1 c. 5 § 1 t. 1 p. 68 et seq. ed. Taurin. 1747. Verosimilimum est, Apostolos solum post Pentecosten rem di-

vinam fecisse, quod ante illud tempus lex Evangelica nondum satis promulgata fuisset. Confer etiam Salam in Not. ad Bonam l. c., ubi quoque ostenditur, primam Missam non à Jacobo, sed à Petro celebratam fuisse. Magna etiam, uti dicebam, controversia est, num Apostoli peculiaribus induti vestibus rem divinam confecerint. Paulus in II. ad Timoth. IV. 15 memorat *penulam*, quam Troade reliquerat apud Carpum, à quo hospitio exceptus fuerat. Si vera esset sententia illorum, qui *penulam* interpretantur casulam, qua nunc Sacerdotes utuntur, satis quidem ex hoc loco constaret, Apostolos rem divinam conficientes sacra indumenta adhibuisse. Verum Guillelmus Estius in Comment. ad d. Paul. Ep., *penula* nomine veteris testamenti libros comprehendi arbitratur. Contra Josephus Vicecomes *penulam* casulam esse putat. Baronius ad an. 58 n. 67 et 68 t. 1 p. 514 ed. Lucæ, utramque sententiam in medium affert, atque integrum ea de re iudicium cuique relinquit, *sed magis placet, inquit, ut volumen sacræ legis intelligi debeat.* Cardinalis Bona l. c. lib. I. c. 24 §. 8 t. 2 p. 255, magis probare videtur sententiam illorum, qui *penulam* vestimenti genus fuisse censet, ilque etiam late ostendit Robertus Sala in Not. n. 1 p. 257. Eadem est sententia Augustini Calmeti in diet. Histor. sac. script. *penula* t. 2, et Philippi Banaroti in animadvers. ad quæd. vitr. fragmen. figuris distinct. ex ceteris. Roman. effos. tab. 16 fig. 2. Sed quævis de Apostoli *penula* verior opinio habeatur, illud profecto multo probabilius est, non solum viros Apostolicos, sed ipsos etiam Apostolos peculiare, atque à communibus distinctas adhibuisse vestes, cum rem divinam conficiebant. Cathari, quos peculiari opere refutavit Ven. Moneta, et sequioris ætatis hæretici usum sacrarum vestium execrati sunt ad summam impudentiam. At injuria. Nam eas vetustissimas esse ostendunt Bellarminus de Eucharist. l. 6 c. 14, Meratus ad Gavant. Thesaur. sacr. rit. par. 1 in Rubric. general.; Catalanus de Codic. S. Evangel. l. 2 c. 7, et in Prolegomen. ad Pontific. Roman. c. 6, Card. Bona l. 1 c. 5 §. 2, et Sala in Not. n. 1 t. 1 p. 70 et seq. et in Appendic. p. 409 cit. ed., Thomassinus Vet. et nov. Eccles. disciplin. par. 1 l. 2 c. 45, Suassajus Panopl. sacerdot. par. 1 l. 6 de Casula c. 6, Benedictus XIV. de Sacrific. Missæ sect. 1 c. 58 et Inst. 21 n. 4, Georgius de Liturg. Sum. Pontific. l. 1 c. 5 n. 7 etc. 5. Hæc autem sacra indumenta, præsertim post Constantinum, serica, atque auro, argentoque contexta, ut plurimum, fuisse, observat Cardinalis Bona l. 1 c. 24 §. 1 t. 1 p. 211, et antiquissimis quoque temporibus varii coloris erant, uti nunc sunt, quod late ostendit Robertus Sala in Not. ad illum Bonæ locum n. 5 p. 215; ubi etiam refutatur Joannes Dallæus Calvinianus homo, qui illam in sacris vestibus colorum diversitatem *amœnam quidem, sed antiquis Christianis ignotissimam esse*, impudenter affirmat.

(2) Vestes omnes Episcoporum, Sacerdotum, Ministrorum inter ceteros accurate describit Card. Bona l. c. tot. c. 24.

(3) Can. 42 de Consecr. dist. 1; S. Thomas par. 5 qu. 85 art. 5. Licet autem Hospinianus, homo videlicet hæreticus, de Origin. dedicat. c. 5 et 4, hunc sacrum benedictionis ritum tantum sæculo IX. inductum putet, tamen ejus rei sæculo IV. certissima sunt monumenta. Nam, uti narrat Sozomenus Hist. l. 2 c. 26 p. 81 ed. cit., cum Imperator Constantinus regali magnificentia Hierosolymitanum templum ædificasset, *Episcopi Hierosolymam delati Ecclesiam consecrarunt, simulque ornamenta, et donaria ab Imperatore transmissa.*

(4) Cap. unic. §. *Unquitur de Sacr. unct.* De harum vero consecrationum, ac benedictionum antiquitate late agit Dominicus Georgius Liturg. Rom. Pontific. l. 2 c. 14.

(5) Confer Benedictum XIV, Inst. Eccles. inst. 21, ubi etiam agitur de benedictione cinguli, pluvialis, et pyxidis.—*De sacris indumentis etc., ex Hisp. Eccl. disciplina, videsis hujus tom. pagg. 70—1.*

37. Pertinent etiam ad Ecclesias campanæ (1), seu tintinnabula, per quæ populus ad templum vocatur, atque ad fundendas preces excitatur. Antiquissimus est campanarum usus (2), atque earum etiam benedictio sane per vetus est (3). Spectat hæc benedictio ad Episcopum, qui eam expedit certis quibusdam ritibus in Pontificali descriptis; campanæ autem, cum benedicitur, aliquid Sancti nomen imponitur, sive ut ea quasi ejus tutelæ commendetur, sive ut populus quodammodo cœlitum voce ad templum vocari videatur (4).

(1) Campanæ nomen grandioribus tintinnabulis, circa finem sæculi VII impositum fuisse suspicatur Card. Bona Rer. liturgic. l. 1 c. 22 §. 6. p. 155 t. 2, ac deinceps octavo, nonoque sæculo ab omnibus passim usurpatum affirmat. Sed ipsum campanæ vocabulum hæc ætate antiquius faciunt Martenius de Antiq. eccles. ritib. l. 4 c. 2 §. 11 p. 6 t. 5 ed. Antwerp. seu Ven. 1764, et Pagius Brev. gest. Pontific. in vit. Sabiniani P. n. 2 Antequam vero tintinnabula adhiberi cœpissent, Christiani ad templum vocabantur per tubam, aut tabulas ligneas; id quod pacatis tantum Ecclesiæ rebus fieri potuit. Nam ethnicis dominantibus, credibile est, Christianos secreto movitos per Diaconum, aut per alium ab Episcopo designatum virum, ut ad Ecclesias convenirent. Cuncta hæc late explicant Martenius l. c. §. 7 et seq. r. 5; Bona similiter l. c. §. 4 et seq. p. 126 et seq., ibique Sala in Not. n. 2 p. 127; Baronius ad an. 58 n. 105 t. 1 p. 527 ed. Lucæ.

De Campanæ nomine hæc habet A. A. Pellicia « De Christ. Eccl. Politia, » lib. 2, sect. 2, cap. 1: nempe: « Una equidem quæ *campanas* inter et *tintinnabula* interesse videtur differentia, non tantum magnitudinæ, sed officio censenda mihi videtur: tintinnabula enim ex lamina constant malleo diducta, atque compacta; *campanæ* vero appellari cœperunt tintinnabula grandiora, ære fusa, quæ eandem ceteroqui cum tintinnabulis formam habuerunt. Memini enim me vidisse antiquam quandam campanam, quæ olim Monachis quibusdam S. Benedicti usui fuerat, et nunc in quadam tintinnabuli forma æe latum quidem unguem distat. Hinc cum forte in Campania primo obtinuerit usus hujus fusilis tintinnabuli, ea de re illi *campanæ* nomen exinde fuit; ac forsitan Nolæ, antiquæ Campani agri urbi, inventum illud tribuendum erit, cum non solum *Campanæ*, sed *Nolæ* nomine fusa tintinnabula donata fuerint medio ævo. »

(2) Angelus Roëcha, de Campan. c. 1, originem campanarum repetit à S. Hieronymo; quoniam earum mentio est in *regula Monacharum*, quæ Hieronymi nomine circumfertur. Verum hanc regulam Hieronymi revera non esse, inter eruditos constat; sed eam ex illius scriptis compositam à Lupo Olivetano, et à Martino V Pontifice post an. 1417 approbatam, scribit Guillelmus Caveus de Script. Ecclesiast. in Hieronymo. Multi sunt, qui tintinnabuli usum tribuunt S. Paulino Nolano Episcopo, qui medio sæculo V vita functus est; verum cum Paulinus Ep. 52 ad Sever. col. 194 seq. ed. Veronæ,

in qua diligenter Ecclesiam ab se ædificatam, ac singulas ejus partes describit, nihil de tintinnabulis, aut de turri dicat, non obscurum inde educitur argumentum, ipsum revera tintinnabula non adhibuisse, sicuti animadvertunt Theophilus Raynaudus t. 15 punct. 7 p. 411 ed. Lugduni 1665, et Card. Bona l. c. §. 5 p. 150 Polydorus Virgilius de Invent. rer. l. 6, Onuphrius Panvinius in Ep. de Roman. Pontif. l. 1 n. 71, Diaconius, alique complures tintinnabuli usum referunt ad Sabinianum Pontificem, qui initio sæculi VII Pontificatu maximo functus est; sed cum Anastasius in Sabiniani vita nullam ejus rei mentionem faciat, plane non intelligitur, quomodo hæc opinio probari possit. Illud dici potest, sæculo VI in Ecclesia Occidentali campanarum usum fuisse receptum, quoniam in vita S. Columbæ primi Abbatis Hyensis, qui obiit an. 599, quam vitam edidit Mabillonius sæc. 1 Benedictin. p. 549 t. 1 ed. cit. scriptum est c. 22, eum *media nocte, pulsante campana*, ad Ecclesiam ivisse, et cap. 25 traditur illum *quadam die ministro suo campanam subito pulsare præcepisse, cujus sonitu Fratres excitati Ecclesiam prolinus sunt ingressi*. Confer Martenium et Pagium l. c.

(5) Baronius ad an. 968 n. 95 t. 16 p. 192 ed. Lucæ tradit, Joannem XIII campanarum benedictionem tribuisse, eamque consecrasse, antequam in turri Lateranensis Ecclesiæ collocaretur, *qui ritus, inquit, in Ecclesia perseveravit*. Verum Capitularia Caroli Magni, quæ ducentis fere annis Joannis XIII ætate antiquiora sunt, an. 789 c. 5 n. 18 apud Baluzium t. 1 col. 178 ed. Ven. cit., campanarum benedictionem memorant; atque in libris Ritualibus Joanne antiquioribus, expresse describitur campanarum benedictio, ut ostendit Hugo Menardus in Not. ad Sacrament. S. Gregor. not. 587 opp. S. Gregor. t. 5 col. 458 ed. Paris. Ex quibus manifestum est, campanarum benedictionem non ab Joanne XIII esse repetendam, sed multo vetustiore esse. Consule Bonam, Rer. liturgic. l. 4 c. 22 §. 7, ibique Salam in Not. n. 1 p. 157 et seq. t. 2; Pagium in Brev. Roman. Pontif. in vit. Joan. XIII, n. 12 t. 2; Roccham de Campanis c. 6 §. de Campan. consec. ; Theophilum Raynaudum Heteroclit. spiritual. opp. t. 16 sect. 2 punct. 9 p. 245 ed. Lugduni 1665; Martenium de Antiq. eccles. rit. l. 2 c. 21 t. 2 p. 296 et seq. ed. cit. Campanarum autem benedictio *Baptismus* dicitur; quod vocabulum non adoptavit Ecclesia, sed tantum tolerat, ut aliorum fidei, ac simplicitati indulgeat. Quod Baptismi nomen ex eo profectum est, quod populus in campanarum benedictione aquam adhiberi, nomenque imponi videat, aliæque fieri, quæ in administrando Baptismo fiunt, sicuti observat Du-Cangius Glossar. med. et infim. latin. verb. *Campana*. Sed minus proprie baptismi vocabulum eum benedictione confunditur, eo fere modo, quo Ivo, par. 2 Serm. 4 de Sac. dedic. p. 269 ed. Paris. 1647, *baptizari* dixit Ecclesiam, quæ proprie consecratur. Quare se deridendos præbent hæretici, cum in Catholicis vitio vertunt, quasi ipsi verum Baptismum campanis conferri arbitrentur. Confer Du-Cangium l. c.; Cocceum t. 24. 5 art. 6; Durantum de Sac. Eccles. rit. l. 4 c. 22 n. 6; Suarezium l. 2 Defens. c. 16; Gretserum l. 2 de Bened. c. 45 et 46; Del-Rio Disquisit. magic. l. 6 c. 2 sect. 5 in fin.; Card. Hosium l. 5 contr. Brentium. Et certe in vetusto Ordine, atque in Pontificali Romano, cunctisque libris ritualibus Ecclesiarum, quos Thiersius de Superstition. l. 2 c. 7 diligenter collegit, numquam *Baptismi*, sed *benedictionis* nomine campanarum consecratio appellatur.

(4) Videndus P. Petra-Sancta de Rit. eccles. catholic. l. 2; Martinius Del-Rio, Disquisit. magic. l. 6 c. 2 sect. 4 qu. 4; Pouget Instit. Catholic. t. 2 c. 8 §. 6 p. 905 ed. Paris. 1725.

TITULUS VIII.

DE RELIQUIIS ET VENERATIONE SANCTORUM.

I. INTERCESSIO SANCTORUM.—2. SACRARUM RELIQUIARUM VENERATIO.

1.

**S**ACRÆ res sunt etiam Reliquiæ Sanctorum, quibus honorem, et reverentiam haberi jubet Ecclesia, quoniam illorum ope, ac precibus multa homines à Deo beneficia consequuntur. Quare bonum, atque utile est eos suppliciter invocare, atque ob beneficia impetranda à Deo per ejus filium Christum Dominum, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere, et honoranda sunt monumenta illorum, quos in cælis cum Christo regnare scimus (1).

(1) Concilium Tridentinum sess. 25 in Decret. de *Invocat. venerat. et reliq. Sanctor. et sac. imagin.*

2. Sacrarum reliquiarum veneratio ab ipsis Ecclesiæ primordiis est repetenda (1). Sæpe enim sacræ reliquiæ causa erant Ecclesiæ dedicandæ (2), sæpe altaria super Sanctorum corpora erigebantur (3), et iis imponebantur reliquiæ thecis inclusæ (4), easque fideles ad os, oculos, ceterosque sensus admovebant, et osculabantur (5). Sed præsertim antiquissima, et ubique recepta consuetudo fuit, ut martyrum reliquiæ in Ecclesiarum consecratione adhibeantur (6). Eosdem nunc retinet Ecclesia venerationis justæ ritus; sed nullæ colendæ sunt novæ reliquiæ, nisi à Sede Apostolica approbatæ fuerint (7).

(1) Mortuo Polycarpo, uti constat ex ejus actis apud Eusebium Histor. l. 4 c. 15 p. 171 ed. Cantabrig. cit. urgebant Judæi, ut ejus corpus combureretur, ne Christiani ejus reliquias auferrent, ac venerarentur. Addit Auctor eorumdem actorum, post narratum Polycarpi martyrium: *Atque ita nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis cariora, et quovis auro puriora colligentes, tollentes, ubi decebat, deposuimus. Quo etiam in loco, nobis, si fieri poterit, convenientibus, in exultatione, et gaudio, præbebit Dominus natalem martyrii ejusdem cum hilaritate, et gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt; tum ad posterum hujusmodi exemplo erudiendos, et confirmandos. Ex quo intelligitur, qui cultus esset, quem Christiani Martyribus initio ipso Ecclesiæ præbebant. Nimirum eorum reliquias colebant, tam splendide eas colligebant, ac si aurum purissimum, aut pretiosissimæ gemmæ fuissent; decore loco ponebant;*

in qua diligenter Ecclesiam ab se ædificatam, ac singulas ejus partes describit, nihil de tintinnabulis, aut de turri dicat, non obscurum inde educitur argumentum, ipsum revera tintinnabula non adhibuisse, sicuti animadvertunt Theophilus Raynaudus t. 15 punct. 7 p. 411 ed. Lugduni 1665, et Card. Bona l. c. §. 5 p. 150 Polydorus Virgilius de Invent. rer. l. 6, Onuphrius Panvinius in Ep. de Roman. Pontif. l. 1 n. 71, Diaconius, alique complures tintinnabuli usum referunt ad Sabinianum Pontificem, qui initio sæculi VII Pontificatu maximo functus est; sed cum Anastasius in Sabiniani vita nullam ejus rei mentionem faciat, plane non intelligitur, quomodo hæc opinio probari possit. Illud dici potest, sæculo VI in Ecclesia Occidentali campanarum usum fuisse receptum, quoniam in vita S. Columbæ primi Abbatis Hyensis, qui obiit an. 599, quam vitam edidit Mabillonius sæc. 1 Benedictin. p. 549 t. 1 ed. cit. scriptum est c. 22, eum *media nocte, pulsante campana*, ad Ecclesiam ivisse, et cap. 25 traditur illum *quadam die ministro suo campanam subito pulsare præcepisse, cujus sonitu Fratres excitati Ecclesiam prolinus sunt ingressi*. Confer Martenium et Pagium l. c.

(5) Baronius ad an. 968 n. 95 t. 16 p. 192 ed. Lucæ tradit, Joannem XIII campanarum benedictionem tribuisse, eamque consecrasse, antequam in turri Lateranensis Ecclesiæ collocaretur, *qui ritus, inquit, in Ecclesia perseveravit*. Verum Capitularia Caroli Magni, quæ ducentis fere annis Joannis XIII ætate antiquiora sunt, an. 789 c. 5 n. 18 apud Baluzium t. 1 col. 178 ed. Ven. cit., campanarum benedictionem memorant; atque in libris Ritualibus Joanne antiquioribus, expresse describitur campanarum benedictio, ut ostendit Hugo Menardus in Not. ad Sacrament. S. Gregor. not. 587 opp. S. Gregor. t. 5 col. 458 ed. Paris. Ex quibus manifestum est, campanarum benedictionem non ab Joanne XIII esse repetendam, sed multo vetustiore esse. Consule Bonam, Rer. liturgic. l. 1 c. 22 §. 7, ibique Salam in Not. n. 1 p. 157 et seq. t. 2; Pagium in Brev. Roman. Pontif. in vit. Joan. XIII, n. 12 t. 2; Roccham de Campanis c. 6 §. de Campan. consec. ; Theophilum Raynaudum Heteroclit. spiritual. opp. t. 16 sect. 2 punct. 9 p. 245 ed. Lugduni 1665; Martenium de Antiq. eccles. rit. l. 2 c. 21 t. 2 p. 296 et seq. ed. cit. Campanarum autem benedictio *Baptismus* dicitur; quod vocabulum non adoptavit Ecclesia, sed tantum tolerat, ut aliorum fidei, ac simplicitati indulgeat. Quod Baptismi nomen ex eo profectum est, quod populus in campanarum benedictione aquam adhiberi, nomenque imponi videat, aliæque fieri, quæ in administrando Baptismo fiunt, sicuti observat Du-Cangius Glossar. med. et infim. latin. verb. *Campana*. Sed minus proprie baptismi vocabulum eum benedictione confunditur, eo fere modo, quo Ivo, par. 2 Serm. 4 de Sacr. dedic. p. 269 ed. Paris. 1647, *baptizari* dixit Ecclesiam, quæ proprie consecratur. Quare se deridendos præbent hæretici, cum in Catholicis vitio vertunt, quasi ipsi verum Baptismum campanis conferri arbitrentur. Confer Du-Cangium l. c.; Cocceum t. 24. 5 art. 6; Durantum de Sacr. Eccles. rit. l. 1 c. 22 n. 6; Suarezium l. 2 Defens. c. 16; Gretserum l. 2 de Bened. c. 45 et 46; Del-Rio Disquisit. magic. l. 6 c. 2 sect. 5 in fin.; Card. Hosium l. 5 contr. Brentium. Et certe in vetusto Ordine, atque in Pontificali Romano, cunctisque libris ritualibus Ecclesiarum, quos Thiersius de Superstition. l. 2 c. 7 diligenter collegit, numquam *Baptismi*, sed *benedictionis* nomine campanarum consecratio appellatur.

(4) Videndus P. Petra-Sancta de Rit. eccles. catholic. l. 2; Martinus Del-Rio, Disquisit. magic. l. 6 c. 2 sect. 4 qu. 4; Pouget Instit. Catholic. t. 2 c. 8 §. 6 p. 905 ed. Paris. 1725.

TITULUS VIII.

DE RELIQUIIS ET VENERATIONE SANCTORUM.

I. INTERCESSIO SANCTORUM.—2. SACRARUM RELIQUIARUM VENERATIO.

1.

**S**ACRÆ res sunt etiam Reliquiæ Sanctorum, quibus honorem, et reverentiam haberi jubet Ecclesia, quoniam illorum ope, ac precibus multa homines à Deo beneficia consequuntur. Quare bonum, atque utile est eos suppliciter invocare, atque ob beneficia impetranda à Deo per ejus filium Christum Dominum, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere, et honoranda sunt monumenta illorum, quos in cælis cum Christo regnare scimus (1).

(1) Concilium Tridentinum sess. 25 in Decret. de *Invocat. venerat. et reliq. Sanctor. et sac. imagin.*

2. Sacrarum reliquiarum veneratio ab ipsis Ecclesiæ primordiis est repetenda (1). Sæpe enim sacræ reliquiæ causa erant Ecclesiæ dedicandæ (2), sæpe altaria super Sanctorum corpora erigebantur (3), et iis imponebantur reliquiæ thecis inclusæ (4), easque fideles ad os, oculos, ceterosque sensus admovebant, et osculabantur (5). Sed præsertim antiquissima, et ubique recepta consuetudo fuit, ut martyrum reliquiæ in Ecclesiarum consecratione adhibeantur (6). Eosdem nunc retinet Ecclesia venerationis justæ ritus; sed nullæ colendæ sunt novæ reliquiæ, nisi à Sede Apostolica approbatæ fuerint (7).

(1) Mortuo Polycarpo, uti constat ex ejus actis apud Eusebium Histor. l. 4 c. 15 p. 171 ed. Cantabrig. cit. urgebant Judæi, ut ejus corpus combureretur, ne Christiani ejus reliquias auferrent, ac venerarentur. Addit Auctor eorumdem actorum, post narratum Polycarpi martyrium: *Atque ita nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis cariora, et quovis auro puriora colligentes, tollentes, ubi decebat, deposuimus. Quo etiam in loco, nobis, si fieri poterit, convenientibus, in exultatione, et gaudio, præbebit Dominus natalem martyrii ejusdem cum hilaritate, et gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt; tum ad posterum hujusmodi exemplo erudiendos, et confirmandos. Ex quo intelligitur, qui cultus esset, quem Christiani Martyribus initio ipso Ecclesiæ præbebant. Nimirum eorum reliquias colebant, tam splendide eas colligebant, ac si aurum purissimum, aut pretiosissimæ gemmæ fuissent; decore loco ponebant;*

ibique cum gaudio anniversarium martyrii diem celebrabant. Atque illud his solemnitatibus erat eis propositum, non tantum ad Sanctorum memoriam colerent, verum etiam ut fideles exempla ad imitandum haberent. Eadem nunc est, quæ semper fuit, Ecclesiæ mens, cum Sanctorum cultum, venerationemque proponit. Hujus quoque venerationis in sacras reliquias illustria sunt monumenta in actis S. Cypriani, in ejus vita à Pontio Diacono conscripta, et apud Cyprianum ipsum. Hic enim Ep. 6 p. 176 ed. Amstelæd. 1700, declarat lætitiâ incredibilem, qua perfunderetur, si amplecti posset martyrum corpora, et eorum ora osculari. Præclara etiam sunt acta martyrii ipsius Cypriani, quæ extant ante opera ipsius Cypriani p. 15 ed. Amstæd 1700, et ex quibus constat, fideles ante cum linteamina misisse, ne ejus cruor defluens à terra absorberetur. Denique Pontius Diaconus, qui ejus vitam conscripsit, narrat, quendam Cypriano suas obtulisse vestes, cum ipse multo sudore madidas sederet, ut illas commutaret; *qui videlicet, inquit Pontius in ejus vit. opp. Cyprian. p. 10 ed. cit., nihil aliud in rebus oblati ambiebat, quam ut proficiscentis ad Deum Martyris sudores jam sanguineos possideret.* Late sacrarum reliquiarum venerationem tuentur, et laudant Ecclesiæ Patres; atque inter ceteros Augustinus de Civit. Dei l. 8 c. 27 t. 7 col. 217 ed. Ven. cit., Hieronymus contra Vigilantium n. 5 t. 2 col. 591 ed. Neuron., Isidorus Pelusiota contra Hieracem l. 1 ep. 55 p. 47 ed. Paris. 1638, Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 18 p. 295 ed. cit. ostendunt, quam merito, quam recte, quam catholice fideles Sanctorum reliquias venerentur. Quinimo ipsa reliquiarum conditoria Majores nostri summa reverentia prosequuntur, et illorum contactum esse credebant *sanctificationem ac benedictionem*, ut inquit Gregorius Nyssenus Orat. in S. Theodoret. opp. t. 2 p. 1012 ed. Paris. 1615, quod etiam testatur Chrysostomus Orat. de S. Ignat. n. 5 p. 600 et seq. t. 2 ed. Paris. Curabant autem potissimum, ut essent ornata eleganter, atque magnifice conditoria, quæ reliquias continebant. Serico enim opere, aut argenteo, aut aureo sæpe conficiebantur, quo spectat Prudentius Hymn. 5 de S. Eulalia p. 244 vers. 195 seq. ed. Paris. 1687. Et reliquias, quas thecis inclusas, colloque appensas christiani gestabant, memorat Gregorius Turonensis de Glor. martyr. c. 85 et 84 p. 816, 817 ed. indic. Chrysostomus vero tantam sua ætate fuisse indicat sepulcrorum martyrum magnificentiam, ut ea ipsis Principum palatiis anteferre non dubitaverit Hom. 26 in Ep. 2 ad Corinth. n. 5 opp. t. 10 p. 625 ed. Paris. cit. Facile hinc intelligitur, quam absurdus sit, ac semper ab Ecclesia refutatus error Vigilantium, Ennomii, Eustathii, et aliorum, quos imitati sunt recentiores hæretici Zuinglius, Calvinus, Lutherus, ac ceteri similes, qui sacrarum reliquiarum venerationem improbant, ac superstitiosam ducunt. Hottingerus præsertim, Dallæus, Medus, Juræus, Basnagius, omnes ex grege hæreticorum homines, multa absurda, falsa, plenaque impudentiæ scripserunt adversus venerationem sacrarum reliquiarum; sed eos copiose refutant, et catholicam veritatem tuentur Natalis Alexander Histor. eccles. sæc. 5 diss. 25 t. 5 p. 511 ed. cit. Card. Gottus Ver. Christ. eccles. t. 2 par. 2 art. 45 t. 16 Theolog. qu. 7 de cult. Sancto. dub. 4 et verit. Relig. Christ. c. 50 §. 2 n. 11 t. 7. Ludovicius Rusca Jud. eccles. confirm. t. 3 c. 5 art. 8 p. 410. Bossuetus Histor. Variat. Eccles. Protest. t. 5 l. 45 n. 25 et seq.

(2) Consule Augustinum contr. Faust. Manich. l. 20 c. 21 opp. t. 8 col. 347 ed. cit. Gregorium M. l. 8 Ep. 4 l. 9 Ep. 25 opp. t. 2 col. 897 et 947 et l. 1. Dialog. c. 10 eod. t. 2 col. 195 ed. Paris. 1705. Sozomenum Histor. l. 5 c. 9 p. 492 et l. 8 c. 19 p. 551 ed. Valesii Cantabrig. 1720.

(3) Augustinus, seu potius Auctor Serm. 221 de Sanct. seu 4 de Innocent.

in App. t. 5 col. 565 et in Apocal. Hom. 6 col. 1150 t. 5 par. 2. Ambrosius Ep. 22 ad Marcellin. n. 1 col. 927 et Exhortat. Virgin. c. 2 n. 40 col. 548 t. 5 ed. cit. Paulinus Poem. 19 et 26 p. 471 et 637 ed. Veron. Id autem à Felice I. Summo Pontifice, constitutum tradit Anastasius in ejus vit. *ut supra sepulcra aut memorias martyrum Missæ celebrarentur.* Verum Baronius ad an. 275 n. 2 t. 5 p. 192 ed. Luc., Felicis ætate antiquiorem esse inquit, quam sententiam præ cæteris sequuntur Bollandistæ act. SS. April. t. 1 p. 23, et Tillemontius Histor. eccles. t. 4 p. 564 ed. Paris. 1696.

(4) Leo IV Homil. ad Presbyter. et Diacon. apud Labbæum concil. t. 8 p. 55 ed. Ven. RATHERIUS Orat. Synodic. ad Presbyter. n. 6 col. 414 ed. Veron. 1765. Reliquiarum aut ex cruce penduntium, aut super altaribus impostarum, antiqua monumenta habes etiam apud Martenium de antiq. monac. rit. l. 5 c. 14 §. 56 c. 15 §. 5 et l. 4 c. 1 t. 4 p. 158, 141 et 178 ed. cit. In Regula S. Benedicti c. 58 apud Holstenium cod. Reg. t. 1 p. 131 ed. Aug. Vindelic. 1759, memorantur reliquie in oratoriis Monachorum.

(5) Dignus est, qui describatur, S. Gregorii Nysseni locus Orat. de S. Theodor. p. 1012 opp. t. 2 ed. cit. *Nam ipsas attingere reliquias, inquit, si quando aliqua ejusmodi prospera fortuna contingat, ut id facere liceat, quam optabile sit, et summis votis expetitur minus, norunt quicumque sunt experti, et hoc suo desiderio potiti sunt. Illi enim tamquam vivum suum corpus, et florens videntes, osculantur, et ad oculos, ad os, ad aures, ad omnes sensus admovent.*

(6) S. Ambrosius Ep. 22 ad Marcellin. §. 9 col. 950 t. 5 opp. ed. cit. Evagrius Histor. l. 6 c. 16 p. 271 ed. Cantabrig. 1720. S. Paulinus Ep. 51 ad Sever. col. 489 ed. Veron. cit. Consule Joannem Ferrandum Disquisit. reliquiar. l. 1 c. 5 sect. 2; et Dominicum Georgium de Liturg. Roman. Pontific. l. 5 c. 9 n. 9 et seq.

(7) Cap. 1 et 2 de Reliq. et venerat. SS.

(N. S. Trid. Syn., Ses. 25, Decret. de invocat. et vener. Sanct., constituit quod, « in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, et Imaginum sacro usu... omnis turpis questus eliminetur. » Et Syn. Valent Sess. 4 Tit. 5 cap. 3 alias 10, « Sacri Tridentini Concilii decreto *insistens*, præcipit, sub excommunicationis pœna, ne in Templis, etiam Monasteriis, Reliquiæ Sanctorum extra ipsum Altare educantur in locum, ubi ad questum populo sint propositæ. Quod si aliqui, etiam Regulares, devotionis gratia eas ad infirmos detulerint, quod facere non debent nisi vocati, nihil eis dare, neque ipsis ob id, intuitu etiam elemosynæ, aliquid recipere, sub eadem excommunicationis pœna, liceat. »

Demum Imagines ridiculo, superstitioso, et inhonesto habitu, præsertim Deiparæ Virginis, ejusque Divini pueri Jesus, Sanct. Angelorum, S. Mariæ Magdalenæ, et S. Sebastiani etc., minime depingendæ, nec in templis publicæ fidelium venerationi exponendæ, neque ullæ unquam sine Ordinarii licentia: Trid. Sess. 25 Decr. de Invocat. SS. Qua de re Syn. Compost. Act. 2 Decr. 5 ita constituit: « Sacrarum Imaginum legitimum usum sic Episcopi observari præcipiant, ut ea, quæ in Saero Tridentino Concilio sic et sancte præcepta sunt, custodiantur. Quare his tantum velaminum, ac vestium ornatus Imaginibus adponatur, qui ab Episcopo, vel ejus Vicario visus, et adprobatus fuerit. Immo neque absque ipsius Ordinarii licentia miraculorum notæ ad Altare palam adpendendæ sunt: Trid. *ibid.* »

ibique cum gaudio anniversarium martyrii diem celebrabant. Atque illud his solemnitatibus erat eis propositum, non tantum ad Sanctorum memoriam colerent, verum etiam ut fideles exempla ad imitandum haberent. Eadem nunc est, quæ semper fuit, Ecclesiæ mens, cum Sanctorum cultum, venerationemque proponit. Hujus quoque venerationis in sacras reliquias illustria sunt monumenta in actis S. Cypriani, in ejus vita à Pontio Diacono conscripta, et apud Cyprianum ipsum. Hic enim Ep. 6 p. 176 ed. Amstelæd. 1700, declarat lætitiâ incredibilem, qua perfunderetur, si amplecti posset martyrum corpora, et eorum ora osculari. Præclara etiam sunt acta martyrii ipsius Cypriani, quæ extant ante opera ipsius Cypriani p. 45 ed. Amstæd 1700, et ex quibus constat, fideles ante cum linteamina misisse, ne ejus cruor defluens à terra absorberetur. Denique Pontius Diaconus, qui ejus vitam conscripsit, narrat, quendam Cypriano suas obtulisse vestes, cum ipse multo sudore madidas sederet, ut illas commutaret; *qui videlicet, inquit Pontius in ejus vit. opp. Cyprian. p. 10 ed. cit., nihil aliud in rebus oblati ambiebat, quam ut proficiscentis ad Deum Martyris sudores jam sanguineos possideret.* Late sacrarum reliquiarum venerationem tuentur, et laudant Ecclesiæ Patres; atque inter ceteros Augustinus de Civit. Dei l. 8 c. 27 t. 7 col. 217 ed. Ven. cit., Hieronymus contra Vigilantium n. 5 t. 2 col. 591 ed. Neuron., Isidorus Pelusiota contra Hieracem l. 1 ep. 55 p. 47 ed. Paris. 1638, Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 18 p. 295 ed. cit. ostendunt, quam merito, quam recte, quam catholice fideles Sanctorum reliquias venerentur. Quinimo ipsa reliquiarum conditoria Majores nostri summa reverentia prosequuntur, et illorum contactum esse credebant *sanctificationem ac benedictionem*, ut inquit Gregorius Nyssenus Orat. in S. Theodoret. opp. t. 2 p. 1012 ed. Paris. 1615, quod etiam testatur Chrysostomus Orat. de S. Ignat. n. 5 p. 600 et seq. t. 2 ed. Paris. Curabant autem potissimum, ut essent ornata eleganter, atque magnifice conditoria, quæ reliquias continebant. Serico enim opere, aut argenteo, aut aureo sæpe conficiebantur, quo spectat Prudentius Hymn. 5 de S. Eulalia p. 244 vers. 195 seq. ed. Paris. 1687. Et reliquias, quas thecis inclusas, colloque appensas christiani gestabant, memorat Gregorius Turonensis de Glor. martyr. c. 85 et 84 p. 816, 817 ed. indic. Chrysostomus vero tantam sua ætate fuisse indicat sepulcrorum martyrum magnificentiam, ut ea ipsis Principum palatiis anteferre non dubitaverit Hom. 26 in Ep. 2 ad Corinth. n. 5 opp. t. 10 p. 625 ed. Paris. cit. Facile hinc intelligitur, quam absurdus sit, ac semper ab Ecclesia refutatus error Vigilantium, Ennomii, Eustathii, et aliorum, quos imitati sunt recentiores hæretici Zuinglius, Calvinus, Lutherus, ac ceteri similes, qui sacrarum reliquiarum venerationem improbant, ac superstitiosam ducunt. Hottingerus præsertim, Dallæus, Medus, Juræus, Basnagius, omnes ex grege hæreticorum homines, multa absurda, falsa, plenaque impudentiæ scripserunt adversus venerationem sacrarum reliquiarum; sed eos copiose refutant, et catholicam veritatem tuentur Natalis Alexander Histor. eccles. sæc. 5 diss. 25 t. 5 p. 511 ed. cit. Card. Gottus Ver. Christ. eccles. t. 2 par. 2 art. 45 t. 16 Theolog. qu. 7 de cult. Sancto. dub. 4 et verit. Relig. Christ. c. 50 §. 2 n. 11 t. 7. Ludovicus Rusca Jud. eccles. confirm. t. 5 c. 5 art. 8 p. 410. Bossuetus Histor. Variat. Eccles. Protest. t. 5 l. 45 n. 25 et seq.

(2) Consule Augustinum contr. Faust. Manich. l. 20 c. 21 opp. t. 8 col. 347 ed. cit. Gregorium M. l. 8 Ep. 4 l. 9 Ep. 25 opp. t. 2 col. 897 et 947 et l. 1. Dialog. c. 10 eod. t. 2 col. 195 ed. Paris. 1705. Sozomenum Histor. l. 5 c. 9 p. 492 et l. 8 c. 19 p. 551 ed. Valesii Cantabrig. 1720.

(3) Augustinus, seu potius Auctor Serm. 221 de Sanct. seu 4 de Innocent.

in App. t. 5 col. 565 et in Apocal. Hom. 6 col. 1150 t. 5 par. 2. Ambrosius Ep. 22 ad Marcellin. n. 1 col. 927 et Exhortat. Virgin. c. 2 n. 40 col. 548 t. 5 ed. cit. Paulinus Poem. 19 et 26 p. 471 et 637 ed. Veron. Id autem à Felice I. Summo Pontifice, constitutum tradit Anastasius in ejus vit. *ut supra sepulcra aut memorias martyrum Missæ celebrarentur.* Verum Baronius ad an. 275 n. 2 t. 5 p. 192 ed. Luc., Felicis ætate antiquiorem esse inquit, quam sententiam præ cæteris sequuntur Bollandistæ act. SS. April. t. 1 p. 23, et Tillemontius Histor. eccles. t. 4 p. 564 ed. Paris. 1696.

(4) Leo IV Homil. ad Presbyter. et Diacon. apud Labbæum concil. t. 8 p. 55 ed. Ven. Ratherius Orat. Synodic. ad Presbyter. n. 6 col. 414 ed. Veron. 1765. Reliquiarum aut ex cruce penduntium, aut super altaribus impostarum, antiqua monumenta habes etiam apud Martenium de antiq. monac. rit. l. 5 c. 14 §. 56 c. 15 §. 5 et l. 4 c. 1 t. 4 p. 158, 141 et 178 ed. cit. In Regula S. Benedicti c. 58 apud Holstenium cod. Reg. t. 1 p. 131 ed. Aug. Vindelic. 1759, memorantur reliquiae in oratoriis Monachorum.

(5) Dignus est, qui describatur, S. Gregorii Nysseni locus Orat. de S. Theodor. p. 1012 opp. t. 2 ed. cit. *Nam ipsas attingere reliquias, inquit, si quando aliqua ejusmodi prospera fortuna contingat, ut id facere liceat, quam optabile sit, et summis votis expetitur minus, norunt quicumque sunt experti, et hoc suo desiderio potiti sunt. Illi enim tamquam vivum suum corpus, et florens videntes, osculantur, et ad oculos, ad os, ad aures, ad omnes sensus admovent.*

(6) S. Ambrosius Ep. 22 ad Marcellin. §. 9 col. 950 t. 5 opp. ed. cit. Evagrius Histor. l. 6 c. 16 p. 271 ed. Cantabrig. 1720. S. Paulinus Ep. 51 ad Sever. col. 489 ed. Veron. cit. Consule Joannem Ferrandum Disquisit. reliquiar. l. 1 c. 5 sect. 2; et Dominicum Georgium de Liturg. Roman. Pontific. l. 5 c. 9 n. 9 et seq.

(7) Cap. 1 et 2 de Reliq. et venerat. SS.

(N. S. Trid. Syn., Ses. 25, Decret. de invocat. et vener. Sanct., constituit quod, « in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, et Imaginum sacro usu... omnis turpis questus eliminetur. » Et Syn. Valent Sess. 4 Tit. 5 cap. 3 alias 10, « Sacri Tridentini Concilii decreto *insistens*, præcipit, sub excommunicationis pœna, ne in Templis, etiam Monasteriis, Reliquiæ Sanctorum extra ipsum Altare educantur in locum, ubi ad questum populo sint propositæ. Quod si aliqui, etiam Regulares, devotionis gratia eas ad infirmos detulerint, quod facere non debent nisi vocati, nihil eis dare, neque ipsis ob id, intuitu etiam elemosynæ, aliquid recipere, sub eadem excommunicationis pœna, liceat. »

Demum Imagines ridiculo, superstitioso, et inhonesto habitu, præsertim Deiparæ Virginis, ejusque Divini pueri Jesus, Sanct. Angelorum, S. Mariæ Magdalenaë, et S. Sebastiani etc., minime depingendæ, nec in templis publicæ fidelium venerationi exponendæ, neque ullæ unquam sine Ordinarii licentia: Trid. Sess. 25 Decr. de Invocat. SS. Qua de re Syn. Compost. Act. 2 Decr. 5 ita constituit: « Sacrarum Imaginum legitimum usum sic Episcopi observari præcipiant, ut ea, quæ in Saero Tridentino Concilio sic et sancte præcepta sunt, custodiantur. Quare his tantum velaminum, ac vestium ornatus Imaginibus adponatur, qui ab Episcopo, vel ejus Vicario visus, et adprobatus fuerit. Immo neque absque ipsius Ordinarii licentia miraculorum notæ ad Altare palam adpendendæ sunt: Trid. *ibid.* »

TITULUS IX.

DE SEPULTURIS.

1. CEMETERIUM UNDE DICTUM?—2. FIDELIUM CADAVERA PRIMUM EXTRA ECCLESIAM, POSTMODUM IN ECCLÉSIA, SEPULTA.—3. CEMETERIA, LOCA RELIGIOSA.—4. SEPULTURÆ ELECTIO.—5. SEPULTURA GENTILITIA, ET PAROCHIALIS.—6. JUS PAROCHI IN DEFERENDIS CADAVERIBUS AD SEPULTURAM.—7. JURA FUNERIS.—8. QUARTA FUNEBARIA.—9. QUIBUS ECCLESIASTICA SEPULTURA DENEGETUR?

**L**oca sepeliendis Christianorum cadaveribus destinata, jam inde ab antiquis Ecclesiæ temporibus appellata sunt cœmeteria, quasi fidelium corpora jacerent in loco dormitionis, unde Christo adveniente excitarentur (1). Loca hæc initio erant extra mœnia civitatis, cum Romanæ leges, quibus etiam Christiani paruerant (2), ubi nihil in iis inerat, quod eorum Religioni adversaretur, neminem intra Urbem sepeliri permitterent (3).

(1) Apostolus, I. ad Thessal. IV, 12, *nolumus, inquit, vos ignorare fratres de dormientibus: quem in locum inquit Hieronymus Ep. 75 n. 4 opp. t. 1 col. 448 ed. Veron. cit. Unde et beatus Apostolus vetat de dormientibus contristari, ut quos dormire novimus, suscitari posse credamus.*

(2) S. Joannes Chrysostomus Hom. de Fide et lege naturæ opp. t. 4 n. 2 p. 829 Hom. 57 at 58 in Matth. n. 5 p. 424 t. 7 et Exposit. Psalm. 5 n. 5 p. 56 t. 5 ed. Paris., l. 6 cod. Theod. de Sepulcr. violat. Revera in Urbis suburbanis erant Romana cœmeteria, quæ circiter 45 numerat Baronius ad an. 226 n. 9 t. 2 p. 474 et 475, eorumque nomina singillatim Panvinius describit de Cœmet. c. 12 per tot. Similiter extra civitatem erant Neapolitana cœmeteria, de quibus agunt Gilbertus Burnet Ep. 4, Mabillonius Mus. italic. t. 1 p. 14, et Mazzoehius in Kalendar. Consule Paulum Aringrum Rom. subterr. l. 1 c. 1 n. 9.

(3) Jus hoc erat XII Tabularum, quod sæpe novis legibus confirmatum fuit, ac traductum ad omnes civitates, primum constitutione Hadriani l. 5 §. Divus ff. de Sepulcr. violat., id est D. Pii, ut Capitolinus scribit, deinde ceterorum. Vide Paulum Recept. sentent. l. 1 tit. 21 n. 2, ibique Schultingium in Not. 8 et seq. Jurispr. vet. Ante Justinian. t. 1 p. 261 et seq. ed. Lipsiæ 1757.

2. Lapsu temporum quorundam cadavera intra civitatem, non tamen intra Ecclesiam (1) humo tradi cœperunt. Eo privilegio polito sunt Imperatores, et Reges, qui, ut plurimum, in Ecclesiæ atrio, et porticibus sepeliebantur (2). Postea loca hæc patuerunt etiam populo universo (3); et interim illis una cum

Abbatibus, ac viris pietate præstantibus intra Ecclesiam sepultura concessa est (4), quam pridem Episcopi ante ceteros habuerant (5). Denique omnibus in Ecclesia permissus sepulturæ locus (6); quæ hodierna est, qua jamdudum utimur, disciplina.

(1) Vide Concilium Braearense I, can. 18 apud Labbæum t. 6 col. 552 ed. Ven., et Auctorem Vitæ S. Fulgenti apud Bollandum 1 Januar. Leg. 2 col. de eccles. Atque hæc quidem erat consuetudo, quæ generatim obtinebat; non tamen desunt, uti paulo postea demonstrabo, hæc etiam ætate, exempla aliquorum, qui in Ecclesia sepulturam habuerunt.

(2) Id de Constantino narrat Eusebius Vit. Constantin. l. 4 c. 71 p. 668 ed. Cantabrig. et S. Joannes Chrysostomus Homil. 26 in 2 ad Corint. n. 5 opp. t. 10 p. 625 ed. Paris., de Theodosio Seniore, Arcadio ac Theodosio Juniore, Nicephorus l. 14 c. 58 p. 531 t. 2 ed. Paris. 1630.

(3) Concilium Nannetense can. 6 l. 7 par. 1 col. 558 collect. Harduini, et Moguntiacum can. 52 col. 1016 t. 4 ejusd. collect., unde illa desumpta videtur regula, quæ est in capitularibus Caroli M. l. 1 c. 15 apud Baluzium t. 1 col. 495 ed. Ven.

(4) Clodoveum, Francorum Regem, qui vita functus est an. 511, in Basilica S. Petri sepultum fuisse testatur Gregorius Turonensis Histor. l. 2 c. 45 col. 100 ed. cit. Evagrius autem Histor. l. 4 c. 51 p. 412 t. 5 ed. Valesii Cantabrig. 1720, narrat à Justiniano Imperatore ædificatum fuisse templum SS. Apostolorum, in quo Imperatores, ac Sacerdotes sepeliri mos est. Vide etiam Concilium Moguntiacum anni 813 cit. can. 52 l. 9, et Triburiense anni 895 can. 17. apud Labbæum t. 11 col. 658 ed. Ven. Eodem honore etiam Ecclesiarum conditores affecti sunt, quod demonstrat Sozomenus Histor. l. 9 c. 2 p. 566 ed. Cantabrig.

(5) Ætate Ambrosii, hoc est IV sæculo, Episcopus in Ecclesia sepeliri solitos fuisse, constat ex ipso Ambrosio, qui Mediolani subtus altare sibi sepulturam paraverat; at eo illatis Gervasii, et Provasii reliquiis, hunc, inquit, Ep. 22 n. 15 opp. t. 5 col. 951 ed. cit., *mihi locum prædestinaveram.... sed cedo sacris victimis dexteram portionem.* Eandem quinti sæculi fuisse disciplinam ostendit Pulcheriæ Augustæ epistola ad S. Leonem M., quæ inter ipsius Pontificis epistolas extat post 59 p. 244 t. 2 ed. Rom. cit., unde constat Flaviani Episcopi Constantinopolitani corpus fuisse conditum in Basilica Apostolorum, in qua consueverant prædecessores Episcopi sepeliri. Similiter corpus S. Joannis Chrysostomi, qui hæc vivens dixerat, orat. quod Christus sit Deus n. 9 p. 570 t. 1 ed. Paris.: *Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, sicutque piscatorum ostiarum Reges; Chrysostomi, inquam, mortui corpus Constantinopolim delatum, atque in Ecclesia SS. Apostolorum sepultum fuisse, scribit Socrates Histor. l. 7 c. 45 p. 595. ed. Cantabrig. Alia permulta ea de re monumenta collegit Martenius de Antiq. eccles. rit. l. 5 c. 15 §. 11 et seq. t. 2 p. 572 cit. ed. Haud tamen desunt antiquissima etiam ætate exempla laicorum quorumdam pietate præstantium, qui in Ecclesia sepulti sunt.*

(6) Kepperus, hæreticus videlicet homo (Polit. eccles. l. 4 c. 15) ritum sepeliendis christianos in Ecclesia, superstitionis arguit; atque hanc consuetudinem ex Monachorum, et Sacerdotum avaritia, ac laicorum ambitione



repetit. Eadem fere habent Binghamus (Origin. eccles. l. 23 c. 1 §. 9 t. 10 cit. ed.), et Van-Espeus (Jus eccles. univers. par. 2 tit. 58 c. 2 §. 35 et 54). Fateor equidem, Christianos olim extra sacras aedes sepeliri consuevisse; sed cum ea res tota sit disciplinae, quae Ecclesiae voluntate mutatur, non video, quamobrem Ecclesia non potuerit decernere, ut fideles intra sacras aedes sepeliantur. Ceterum nova non est, nec antiquis ignota Patribus consuetudo sepeliendi in Ecclesia fideles, eaque procul abest à superstitione, ceterisque vitis, quorum arguitur. Mitto tria priora Ecclesiae saecula, in quibus christianis templorum loco erant cœmeteria, ibique suos agebant conventus, et rem divinam conficiebant. Scio, formidolosis illis temporibus christianos non quovis loco vellent, rebus sacris, atque divinis operam dare potuisse; sed certe si aliqua fuisset superstitio facere rem divinam, precesque fundere, ubi mortuorum cadavera jacebant, alio potius quocumque loco, quam in cœmeteriis illud christiani præstitissent. Sed mitto hoc nascentis, et undique vexatae Ecclesiae tempus; quamquam hoc quidem gravissimum sit, et omnem plane, quae fingitur, superstitionis notam abstergat. Certe vix data Ecclesiae pace, Constantinus, uti narrat Eusebius in vit. Constantini l. 4 c. 71 p. 668 ed. cit., juxta Apostolos sepeliri vehementer cupiebat, eaque de causa illorum nominibus appellatam Basilicam excitavit. An hoc desiderium pius Imperator prætulisset, si quid in eo superstitionis inesse putasset? Paulinus poem. 19 col. 475. ed. Veron. an. 1756. memorat cellulas, et eas quidem intra Basilicam, Ep. autem 32 ad Sever. n. 12 col. 205 cubicula Ecclesiae, seu capellas, in quibus defunctorum corpora condebantur. Ambrosius, qui, ut mox narravi, sibi in Ecclesia subtile altare sepulturam paraverat, Satyro fratri suo, licet laico, in Ecclesia secus tumulum S. Victoris sepulcrum posuit. Eandem Taurinensis Ecclesiae consuetudinem fuisse, testatur S. Maximus Homil. 81 col. 261 ed. Romæ 1784. Africana autem S. Augustinus l. 2 Retract. c. 64 col. 65 t. 1 opp. ed. cit. Ita etiam Cæsarius, Gregorii Nazianzeni frater, ac Paula in Ecclesiis sepulturam habuerunt, quod ostendunt Gregorius Nazianzenus Orat. 10 p. 167. et Hieronymus Ep. 108 n. 29 col. 717 opp. t. 1 cit. ed. Veron. Quibus adde exempla, quae supra descripsi, Episcoporum, Regum, ceterorum, qui in Ecclesia sepulti sunt, et facile intelliges, nihil superstitiosum, nihil non religiosum urbana in Ecclesia sepulera, Patrum omnium judicio, continere. Veram autem causam, propter quam inducta est consuetudo fideles in Ecclesia sepeliendi, apertissime indicant S. Maximus, et S. Augustinus, uterque loc. mox. cit. Ille enim inquit: *quod vero quisque apud memorias Martyrum sepelitur, hoc tantum mihi videtur prodesse defuncto, ut commendans eum etiam Martyrum patrocinio, effectus pro illo supplicationis augeatur.* Ille autem habet hæc: *Idco hoc à Majoribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus. ... Cum Sanctis ergo Martyribus quiescentes, evadimus inferni tenebras.* Pium hoc desiderium patrocinii Sanctorum, quibus se fideles commendant, et quibus morientes suum quasi credunt corpus, ut studium ostendant, quo in eos feruntur, vera causa est, propter quam et olim sepelirentur, et nunc christiani in Ecclesia sepeliantur; non autem superstitio, aut hominum ambitio, aut avaritia Clericorum. Consule Muratorinum dissert. 47 ad calc. opp. S. Paulini col. 858 et seq. ed. Veron. 1756, qui illos, quos indicavi, Paulini locos illustrat, ac de antiquis christianorum in Ecclesia sepulturis copiose, et accurate disputat.

3 Nunc, quamquam Christianis omnibus in Ecclesia sepul-

tura permittatur, tamen in multis locis cœmeteria sunt, in quibus mortuorum corpora humo teguntur (1). Sunt autem cœmeteria, loca religiosa, solemniter Episcopi benedictione (2), humandis fidelium cadaveribus addicta, eaque prope ipsas Ecclesias sita esse solent. Ubi nulla sunt cœmeteria ab Ecclesiis distincta, Christiani in ipsis Ecclesiis sepeliuntur; nefas autem est eorum aliquem in loco profano sepulturam habere (3).

(1) *Ubi viget antiqua consuetudo*, inquit Rituale Romanum editum jussu Pauli V. tit. de Exequiis, sepeliendi mortuos in cœmeterio, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur. Vide etiam Concilium Mediolanense l. par. 2 c. 61.—V. Syn. Illiberit. can. 54, 55, 56 et 58; Arnaldi de Peralta, Valent. Episc., Syn. Const. an. 1262; legg. tit. 15 Partitæ 1.

(2) Benedictio cœmeterii jam vigeat ætate S. Gregorii Taronensis, uti patet ex l. de Glor. confessor. c. 106 col. 986 ed. cit. Benedictionis ritus descriptus ex antiquis libris Ritualibus, habet Martenius de Antiq. Eccles. rit. l. 2 c. 20 t. 2 p. 294 et seq. ed. cit.

(3) Cap. 3 de Sepultur. ibique Gonzalez.

4. Integrum cuique est sibi Ecclesiam eligere, in qua ejus cadaver sepeliatur, modo Ecclesia sepeliendi jus habeat. Quo jure gaudent Ecclesiae Cathedrales, ac Parochiales, quæque illud consuetudine, aut privilegio adeptæ sunt (1). Quare etiam uxor, invito marito, et filius pubes, quamquam sit in patris potestate, liberam sepulturæ optionem habent (2). Sed filio impuberi, ob inopiam consilii, pater eligit sepulturam, si id loci consuetudo patiatur (3); secus enim, aut in sepulcro majorum, aut in Parochiali Ecclesia conditur (4). Similiter neque Regularibus, qui suo carent arbitrio, sibi eligere sepulturam licet; nisi procul à suis monasteriis decedant, ita ut ad ea transferri commode nequeant (5).

(1) In Clem. 2 de Sepultur., Dominicanis, et Franciscanis conceditur sepeliendi privilegium in eorum Ecclesiis; quod privilegium aliis quoque Regularibus concessum fuisse, observat Pirhingius, Jus canonic. l. 5 tit. 23 n. 50.

(2) Cap. 5 et 4 de Sepultur. in 6.

(3) Cap. 7 de Sepultur.

(4) Cap. 4 eod. in 6.

(5) Cap. ult. de Sepultur. in 6.

5. Si quis sibi sepulturam non elegit, eam habet in sepulcro majorum, vel si eo careat, in Ecclesia parochiali (1). Mulieres autem si non elegerint sepulturam, cum viris suis sepeliendæ sunt (2), et si plures habuere viros, cum eo sepeliuntur, cui

postremo nupserunt (3). Monachi etiam, et Regulares humanantur in Ecclesia, vel cœmeterio sui monasterii, quod ipsis parochiæ loco est (4); et similiter canonici, ac beneficiati in Ecclesia sui capituli, vel beneficii sepeliuntur. Cadaver, quod contra interdictum extra propriam Ecclesiam humo traditum fuit, si petatur, effodiendum est, ac propriæ Ecclesiæ restituendum (5).

(1) Can. 2 c. 15 q. 2. cap. 1 de Sepultur. cap. 3 eod. in 6.

(N. S. Numquam dubitatum est, Ecclesiam Parochialem, ejusque Cœmeterium, proprium esse sepulturæ parochianorum locum; æquum enim visum est, ut quos Parochus vivos curavit, eosdem defunctos non deserat. Peregrini etiam in Parochia, ubi eos decedere contingit, sepeliendi sunt; si modo apud suam propriam Parochiam sepeliri nequeant: Compil. Tarracon. Lib. 5 Tit. 16 cap. 5.

(2) Can. 2 et 3 c. 15 q. 2.

(3) Can. 5 cit., cap. 3 de Sepultur. in 6.

(4) Cap. ult. eod. in 6.

(5) Cap. 5 de Sepult. Neque cadaver solum sed etiam funeris emolumenta propriæ Ecclesiæ restituenda sunt. Id autem locum habet sive alienæ parœciæ hominem quis in sua Ecclesia sepeliverit, sive etiam hominem parœciæ suæ, qui sibi in alia Ecclesia sepulturam elegit. Widessis Giraldui Expos. Jur. Pontif. par. 1 l. 5 decret. sect. 487 p. 319.

6. Cum cadaver extra parœciam sepelitur, antequam domo educatur, à parcho benedicendum est, eoque comite ad sepulcrum deferendum. Hæc quidem consuetudo est, quæ ubique in Italia viget; sed in ultramontanis quibusdam regionibus exequiæ in parœcia celebrantur, quod jus Decretalium est (1).

(1) Confer Interpretes ad cap. 9 de Sepultur.

7. Vetus est disciplina, per quam oblationes pro mortuis fiunt (1), easque Ecclesia recipiebat, si christiani in ejus communionem decessissent. Hujusmodi oblationes initio ex sola fidelium voluntate procedebant; sed postea conversæ sunt in laudabiles consuetudines; et nunc hæredes cogi possunt ad præstandas oblationes, quæ populorum moribus receptæ sunt (2). Atque hæc sunt jura, quæ *funeraria* dicuntur, quæque ob curam animarum parcho debentur.

(1) Oblationes, quæ pro defunctis fiunt, memorat Tertullianus de exhort. castit. c. 11, et de monog. c. 10. p. 525 et 531 ed. Ven. 1744; et de coron. c. 5 p. 102, laudat oblationes pro defunctis, et alia quæ in Ecclesia observabantur: postremo dicit hæc: *harum, et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix.*

*consuetudo confirmatrix, et fides observatrix.* Videndi sunt etiam S. Cyrillus Hierosolymitanus cathec. 25 mystag. 5 n. 9 seq. p. 528 ed. Paris. 1720, S. Epiphanius expos. Fid. Cathol. n. 23 t. 1 opp. p. 1106 ed. Colon. 1682, S. Jo. Chrysostomus hom. 21 in act. Apostol. n. 4 opp. t. 9 p. 175 et hom. 41 in ep. 1 ad cor. n. 4 seq. p. 592 seq. t. 10 ed. Montsæcon. Paris., S. Augustinus serm. 172 de verb. apost. c. 2 n. 5 opp. t. 8 col. 328, de cur. geren. pro mort. c. 18 col. 1875 t. 8, in Enchirid. de Fide, spe et char. c. 110 col. 620 t. 11 ed. Ven. 1756, S. Ambrosius ep. 59 n. 4 opp. t. 5 col. 1014 ed. Ven. 1751, ceteri demum Patres, quos collegit Leo Allatius de Utriusq. eccl. occid. atque orient. perpet. in dogmat. de Purgat. consens. p. 45 et seq. et p. 356 seq. ed. Rom. 1655.

(2) Cap. 42 de Simon.

(N. S. Nunquam vetitum fuit spontaneas, vel ab ipsis defunctis relictas, vel ab hæredibus collatas, oblationes recipere. Id quod Romani Pontifices, et Concilia Provincialia permittunt, quæ exactiones vetant; præcipue Syn. Bracar. I cap. 21 alias can. 58; dein Syn. Hispal. an. 1512 cap. 17. Postremo Syn. Compost. an. 1565, Act. 5 Decr. 10, et leg. 1 tit. 15 Part. 1. Verum hæc in re quum frequenter lites exorirentur, tum ex parte laicorum contra Clericos, pecuniam pro sepultura, et exsequiis exigentes, ac extorquentes, tum ex parte Clericorum adversus laicos, pias, laudabiles, ac receptas offerendi consuetudines, infringentes: hinc Ecclesiasticis sanctionibus statutum est: 1, ut laici receptas pro exsequiis offerendi consuetudines observent; 2 ut laici ad pias hæc servandas consuetudines possint per Episcopum urgeri: Ad rem præf. Syn. Hispal. ibid. Præcipimus, ne vendantur sepulturæ, nec fiant super his pacta, nec conventiones; sed post sepultum corpus, detur Ecclesiæ elemosyna juxta consuetudinem, quæ in talibus casibus observata fuit, et observatur. Et ut circa hoc Jurex Ecclesiæ observari faciat consuetudinem, quæ in ea fuerit: 3 demum ut omnes, quæ hæc de re exoriri possent laicos inter, et Clericos contentiones, vitentur, Episcopis insinuatum est, ut habita locorum, et personarum ratione, modum quemdam illis oblationibus constituent, ac decernant, quid cuique juxta laudabilem consuetudinem offerendum sit: id quod Synodi præsertim Provinciales præstitere. Ferdinandus de Loazes in Synod. Barcin. an. 1564 in Compil. Tarracon. lib. 5 tit. 16 cap. 5.

Plura hæc in re Parcho, aliisque Clericis, ac ipsis etiam laicis cavenda, eadem illa Concilia præscribere.

1. Clerici jura taxata, ac recepta, quovis excogitato prætextu, propria auctoritate augere, aut nova imponere non audeant: Rituale Rom. de Exsequiis, Conc. Mediol. IV Part. 2 tit. de Funer., et Exsequiis.

2. Parochi, alique Sacerdotes in horum injuriam petitione nullum avaritiæ, vel aviditatis specimen præferant, neque cadaveris inhumationem differant eo prætextu, quod non satis de juribus solvendis pactum sit: Conc. Prov. Neap. I cap. 47, et II tit. 2 cap. 4; præf. Compil. Tarracon. lib. 4 tit. 14, cap. 5.

3. Neque Parochi, ob consensum præstitum pro humanis fidelium cadaveribus in sepultura ab illis electa, aliquid præter jura Parochialia exigant. Neque quidquam supra consuetum extorqueant eo prætextu, quod defunctus sit exterus: Conc. Prov. Neap. II; Compil. Tarracon. ibid.

4. In Parochos, qui etiam à viventibus, quod ad aliam Parochiam deferri velint sepeliendi, aliquid sepulturæ nomine exigere ausint, Episcopi gravissimis penis animadvertere jubentur: ibid.

5. Cadaverum conditoria parietibus Ecclesiarum, aut Capellarum adfi-

genda non sunt: Constitutio Pii V: *Quum primum*; et eadem Syn. Prov. Neap. *ibid.*

6. Pauperum exsequiæ gratis exsolvantur; neque majorem pro sepeliendis divitibus, quam pro inhumandis pauperibus sollicitudinem Parochus, alique Clerici esserant: Eadem Synod. Prov. Neap. *ibid.*

7. Regulares, in quorum Ecclesiam defuncti cadaver inferendum est, summam exorbitantem non exigant: aliter poterit Ordinarius hujusmodi excessui opportuno remedio prospicere: S. Rit. Congr. in *Una Neap.*, 16 Januarii 1677.

8. Denum ipsis laicis inculcatum est, ne nimium fastum in exsequiis adfectent. Jure Canonico simul, et Civili Hispano sumptus, officia, atque exsequiarum luctus præscriptam habent formam: Syn. Tolet. III. can. 22, et Tolet. an. 1525 cap. 11; et legg. 2 tit. 3 lib. 1, 2 et 3, tit. 15, lib. 6 *Nov. s. Compilat.*)

8. Quod si aliquis extra Ecclesiam parochialem tumulo mandetur, ex iis rebus, quæ ad aliam Ecclesiam funeris causa delata sunt, pars aliqua detrahatur, quæ dicitur *quarta funeraria*, seu *canonica*, et parochiæ tribuitur. Nam justum visum est aliquid ex iis rebus dare Ecclesiæ parochiali, quæ defuncto curam spiritualem impendit (1). Hæc autem portio non eadem ubique est, sed alibi quarta, alibi tertia, alibi major, aut minor pro gentium moribus (2); verum, quantacunque sit, semper *quarta* appellatur; atque ex consuetudine, pactisque conventis noscitur, quibus ex rebus detrahenda sit. Generalim tamen non detrahatur ex donationibus inter vivos, neque ex legatis missarum, et anniversariorum, atque ex ceteris, quæ pia relicta dicantur (3).

(1) Cap. 1 de Sepultur. Plures sunt Romanorum Pontificum constitutiones, per quas Regulares, quorum in Ecclesiis fidelium cadavera sepeliuntur, ab hujus quartæ solutione liberantur; cunctasque memorat Gaudentius à Janua de visit. prælat. regul. t. 2 c. 7 dub. 20 sect. 5 n. 55 §. 1. Sed Concilium Tridentinum sess. 25 c. 15 de Reform. sancivit, ut si Regulares, qui annis ante ipsum Concilium quadraginta quartam solvere consueverant, eam etiam in posterum solvere deberent, ceteri, qui ante hoc tempus nunquam solverunt, eodem onere non tenerent. Decretum hoc Synodi Tridentinæ declararunt S. Pius V. const. *Etsi Mendicantium* 58. Bullar. t. 4 par. 2 p. 575. Gregorius XIII. const. In tanta 15 p. 271 t. 4 par. 5. Paulus V. const. Decent. 6 p. 150 t. 5 par. 4. Denique Benedictus XIII. const. Romanus 51 p. 594 t. 11 omnia sustulit privilegia post Clement. *Dudum, de Sepultur.*, et post Concilium Tridentinum concessa Regularibus, qui sunt in Italia, atque in Insulis ad eam pertinentibus, de non solvenda quarta parochiæ defunctorum, qui in eorum Ecclesiis sepeliuntur. Hodie igitur hac lege Benedicti XIII. reguntur monasteria Regularium in Italia, atque in finitimis Insulis; ceteri Regulares, qui extra has regiones commorantur, Tridentinæ, quam memoravi, legi subiciuntur.

(2) Cap. 9 eod.

(3) Cap. 10 eod. cap. ult. de Testam. Confer S. Pium V. cit. const. *Etsi Mendicantium*, et Benedictum XIII. cit. const. Romanus.

9. Ecclesiastica sepultura pars est christianæ communionis, quæ etiam post mortem manet; ideoque ab illa repelluntur, qui viventes ea communione carebant, atque ab Ecclesia sejuncti ex hac vita migrarunt (1). Quamobrem ecclesiastica sepultura privantur judæi, ethnici, infideles omnes, atque etiam infantes mortui sine baptismo (2), apostatæ, hæretici, schismatici manifesti (3); nominatim interdicti (4); excommunicati vitandi, qui nimirum palam in clericum violentas manus injecerunt, et quos Judex Ecclesiasticus nominatim excommunicatos declaravit (5); qui sibi mortem consciverunt, nisi eos furore actos id egisse constet (6); qui in singulari certamine (7), aut in torneamento quæ mortis periculum habent (8), interfecti sunt; qui in Paschate Pœnitentiæ, et Eucharistiæ sacramentum voluntarie omiserunt (9); usurarii manifesti (10); monachi mortui cum peculio (11); fures, et latrones in crimine deprehensi, et occisi (12); raptores Ecclesiarum, qui non satisfecerint (13); denique omnes publici peccatores, qui sine pœnitentia decesserint (14). Quod si horum aliquis in loco sacro sepulturam habuerit, ejus cadaver, modo internosci possit, è sepulcro educendum est, atque in loco profano collocandum (15).

(1) Cap. 12 de Sepultur.

(2) Can. 27 et 28 de consecr. dist. 1., Rituale Romanum tit. de Exeq. rubr. *Quib. non lic. dar. eccles. Sepult.*

(3) Caus. 24 q. 1 per tot.

(4) Cap. 10 de Sepult., cap. 17 de verb. signific., cap. 20 de senten. excom. in 6. Clemen. 1 de Sepultur.

(5) Excommunicati vitandi, secundum celebre decretum Martini V, editum in Concilio Constantiensi, si tantum habentur, quos Judex Ecclesiasticus palam excommunicatos pronunciarit, atque eos uti tales speciatim, et expresse declaravit. Eodem è genere sunt, quos ob manus in clericum injectas, ita certum, atque exploratum omnibus est incidisse in sententiam latam à can. *Si quis suadente diabolo*, ut eorum factum neque celari, neque excusari aliqua ratione possit. Quibus Benedictus XIV. in const. *Detestabilem* 6 §. 9 t. 4 ejus Bullar. p. 22 ed. cit., addidit decedentes in certamine singulari, vel etiam procul à loco certaminis, sed ex eo tamen accepto vulnere, quamquam vitandi declarati non fuerint. Hi omnes tamquam excommunicati vitandi nunc ab ecclesiastica sepultura excluduntur.

(6) Can. 42 c. 25 q. 5.; \* Syn. nempe Bracar. 1, cap. 16, alias can. 55.

(7) Concilium Tridentinum sess. 25 c. 19 de Reform. Vide etiam cit. const. *Detestabilem* Benedicti XIV. — \* Syn. Arand. ad Durium an. 1475, cap. 20. Legg. 1, 2, 3 tit. 20 lib. 12 *Novis. Compilat.*; cap. 6 tit. 9 lib. 2 cod. pœn. recentis, civiles duelli pœnas complectuntur.

(8) Cap. 1 et 2 de Torneamen., Gregorius XIII. const. *Ad tollendum*, 140 Bullar. t. 4 par. 4 p. 19, et Clemens VIII, const. *Illius vices*, 50 t. 5 par. 1 p. 585 cit. Bullar. ed. Rom. ult.

(9) Cap. 12 de Pœnitent. et remiss.; — \* Syn. Vallisol. cap. 28. \* *Ad illu*

- (10) Cap. 7 de Usuri, cap. 2 eod. in 6.
- (11) Cap. 2 et 6 de Stat. monachor.
- (12) Cap. 2 de Furtis.
- (13) Cap. 2 et 5 de Raptor.; —\* Compil. Tarracon., lib. 5, tit. 8, cap. 1.\*
- (14) Can. 16 c. 15 q. 2.
- (15) Cap. 12 de Sepultur.

(N. S. Corpora suspensorum in patibulo, ad exemplum, et terrorem aliorum, manebant insepulta, et omnium oculis exposita, à bestiis, et aere consumenda. Verum id non ex Ecclesiæ legibus, quæ expresse suspensorum cadaveribus sepulturam indulgent: Syn. Wormat. an. 772 *Cap. de his, qui suspenduntur in patibulis*; at jure Romanorum; *Leg. 1 Dig. de Cadaver. punitorum*. Quummo ex *Leg. 2 ibid.*, requirebatur omnino consensus Principis, ut sepeliri possent. — In Hispania jus Romanum diu viguisse videtur, et confirmatum etiam à Syn. Bracar. I laud. cap. 16, alias can. 55; ac mores inducti sunt, colligendi bis in anno ossa ultimo supplicio adsectorum, ad ea in loco sacro sepelienda; dein vero in toto Regno, excepta civitate Valentina, in criminibus atrocioribus, æque usus invaluit, tradendi eadem die Ecclesiasticæ sepulturæ; at licentia à Gubernatore Regii Tribunalis ad criminalia deputati, vel à Judice sententiam exsequente, obtenta: id quod hodierna praxis servat. Tandem ea suspensorum cadavera, quorum discepta membra ad publica viarum loca appenduntur, semel in anno, Sabbato ante Dominicam Passionis, ad sepulturam efferuntur.) — Furcæ supplicium apud nos abolitur Reg. disposit. 28 Apr. 1832, nec amplius reorum cadavera amputantur: novis. Cod. pœn. art. 92.

De cœmeteriis V. legg. tit. 11 lib. 2. *Fori Judic.*; tit. 15 *Partite I*; 1 tit. 5 lib. 1 *Novis. Compilat.*; Reg. Ordin. 2 Jun. 1835; ubi de ipsis construendis decisum: Reg. ordin. 12 Maj. 1849 extra populorum moenia sepelire præcipit; exceptis Episcopis, et Monachibus, juxta alias similes dispositiones, 6 Oct. 1806, 15 Feb. 1807, 30 Oct. 1855.

TITULUS X.

DE MONASTERIIS.

1. MONASTERIUM QUID? — 2. QUID IN NOVO ERIGENDO MONASTERIO OBSERVANDUM. — 3. EXEMPTIO MONASTERIORUM.

**M**ONASTERIUM proprie significat locum, in quo solitarii vitam agunt, et vero monasteria initio erant domicilia eorum, qui in civitate in solitudines discedebant. Sed postea visum est in urbes vocare Monachos, ut Christianam Religionem tuerentur, et amplificarent (1); lapsu autem temporum multi Regulares in mediis urbibus initio sunt instituti, ut in procuranda salute animarum clericis opem ferrent. Hodie igitur monasteria dicuntur omnia loca, in quibus plures habitant, qui certa obstricti regula,

communem vitam ducunt, et qui pro diversa sui instituti ratione, Monachi, Mendicantes, Canonici regulares, clerici regulares appellantur.

(1) S. Basilium monasteria in urbe constituisse, ut Monachi contra Arianos catholicam fidem tuerentur, narrat Socrates histor. l. 4 c. 26 p. 247 ed. Cantabrig. Cum vero Monachi in civitate deducti sunt, ut subsidio essent clericis, novum hoc officium, quod suscipere debebant, eos deserere coegit laborem manuum, quo pridem vitam transigebant, cum omnibus soluti curis, in solitudine versabantur. Non enim se amplius poterant in hoc labore exercere, qui suam in totius christiani populi utilitate operam collocare debebant. Accedit, quod priscis monachis, quibus nulli erant ad vitam agendam reditus, necessarius erat manuum labor, ut per eum sibi ad vitam necessaria compararent. Sed cum suam pro christiano populo operam impendere cœperunt, æquum profecto, et omni Juri consentaneum fuit, ut necessaria acciperent ab iis, quibus sua erat addicta opera, et occupatio. Hi dederunt, uti par erat, hujus operæ remunerandæ causa, bona, cum quibus Monachi vitam traderent; et ita sua sponte desiit manuum labor, cui non amplius Monachi, aliis distenti curis, vacare poterant, et quem vitæ necessitas non amplius postulabat. Tunc autem illi sese dederunt studiis, atque laboribus, qui in rei Christianæ publicæ utilitatem redundarent; quique, non solum ad Religionis officia, sed etiam ad studia literarum pertinerent. Quanta autem ad nos delata sint bona ex his Monachorum curis, atque laboribus, signorat nemo; idque, ut ceteros mittam, demonstrat Mabilonii opus de Studiis monasticis, demonstrant præclara opera Maurinorum, aliorumque complurium, quorum studiis, atque occupatione magna omnibus utilitas allata est. Neque vero illa, in qua nunc Monachi versantur, occupatio, eorum instituti sanctitati adversatur, quod ipse fatetur Eybelius *Introduct. in jus eccles. t. 4 l. 2 c. 41 §. 535 not. 1*; nec certe aliquis reprehendat Monachos, quod pro commodo, atque utilitate christianæ republicæ operam terunt. Consule F. G. Ziebrecht, c. 4 §. 55 seq., qui peculiari libro Bassani edito an. 1785, refutavit Rautenstrauchium, qui opere, cui titulus *Septem capita de Religiosis*, Monachos ad priscum vitæ institutum, manuumque laborem revocare vellet. Ceterum falsum est, quod omnes Monachi initio manuum labore sibi victum quærerent, eum Monachorum, qui piis operibus, et studiis vacarent literarum, multa sint exempla apud Athanasium ep. ad Dracont. opp. t. 3 p. 207 ed. Patav. 1777, et Sozomenum hist. eccles. l. 6 c. 2. et 29 p. 256 seq. c. 30, 51, 52 p. 241 et seq. ed. Taurin. 1747; et Concilium Constantiense propositionem 24 Wicleffi, agentis: *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, et non per mendicitatem*, damnavit, in prima parte, *tamquam scandalosam, et præsumptuose assertam, pro quanto sic generaliter, et indistincte loquitur*; in altera, *tamquam erroneam, pro quanto asserit, mendicitatem fratribus non licere*, t. 16 conc. Labbai col. 757 ed. Ven. Videsis Mamarchium de del diritto libero etc. par. 1 l. 5 c. 2 p. 526, 527, 570. Atque id quidem pertinet ad antiquos Monachos, qui initio ea lege instituti sunt, ut in solitudine vitam agerent, ac manuum labori vacarent. Nam ineptum esset, contraque instituti legem, ad solitudinem, ac manuum laborem vocare ceteros Regulares, quos recentiori ætate pii homines longe aliis regulis instituerunt, et quos in mediis civitatibus versari voluerunt, ut christianis auxilio sint. Visum est hæc monere, et edicere, ut satisfactum sit Scripitoribus Annalium Ecclesiasticorum Florentiæ, qui mihi-

- (10) Cap. 7 de Usuri, cap. 2 eod. in 6.
- (11) Cap. 2 et 6 de Stat. monachor.
- (12) Cap. 2 de Furtis.
- (13) Cap. 2 et 5 de Raptor.; —\* Compil. Tarracon., lib. 5, tit. 8, cap. 1.\*
- (14) Can. 16 c. 15 q. 2.
- (15) Cap. 12 de Sepultur.

(N. S. Corpora suspensorum in patibulo, ad exemplum, et terrorem aliorum, manebant insepulta, et omnium oculis exposita, à bestiis, et aere consumenda. Verum id non ex Ecclesiæ legibus, quæ expresse suspensorum cadaveribus sepulturam indulgent: Syn. Wormat. an. 772 *Cap. de his, qui suspenduntur in patibulis*; at jure Romanorum; *Leg. 1 Dig. de Cadaver. punitorum*. Quummo ex *Leg. 2 ibid.*, requirebatur omnino consensus Principis, ut sepeliri possent. — In Hispania jus Romanum diu viguisse videtur, et confirmatum etiam à Syn. Bracar. I laud. cap. 16, alias can. 55; ac mores inducti sunt, colligendi bis in anno ossa ultimo supplicio adsectorum, ad ea in loco sacro sepelienda; dein vero in toto Regno, excepta civitate Valentina, in criminibus atrocioribus, æque usus invaluit, tradendi eadem die Ecclesiasticæ sepulturæ; at licentia à Gubernatore Regii Tribunalis ad criminalia deputati, vel à Judice sententiam exsequente, obtenta: id quod hodierna praxis servat. Tandem ea suspensorum cadavera, quorum discepta membra ad publica viarum loca appenduntur, semel in anno, Sabbato ante Dominicam Passionis, ad sepulturam efferuntur.) — Furcæ supplicium apud nos abolitur Reg. disposit. 28 Apr. 1832, nec amplius reorum cadavera amputantur: novis. Cod. pœn. art. 92.

De cœmeteriis V. legg. tit. 11 lib. 2. *Fori Judic.*; tit. 15 *Partite I*; 1 tit. 5 lib. 1 *Novis. Compilat.*; Reg. Ordin. 2 Jun. 1835; ubi de ipsis construendis decisum: Reg. ordin. 12 Maj. 1849 extra populorum moenia sepelire præcipit; exceptis Episcopis, et Monachibus, juxta alias similes dispositiones, 6 Oct. 1806, 15 Feb. 1807, 30 Oct. 1855.

TITULUS X.

DE MONASTERIIS.

1. MONASTERIUM QUID? — 2. QUID IN NOVO ERIGENDO MONASTERIO OBSERVANDUM. — 3. EXEMPTIO MONASTERIORUM.

**M**ONASTERIUM proprie significat locum, in quo solitarii vitam agunt, et vero monasteria initio erant domicilia eorum, qui in civitate in solitudines discedebant. Sed postea visum est in urbes vocare Monachos, ut Christianam Religionem tuerentur, et amplificarent (1); lapsu autem temporum multi Regulares in medijs urbibus initio sunt instituti, ut in procuranda salute animarum clericis opem ferrent. Hodie igitur monasteria dicuntur omnia loca, in quibus plures habitant, qui certa obstricti regula,

communem vitam ducunt, et qui pro diversa sui instituti ratione, Monachi, Mendicantes, Canonici regulares, clerici regulares appellantur.

(1) S. Basilium monasteria in urbe constituisse, ut Monachi contra Arianos catholicam fidem tuerentur, narrat Socrates histor. l. 4 c. 26 p. 247 ed. Cantabrig. Cum vero Monachi in civitate deducti sunt, ut subsidio essent clericis, novum hoc officium, quod suscipere debebant, eos deserere coegit laborem manuum, quo pridem vitam transigebant, cum omnibus soluti curis, in solitudine versabantur. Non enim se amplius poterant in hoc labore exercere, qui suam in totius christiani populi utilitate operam collocare debebant. Accedit, quod priscis monachis, quibus nulli erant ad vitam agendam reditus, necessarius erat manuum labor, ut per eum sibi ad vitam necessaria compararent. Sed cum suam pro christiano populo operam impendere cœperunt, æquum profecto, et omni Juri consentaneum fuit, ut necessaria acciperent ab iis, quibus sua erat addicta opera, et occupatio. Hi dederunt, uti par erat, hujus operæ remunerandæ causa, bona, cum quibus Monachi vitam traderent; et ita sua sponte desiit manuum labor, cui non amplius Monachi, alijs distenti curis, vacare poterant, et quem vitæ necessitas non amplius postulabat. Tunc autem illi sese dederunt studijs, atque laboribus, qui in rei Christianæ publicæ utilitatem redundarent; quique, non solum ad Religionis officia, sed etiam ad studia literarum pertinerent. Quanta autem ad nos delata sint bona ex his Monachorum curis, atque laboribus, signorat nemo; idque, ut ceteros mittam, demonstrat Mabilonii opus de Studiis monasticis, demonstrant præclara opera Maurinorum, aliorumque complurium, quorum studijs, atque occupatione magna omnibus utilitas allata est. Neque vero illa, in qua nunc Monachi versantur, occupatio, eorum instituti sanctitati adversatur, quod ipse fatetur Eybelius *Introduct. in jus eccles. t. 4 l. 2 c. 41 §. 535 not. 1*; nec certe aliquis reprehendat Monachos, quod pro commodo, atque utilitate christianæ republicæ operam terunt. Consule F. G. Ziebrecht, c. 4 §. 55 seq., qui peculiari libro Bassani edito an. 1785, refutavit Rautenstrauchium, qui opere, cui titulus *Septem capita de Religiosis*, Monachos ad priscum vitæ institutum, manuumque laborem revocare vellet. Ceterum falsum est, quod omnes Monachi initio manuum labore sibi victum quærent, eum Monachorum, qui pijs operibus, et studijs vacarent literarum, multa sint exempla apud Athanasium ep. ad Dracont. opp. t. 3 p. 207 ed. Patav. 1777, et Sozomenum hist. eccles. l. 6 c. 2. et 29 p. 256 seq. c. 30, 51, 52 p. 241 et seq. ed. Taurin. 1747; et Concilium Constantiense propositionem 24 Wicleffi, agentis: *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, et non per mendicitatem*, damnavit, in prima parte, *tamquam scandalosam, et præsumptuose assertam, pro quanto sic generaliter, et indistincte loquitur*; in altera, *tamquam erroneam, pro quanto asserit, mendicitatem fratribus non licere*, t. 16 conc. Labbai col. 757 ed. Ven. Videsis Mamarchium de del diritto libero etc. par. 1 l. 5 c. 2 p. 526, 527, 570. Atque id quidem pertinet ad antiquos Monachos, qui initio ea lege instituti sunt, ut in solitudine vitam agerent, ac manuum labori vacarent. Nam ineptum esset, contraque instituti legem, ad solitudinem, ac manuum laborem vocare ceteros Regulares, quos recentiori ætate pii homines longe alijs regulis instituerunt, et quos in medijs civitatibus versari voluerunt, ut christianis auxilio sint. Visum est hæc monere, et edicere, ut satisfactum sit Scripitoribus Annalium Ecclesiasticorum Florentiæ, qui mihi-

sententiam adscribunt, à qua longe absum. Nimirum quod, harum Institutio- num l. 1 tit. 1 §. 9 not. 5. Clerico licere dixi labore manuum suarum, et honesto artificio sibi victum comparare, ita hanc meam sententiam interpretati sunt, quasi illis videar assentiri, qui monachos revocari vellent ad manuum laborem, in quo sese olim. solitariam agentes vitam, exercebant. Sed omnes facile intelligunt, quam longe alia, ac diversa sit sententia agentis, quod liceat clerico labore manuum suarum, et honesto artificio sibi victum comparare; ac sententia illorum, qui falso putant, Monachos ad hunc laborem omnino esse cogendos. Hæc adversus Annalium Scriptores monenda esse duxi, ut omnes intelligant, quam valde dissentiam ab iis opinionibus, quibus ipsi, contra omnem recti, verique speciem, assentiuntur. De ceteris, quorum causa me reprehendendum putarunt, non laboro; quoniam mihi non molestum, sed gloriosum est, à quibusdam reprehendi, quod omnibus comperta esse volo jura certissima Summi Pontificis, quem Christus Dominus, non solum honore, ac dignitate, sed etiam imperio, et jurisdictione, præesse voluit Ecclesiæ universæ.

2. Novum monasterium sine venia Episcopi, ac Sedis Apostolicæ excitari non potest (1). In primis autem cavendum est, ne novum opus in grave aliorum detrimentum redundet. Quare Episcopus veniam non concedit, nisi primum vocaverit, atque audiverit Præfectos, vel Procuratores antiquorum monasteriorum, quæ sunt in locis circum positis per quatuor millia passuum, atque etiam Parochum, intra cujus parœciæ fines novum monasterium erigitur (2). Præterea nullum extruitur novi monasterii ædificium, nisi in eo duodecim saltem Monachi, seu Religiosi habitare, atque ex redditibus, et consuetis fidelium elemosynis sustentari possint (3). Denique Monialium monasteria non nisi in urbibus sita esse debent, ne obnoxia sint prædæ, ac ceteris pravorum hominum cupiditatibus (4).

(1) Nova monasteria sine Episcopi consensu ædificari non posse, statuit Concilium Tridentinum sess. 25 c. 5 de Regul. Tridentinam hanc legem explicarunt Clemens VIII, Const. *Quoniam ad Institutam*, Bullar. t. 5 par. 5 p. 14, et Gregorius XV, Const. *Cum alias*, 70 t. 5 par. 5 p. 47. Verum cum Tridentina Synodus, ac Romani Pontifices Episcopi veniam postulant, ut novum monasterium erigatur, nihil detrahunt de antiquo jure, quod etiam Sedis Apostolicæ veniam requirit in cap. unic. §. *Confirmatos* de Relig. domib. in 6, et in cap. unic. de Exces. Præl. in 6. Qua de re edita est ab Innocentio X Constitutio *Instaurandæ*, 157. Bullar. t. 6 par. 3 p. 255, qua sancitum est, ut sine venia Sedis Apostolicæ novum monasterium excitari nequeat, atque ut primum Congregatio Episcoporum, et Regularium diligenter videat, num præsto sint omnia, quæ requiruntur, ut rite monasterium ædificetur. Quæ constitutio, quamquam ad Italiam, atque ad ejus Insulas pertinet, tamen etiam extra Italiam ubique servatur. Quare in novo monasterio erigendo et Episcopi, et Sedis Apostolicæ venia necessaria est. Confer Benedictum XIV, de Synod. diœces. l. 9 c. 1 n. 9.

(N. S. Illa semper Disciplina viguit, ut nullum extrui posset Monaste-

rium, nisi prius impetrata Episcopi Diœcesani venia: Concil. Chalced. Can. 4 recepto in Syn. Barcinon. an. 450, Can. 10; Concil. Agat. an. 506, Can. 27, confirmato in Syn. Ilerd. an. 546, Can. 5; Concil. Epauon. an. 517, Can. 10; Justin. *Novell.* V. scap. 4; et *Partitæ* l. tit. 12 leg. 1.—In Hispania Regis quoque licentiam pro novis erigendis monasteriis exegit lex 1 tit. 26 lib. 4 *Novis. Compilat.*—V. novis. Concordati art. 28, tom. 1, pag. 358.

(2) Clemens VIII, cit. const. *Quoniam*, et Gregorius XV. cit. const. *Cum alias*, Bullar. ed. Rom. ult.

(3) Vide Gregorium XV l. c.

(4) Concilium Tridentinum sess. 25 de Regul. c. 5.

3. Regularium monasteria de Episcopi potestate subtrahita, sive exempta, et uni Pontifici subjecta sunt. Quæ exemptio antiquissima in Ecclesia est (1), eaque repetitur ex amplissima potestate, per quam Summus Pontifex certos Episcopo subditos adimere potest, eosque vel aliis, vel sibi met uni subjicere. Etiam Patriarchæ orientales in sui Exarchatus monasteria amplissimum habebant imperium (2), et nuac etiam apud ipsos viget *ius stau-ropegii*, et id, quidem non fraude, ac violenter arreptum, sed antiquissima consuetudine acquisitum (3), quod in eo positum est, ut in monasterii foundatione Patriarcha, si velit, crucem figat, eoque actu novum monasterium ab Episcopi jurisdictione subtrahat, sibi que uni obnoxium faciat (4). An quod licet orientalibus Patriarchis, multo magis non licebit Summo Pontifici, qui non tantum habet jura Patriarchatus in toto occidente, sed etiam divinitus constitutus est Princeps, Caput, Gubernator omnium Christi Ecclesiarum? Verum etiam in monasteria exempta interdum Episcopus jurisdictionem exercet, qua de re copiose egimus libro superiori. Id unum nunc monemus, Episcopo subtrahita esse monasteria, in quibus duodecim Religiosi non habitant (5).

(1) Confer ea, quæ dicta sunt Lib. 1 tit. 9 §. 12 not. 6.

(2) Consule Thomassinum l. c. lib. 1 c. 9 n. 15 et c. 16, §. n. 1.

(3) Vide Christianum Lupum dissert. de S. Leonis act. cap. 16 opp. t. 4 p. 457 ed. Ven. 1725.

(4) Confer Benedictum XIV, Const. *Inter plures*, 98 §. 19 t. 1 ejus Bullar. p. 214 ed. cit. Imo non Patriarcharum modo, sed etiam Metropolitanarum, qui certos ex Episcopi jurisdictione subditos subtraxerunt, atque eos sibi tantum subjectos voluerunt, in ecclesiasticis monumentis luculentissima exempla sunt. Ecce sæculo V Primates Carthaginenses quædam sibi monasteria subjecerunt, eaque à suorum Episcoporum jurisdictione exemerunt. Confer Concilium Carthaginense an. 525, in quo veneranda Patrum constituta de jure Primatis Carthaginensis memorantur t. 2 Concil. col. 1071 seq. collec. Harduini, et confer etiam Mabillonium *Annal. Benedictin.* ad. an. 525 n. 15 seq. t. 1 p. 53 seq. ed. Lucæ 1759. Cumque Liberatus, primæ Sedis Byzacænæ Episcopus, monasterium in sua diœcesi positum sibi subjicere ten-

tasset, S. Bonifacius, Primas Carthaginensis, coacta synodo, graviter con-questus est, quod idem Liberatus, capta injustissima querelæ occasione, privilegia Sanctæ Carthaginensis Ecclesiæ subtrahere moliretur. Episcoporum autem, qui ad synodam convenerant, una fuit sententia, et vox una, integra esse oportere jura primæ Sedis Africanæ, ab se autem illi exhiberi quod antiquitas ejus prædecessoribus detulisset. Concilium Carthaginense mox laudatum c. 1034 seq. loc. indic. Vide etiam Concilium habitum sub Reparato Carthaginensi an. 554, quod memorat ipse Mabillonius l. c. n. 18 p. 40, et quo sancitum est, ut firma, immotaque essent, quæ sub S. Bonifacio in universali concilio gesta fuerant: Mabillonius ibid. n. 49. Quid? Cum Carthaginensis Episcopus, jure Primatus, quem in Africa habebat, alienos subditos ordinabat, nonne eos subtraheret ex suorum Episcoporum jurisdictione, eosque sibi submittebat? Atqui in Concilio Africano Aurelius Carthaginensis Episcopus quæri voluit, num sibi propter *solicitudinem*, quam gerebat *cunctarum* in Africa *Ecclesiarum*, alienos subditos, etiam proprio Episcopo invito, ordinare liceret? Nemo autem ex Episcopis, qui aderant, fuit, qui non id suo jure Carthaginensi Episcopo licere fateretur, etiam si illi subiectus Episcopus *unum tantum haberet Presbyterum*, quique non agnosceret, hanc semper fuisse superioris ætatis legem, et consuetudinem. Consule Concilium Africanum c. 22, apud Pithæum cod. canon. Eccles. Romam. p. 148 ed. Paris. cit. Quod licuit Carthaginensi Episcopo, quem tantum Jus Ecclesiasticum Africanæ Primatem fecerat, nonne magis licebit Summo Pontifici, quem Christus ipse totius Ecclesiæ Primatem constituit?

(5) Innocentius X, Const. *Instaurandæ* 157, et in Decret. *Ut in parvis*, Bullar. t. 6 par. 5 p. 255 et 270, è medio sustulit, et extinxit parva viro-  
rum monasteria, in quibus sex saltem Religiosi non erant, et si quæ adhuc extarent hujusmodi monasteria, Episcopo, tamquam Sedis Apostolicæ delegato, subjecta esse voluit. Innocentius autem XII, apud Giraldum Exposit. Jur. Pontif. par. 2 sect. 156 p. 1028, Episcopo subiecit monasteria, in quibus duodecim Religiosi non habitant. Innocentii XII Constitutio comprehendit etiam conventus, seu domus regulares, quæ à præcipuo aliquo monasterio pendent, quæque *Granciæ* latiori significatione appellantur, quod illi conjunctæ sunt, atque ejus veluti prædia, seu membra habentur. Nam *Granciæ* proprie sunt domus rurales, seu prædia rustica, quæ ad monasterium pertinent, et in quibus non monachi, sed tantum conversi pro colendis agris commorantur. Atque hæ *Granciæ*, neque Ecclesiam habent, neque publicum oratorium Episcopi auctoritate constitutum, et loca non sancta, aut religiosa, sed temporalia, ac profana sunt. Videndi sunt Fagnanus in Discept. de *Granciis*, post tit. de Censibus, exaction., et Giraldus Expos. Juris. Pontific. par. 11, § tit. 59 p. 409, et seq.

De Episcopali in Monasteria ac Monachos potestate, concepti, Syn. Hispal. II. canon 11, Legion. an. 1020 canon 3, ac Cojac. an. 1050 canon 2: lex item 2 tit. 12 *Partitæ* 1.—Sed de isto proposito V. quæ Cl. Auct. t. 1 pagg. 114-16, 345-45, 351-53, non vero pagg. 116, 195, expressimus.

## TITULUS XI.

## DE SEMINARIIS CLERICORUM.

1. ET 2. SEMINARIORUM ORTUS, ET PROGRESSUS.—5. QUI IN SEMINARIO RECIPIENDI, ET QUIBUS STUDIIS HI DARE OPERAM DEBEANT?—4. ET 5. SEMINARI DEPUTATORUM ELECTIO, ET OFFICIUM.

1.

**N**ihil est, quod magis pertineat ad publicam utilitatem, quam quod optime regantur juvenes, atque ad omnem sapientiam insituantur. Recte igitur, atque sapienter majores nostri ab antiquissimis usque temporibus, Episcopalia Seminaria instituenda curarunt, in quibus sub Episcopi cura, et gubernatione educarentur, atque in spem cleri alerentur adolescentes, qui optimis imbut moribus, doctrinisque eruditi, inter clericos cooptari, sacrisque initiari ordinibus possent. Sunt qui Episcopaliū seminariū vestigia deprehendisse se putant in Synodo Nicæna (1); sunt qui primam eorum originem ab Augustino repeli posse arbitrantur (2). Illud compertum, exploratumque est, sexto sæculo constitutas jam fuisse communes domus, hoc est seminaria, in quibus clerici communem vitam traducerent, atque ad omne clericalis officii munus instruerentur (3).

(1) Si certa esset fides Nicænorum Canonum, quos ex Arabico in Latinum sermonem conversos, primum Franciscus Turrianus, deinde Abrahamus Echellensis evulgarant, merito statui posset, in Concilio Nicæno non obscura extare vestigia hujusmodi seminariū. Nam in can. qui apud Turrianum est 55. apud Echellensem 59 t. 2 Conc. Labbei col. 517 et 541 ed. Ven. jubentur Chorepiscopi *instituere Ministros, eosque distribuere per Ecclesias, et Monasteria, et providere, ut discant, ut reddantur apti, et idonei ad edificationem Monasteriorum, et Ecclesiarum, et aliorum locorum, quæ horum opera indigebunt.* Quæ quidem verba considerans notarius Auctor, scribit hæc: *Cernitur in hoc canone ratio quædam seminariū Ministrorum Ecclesiæ, seu vestigium quoddam seminariū, quæ nuper, secundum decretum Concilii Tridentini, instituta sunt.* Verum hujus Canonis nulla certa fides, quoniam non pertinet ad illos viginti canones, quos revera à Nicæna Synodo editos fuisse, inter omnes constat.

(2) S. Augustinus, uti ipse testatur, præsertim Serm. 355 opp. t. 7 par. 2 col. 1579 ed. Ven. 1765, in Episcopali domo monasterium habuit clericorum. In eo clerici communem agebant vitam, atque ita Episcopus de illorum indole, moribus, vocatione, et progressu certior fiebat, neque aliquem ordinabat Augustinus, nisi qui *mecum*, inquit l. c. n. 6 col. 1585, *vellet manere; ut si vellet discedere à proposito, recte illi tollerem clericatum, quia desereret sanctæ societatis promissum, ceptumque consortium.* Hoc

certe monasterium Clericorum veluti seminarium erat; verum hi clerici suis sese bonis abdicare, neque proprium aliquid habere debebant. Benvenutus in Vit. S. Augustini l. 4 c. 2 n. 7 late agit de universa ratione, quam ipse Augustinus servabat in iis instituendis, quibus erant ecclesiastica officia committenda. Videsis Thomassinum Vet. et nov. Eccles. disciplin. par. 1 l. 5 c. 2 seq.

(3) Concilium Toletanum II, an. 551, cap. 1 t. 5 Conc. Labbæi col. 377, et Toletanum IV, an. 655, c. 24 t. 6 col. 4459. Concilium autem Vasense III, an. 529, cap. 1 col. 321 t. 5 cit., non unum tantum in unaquaque diocesi, sed in cujusvis Parochi domo clericorum seminarium esse jubet, idque in totius Italia moribus positum esse confirmat. De seminariis Episcopalibus copiose agit Joannes de Joanne *Histor. Seminar. Clerical.*, quo quidem opere horum ortum, et progressum late explicatum habes.

2. Labentibus annis negligi cœperunt Episcopalia Clericorum seminaria, quia forte satius visum est Episcopis, clericos ire ad scholas Monachorum, et Academiarum, quæ ea tempestate auctæ, propagatæque sunt (1). Sed cum deinceps in Academiis tantum scholarum pompa, et studia literarum in pretio haberentur, pietas autem pene oppressa languesceret, neque amplius inter Episcopos, et Regulares vigeret arcta illa, quæ antea fuerat, conjunctio animorum, de Episcopatibus seminariis restituendis actum est. Reginaldus Polus Cardinalis, cum de instaurando, emendandoque Anglicano Clero cogitaret, animum etiam adjecit ad juvenes, qui instituerentur in seminariis, quorum regimen, rationemque proposuit (2). Sed rem omnem absolvit Synodus Tridentina, lata lege, qua Episcopi jussi sunt prope Ecclesiam Cathedralē, aliove idoneo loco, collegium aut seminarium instituere, in quo clerici ad studia literarum, atque ad rem Ecclesiasticam instruantur (3).

(1) Monachi scholas ubique habebant, in quibus pueri erudiebantur: verum alie erant scholæ *exteriore*, et *canonicæ*, quæ patebant clericis sæcularibus, alie *interiores*, seu *claustrales*, in quibus Monachi, et pueri monasterio oblati versabantur. In his sæcularibus clericis nullus erat locus. Videsis Mabillonius Act. SS. Ord. S. Benedict., Præfat. ad sæc. III, §. 4 n. 40 p. 46 ed. Ven. 1754.

(2) Reformationis capita à Cardinali Polo proposita, extant apud Harduimum Concil. t. 40 col. 408, seminarii autem forma describitur Decr. 11.

(3) Concilium Tridentinum sess. 25 de Reform. c. 18. Videndi sunt etiam Benedictus XIII, Const. *Credite nobis* 67 p. 409 t. 11 Bullar. ult. ed., Benedictus XIV, Const. *Ubi primum*, 2 §. 2 t. 1 ejus Bullar. p. 5 ed. Rom. seu Ven. 1754, et Inst. Eccles. 59. et S. Carolus Borromeus conc. Provinc. I, Act. Eccles. Mediolan. par. 1 t. 1 p. 11 ed. Patav. 1754. Secundum Tridentini Concilii legem, Pius IV Clericorum seminaria Romæ, aliisque in Urbibus excitanda curavit, uti narrat Raynaldus ad an. 1564 n. 55 t. 15 p. 427 ed. Luca.

Quantum ad erudiendos et clericum et populum, in sacris pariter ac in profanis disciplinis, contulerit Ecclesia, post alios, observat Ferd. Walter, *Jur. Eccl. Man.*, lib. 7, cap. 6 *ad fin.* Quantum vero boni Hispania, tum in præstanda talibus scholis origine, tum in ipsis Tridenti stabiliendis ac regulandis, attulerit, patefacit Xav. Lampillas, opere *«Ensayo Apologético de la Literatura Española»*, tom. 4, à pag. 40; ubi, inter alia, hæc habentur: «En esto siguió el Tridentino el ejemplo que habian dado à la Iglesia los Españoles, muchos siglos antes; desde el VI, promulgó el Concilio Toletano II una ley igualmente oportuna; cuyo monumento es el mas antiguo que tenemos de esta utilissima providencia. Porque, segun prueba el cardenal Aguirre en las notas à dicho Concilio, se celebró este el año 527, y no el 530, como creyó Benedicto XIV en el libro 5 *De Synodo Diocesana* (Cl. Auct. ad an. 551 refert, hujus tit. §. 1 not. 3); y por lo mismo fué anterior al Concilio Vasense, celebrado en el 529; fuera de que en este Concilio no se prescribió una forma arreglada de seminarios; sino solamente, que cada párroco instruyese en su casa à los clérigos de su parroquia.»

Huc pertinent quæ tom. 4, pag. 206-7, de *Scholastico*, cum Selvag. Adnot., consignavimus.\*

3. Itaque omnes Episcopi habere debent seminarium, in quo recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere, et scribere noverint, et quorum indoles, atque voluntas spem afferat, eos perpetuo ecclesiasticis ministeriis addictos fore (1). Qui juvenes in seminario addiscere debent grammaticam, cantum Gregorianum, computum ecclesiasticum, theologiam, aliarumque bonarum artium disciplinam, sacros ritus, cæremonias, cetera, quæ ecclesiasticos viros callere oportet (2). Nam hoc seminarium locus esse debet, unde diocesis accipiat sacros ministros, quibus opus habet; et recte in pluribus Diocesis seu lege, seu consuetudine receptum est, ut nemo sacris initiatur ordinibus, nisi vel plures annos, vel saltem definitum temporis spatium in seminario traduxerit (3).

(1) Concilium Tridentinum loc. cit.

(2) Benedictus XIII, cit. const. *Credite* §. *Postremo*.

(3) Consule Concilium Romanum tit. 50 c. 2, Benedictus XIV de Synod. diocæs. l. 11 c. 2 n. 11, Joannem de Joanne *Histor. semin. cleric.* c. 6 n. 15 et seq.

4. Seminarii administrandi, beneque gerendi onus omne est Episcopo impositum, quod ipse sustinere tuerique diligentissime debet (1). Sed ut res gravissima diligentiori gubernatione regatur, Episcopus eligere debet canonicos duos, quorum consilio in iis utatur, quæ ad juvenum ejusdem seminarii institutionem, disciplinam, moresque pertinent. Duo item sumendi sunt è Capitulo, quorum alterum Episcopus, alterum Capitulum ipsum eli-



git, ac duo item è Clero Civitatis, et horum alter similiter ab Episcopo, alter à Clero constituitur. Horum est adhibendum consilium in iis, quæ temporalium rerum administrationem, ac rectam seminarii procuracionem respiciunt.

(1) Videndus S. Carolus Borromeus Conc. Provinc. V, Act. Eccles. Mediolan. par. 1 p. 220 t. 1 ed. Patav. 1754.

5. Itaque his consultoribus uti debet Episcopus, cum gestæ administrationis rationem postulat, quæ à seminarii administratoribus unoquoque anno reddenda est, (1); et cum seminarii egestati consulturus legem, modumque constituit solutionis, quæ ex redditibus Mensæ Episcopalis, et Capituli, atque omnium, quæ in diocesi sunt, beneficiorum seminario quotannis tribuenda est (2). Horum omnium adhibendum est consilium, quod tamen sequi non cogitur Episcopus, cui integrum est ea facere, quæ pro sua pietate, ac prudentia potiora judicet (3); et omnes semel electi, à commisso munere sine juxta causa removeri nequeunt (4).

(1) Concilium Tridentinum loc. indic.

(2) Ne unquam propter redituam inopiam seminaria pereant, sapientissime à Concilio Tridentino eod. loc. statutum est, ut ex redditibus Mensæ Episcopalis, et Capituli, omniumque beneficiorum, quæ in diocesi sunt, certa vis pecuniæ detrahatur, quæ Seminario singulis annis solvenda est. Hujus solutionis lex, et modus ab Episcopo constituitur. Quin etiam eadem Tridentina lege cautum est, ut simplicia quoque beneficia ab Episcopo seminario uniantur, sive conjungantur. Quomodo autem hæc unio facienda sit, late explicat Benedictus XIV. de Synod. dioc. 1. 9 c. 7.

(3) Consule Giraldum Expos. Jur. Pontif. par. 2. sect. 109 et 110 p. 985 seq.

(4) Videndus Giraldus loc. mox. indic., à quo etiam cuncta declarantur, in quibus duo illi ex Capitulo, duoque ex Clero electi consulendi sunt.

Quod Hispaniam spectat, de Seminariis consule legg. tit. 11 lib. 1. *Novis. Compilat.*, de ipsis specialiter conceptas. Novissimi autem Concordanti art. 28 sic se habet:

Regiæ Majestatis Catholicæ Gubernium, firmo alioquin proposito opportune, et quo citius circumstantiæ id sinant, reque prius cum Apostolica Sede concordata, Seminaria generalia instituendi, in quibus latiori, ut par est, modo ecclesiastica studia excolantur, provide pro sui parte curabit. ut Seminaria Conciliaria in Diocesis, ubi nunc desunt, sine mora erigantur; quo nempe in posterum nulla in Hispanica ditione Ecclesia sit, quæ unum saltem Seminarium, sui cleri educationi sufficiens, non habeat. In Seminariis admittentur, atque ad normam Sacri Concilii Tridentini informabuntur, ac instituentur adolescentes, quos Archiepiscopi et Episcopi, pro Diocesium necessitate vel utilitate, in eadem recipiendos judicaverint. In omnibus vero, quæ ad Seminariorum regimen, doctrinam, honorumque administrationem pertinent, Tridentini ipsius Concilii Decreta servabuntur.

Si novæ Diocesium circumscriptionis causa, duo Seminaria in aliquibus

supersint, alterum in principe Episcopatus civitate, alterum in Diocesi adgreganda, utrumque conservabitur quoad Regio Gubernio atque Episcopis id unanimo consensu utile videatur.

Cui consequentia sunt, et Reg. decret. 21 Maj. 1852, adsentiente R. Nuntio latum, ubi Seminar. regiminis fundamenta ponuntur; et Reg. Sched. 28 Sept. ejusd. an., per quam promulgata est nova pro illis scholis studiorum methodus, ab ipso Rev. Nuntio prolecta.

## TITULUS XII.

### DE HOSPITALIBUS.

1. HOSPITALIA APUD CHRISTIANOS ANTIQUISSIMA.—2. VARIE EORUM SPECIES.—3. HOSPITALIA, EPISCOPO SUBJECTA.—4. LOCA PIA.

**M**AGNAM sibi semper Ecclesia curam assumpsit fovendorum, ac recreandorum pauperum, qui aliena ope indigerent; et in ipso quidem Christianæ Religionis initio, Fideles honorum pretium Apostolis offerebant, ut illud inter pauperes distribuerent (1). Sed data Ecclesiæ pace, publicas etiam ædes Christiani ædificare cœperunt, quibus pauperes exciperentur hospitio, ac necessaria quæque obtinerent (2). Præsertim vero Christiani Occidentales ea de re laborarunt octavo, et nono sæculo; qua tempestate omnia fere monachorum, et canonicorum monasteria conjunctas habebant ædes, quæ præsidio erant pauperibus, ægrotis, peregrinis (3). Alia etiam ejusdem generis diversoria constituta sunt, potissimum ut hospitalis domus fere ubique pareret iis, qui sacras peregrinationes suscipiebant (4).

(1) Act. Apostol. IV. 37.

(2) Sæculo IV jam plura ædificata fuisse hospitalia, certum est. Unum certe hospitale circa annum 350, Constantinopoli erexit Zoticus Senator, uti narrat Baronius ad an. 350 n. 28 t. 4 p. 251. ed. Luc., ejus quidem hominis etiam mentio fit in L. 54 c. de Episc. et Cleric., ubi plura hospitalium genera memorantur. Gregorius Nazianzenus orat. 5 n. 95 p. 102 opp. t. 1 ed. Colon. 1690, Julianum Apostatam ridet, quod infidelibus Christianorum exemplum proponens, eos hortetur ad excitanda xenodochia. Ipse Gregorius Orat. 20 p. 559, ptoctrophia à S. Basilio extra Urbem Episcopalem magnificentissime extracta memorat. Celebre est etiam xenodochium Romæ à Pamphilio, et Nosocomium à Fabiola erectum, uti narrat Hieronymus Ep. 66 ad

git, ac duo item è Clero Civitatis, et horum alter similiter ab Episcopo, alter à Clero constituitur. Horum est adhibendum consilium in iis, quæ temporalium rerum administrationem, ac rectam seminarii procuracionem respiciunt.

(1) Videndus S. Carolus Borromeus Conc. Provinc. V, Act. Eccles. Mediolan. par. 1 p. 220 t. 1 ed. Patav. 1754.

5. Itaque his consultoribus uti debet Episcopus, cum gestæ administrationis rationem postulat, quæ à seminarii administratoribus unoquoque anno reddenda est, (1); et cum seminarii egestati consulturus legem, modumque constituit solutionis, quæ ex redditibus Mensæ Episcopalis, et Capituli, atque omnium, quæ in diocesi sunt, beneficiorum seminario quotannis tribuenda est (2). Horum omnium adhibendum est consilium, quod tamen sequi non cogitur Episcopus, cui integrum est ea facere, quæ pro sua pietate, ac prudentia potiora judicet (3); et omnes semel electi, à commisso munere sine juxta causa removeri nequeunt (4).

(1) Concilium Tridentinum loc. indic.

(2) Ne unquam propter redituam inopiam seminaria pereant, sapientissime à Concilio Tridentino eod. loc. statutum est, ut ex redditibus Mensæ Episcopalis, et Capituli, omniumque beneficiorum, quæ in diocesi sunt, certa vis pecuniæ detrahatur, quæ Seminario singulis annis solvenda est. Hujus solutionis lex, et modus ab Episcopo constituitur. Quin etiam eadem Tridentina lege cautum est, ut simplicia quoque beneficia ab Episcopo seminario uniantur, sive conjungantur. Quomodo autem hæc unio facienda sit, late explicat Benedictus XIV. de Synod. dioc. 1. 9 c. 7.

(3) Consule Giraldum Expos. Jur. Pontif. par. 2. sect. 109 et 110 p. 985 seq.

(4) Videndus Giraldus loc. mox. indic., à quo etiam cuncta declarantur, in quibus duo illi ex Capitulo, duoque ex Clero electi consulendi sunt.

Quod Hispaniam spectat, de Seminariis consule legg. tit. 11 lib. 1. Novis. Compilat., de ipsis specialiter conceptas. Novissimi autem Concordanti art. 28 sic se habet:

Regiæ Majestatis Catholicæ Gubernium, firmo alioquin proposito opportune, et quo citius circumstantiæ id sinant, reque prius cum Apostolica Sede concordata, Seminaria generalia instituendi, in quibus latiori, ut par est, modo ecclesiastica studia excolantur, provide pro sui parte curabit. Ut Seminaria Conciliaria in Diocesis, ubi nunc desunt, sine mora erigantur; quo nempe in posterum nulla in Hispanica ditione Ecclesia sit, quæ unum saltem Seminarium, sui cleri educationi sufficiens, non habeat. In Seminariis admittentur, atque ad normam Sacri Concilii Tridentini informabuntur, ac instituentur adolescentes, quos Archiepiscopi et Episcopi, pro Diocesium necessitate vel utilitate, in eadem recipiendos judicaverint. In omnibus vero, quæ ad Seminariorum regimen, doctrinam, honorumque administrationem pertinent, Tridentini ipsius Concilii Decreta servabuntur.

Si novæ Diocesium circumscriptionis causa, duo Seminaria in aliquibus

supersint, alterum in principe Episcopatus civitate, alterum in Diocesi adgreganda, utrumque conservabitur quoad Regio Gubernio atque Episcopis id unanimo consensu utile videatur.

Cui consequentia sunt, et Reg. decret. 21 Maj. 1852, adsentiente R. Nuntio latum, ubi Seminar. regiminis fundamenta ponuntur; et Reg. Sched. 28 Sept. ejusd. an., per quam promulgata est nova pro illis scholis studiorum methodus, ab ipso Rev. Nuntio prolecta.

## TITULUS XII.

### DE HOSPITALIBUS.

1. HOSPITALIA APUD CHRISTIANOS ANTIQUISSIMA.—2. VARIE EORUM SPECIES.—3. HOSPITALIA, EPISCOPO SUBJECTA.—4. LOCA PIA.

**M**AGNAM sibi semper Ecclesia curam assumpsit fovendorum, ac recreandorum pauperum, qui aliena ope indigerent; et in ipso quidem Christianæ Religionis initio, Fideles honorum pretium Apostolis offerebant, ut illud inter pauperes distribuerent (1). Sed data Ecclesiæ pace, publicas etiam ædes Christiani ædificare cœperunt, quibus pauperes exciperentur hospitio, ac necessaria quæque obtinerent (2). Præsertim vero Christiani Occidentales ea de re laborarunt octavo, et nono sæculo; qua tempestate omnia fere monachorum, et canonicorum monasteria conjunctas habebant ædes, quæ præsidio erant pauperibus, ægrotis, peregrinis (3). Alia etiam ejusdem generis diversoria constituta sunt, potissimum ut hospitalis domus fere ubique pareret iis, qui sacras peregrinationes suscipiebant (4).

(1) Act. Apostol. IV. 37.

(2) Sæculo IV jam plura ædificata fuisse hospitalia, certum est. Unum certe hospitale circa annum 350, Constantinopoli erexit Zoticus Senator, uti narrat Baronius ad an. 350 n. 28 t. 4 p. 251. ed. Luc., ejus quidem hominis etiam mentio fit in L. 54 c. de Episc. et Cleric., ubi plura hospitalium genera memorantur. Gregorius Nazianzenus orat. 5 n. 95 p. 102 opp. t. 1 ed. Colon. 1690, Julianum Apostatam ridet, quod infidelibus Christianorum exemplum proponens, eos hortetur ad excitanda xenodochia. Ipse Gregorius Orat. 20 p. 559, ptoctrophia à S. Basilio extra Urbem Episcopalem magnificentissime extracta memorat. Celebre est etiam xenodochium Romæ à Pamphilio, et Nosocomium à Fabiola erectum, uti narrat Hieronymus Ep. 66 ad

Pammachium n. 44 et Ep. 77 ad Ocean. n. 6 opp. t. 1 col. 599 et 457 ed. Vallarsii Veronæ. Denique Theodoretus Hist. 1. 5 c. 19 p. 219 ed. Cantabrig. narrat, Flacillam Augustam, Theodosii M. uxorem, in Ecclesiæ xenodochiis abjecta quæque munera exercuisse. Confer etiam S. Jo. Chrysostomum l. 3 ad Stagyr. à demon. vexat. n. 45 p. 223 t. 1 opp., et Homil. 45 in act. Apostol. n. 5 p. 542 t. 9 ed. Paris. 1718., S. Augustinum tract. 97 in Evang. S. Joan. n. 4 opp. t. 4 col. 976 ed. Ven. 1760., Concilium Calcedonense act. 5 col. 1275 act. 11 col. 1606 et can. 8 col. 1636 t. 4 conc. Labbæi ed. Ven. ubi et aliorum hospitalium mentio est.

(3) Consule Thomassinum Vet. et nov. Eccles. disciplin. par. 1 l. 2 c. 89 et seq.

(4) Confer Muratorum Antiquit. Italic. dissert. 37.

2. Loca hospitibus, ac peregrinis excipiendis destinata, proprie hospitalia dicuntur; at eo nomine vulgo vocantur omnia loca, quæ alendis, educandis, sustentandis quibusvis hominibus opè egentibus, addicta sunt. Hinc plura sunt hospitalia, quæ propriis nominibus designantur; veluti *xenodochia*, quibus hospites excipiuntur, *orphanotrophia* orphanis educandis, *nosocomia* ægrotis curandis, *ptochotrophia* pauperibus sustentandis, *gerontocomia* alendis senibus, *brephotrophia* nutriendis infantibus comparata.

3. Omnia hæc loca subjiciuntur Episcopo diocesæ, in qua sita sunt, nisi exempta probentur; aut aliud postulent leges, quæ in eorum fundatione constitutæ sunt. Quin etiam exempta poterit Episcopus, ubi opus fuerit, visitare, atque corrigere, exceptis hospitalibus militarium ordinum, aut religiosorum, quibus antiqua institutionis decreta servanda sunt (1), itemque exceptis hospitalibus, quæ sub immediata Regum protectione sunt (2). Verum et horum locorum, quamquam à laicis regantur, Administratores quovis anno reddere Episcopo debent gestæ administrationis rationem, nisi aliter in eorum fundatione cautum sit (3). Quod si lege aliqua, privilegio, aut consuetudine hæc ratio aliis reddenda sit, tamen cum iis etiam Episcopus erit adhibendus.

(1) Clem. 2 §. Præmissa de Relig. domib.

(N. S. Plures nempe exorti sunt Ordines Religiosi, quibus ex proprio instituto, Hospitalium cura incumbit; unde et dicti *Hospitalarii*. Hujusmodi fuere Hospitalarii S. Joannis Hierosolymitani, S. M. Teutonicorum, Calatravenses etc., qui postea in Ordines equestres, et militares commutati sunt. Demum sæculo XVI, S. Joannes de Deo, Lusitanus, Ordinem instituit ad officia Pietatis erga pauperes, præsertim infirmos, exercenda, quem Pius V primum confirmavit Constit. quæ incipit: *Licet ex debito*.—V. tom. 1 pagg. 359-40, not.

(2) Concilium Tridentinum sess. 22 c. 8 de Reform. Vide Giraldum Exposit. Jur. Pontif. par. 2 sect. 8 t. 2 p. 922, ubi explicatur, quæ hospitalia sint, quæ sub immediata Regum protectione esse dicantur, — eujusmodi complura in Hispania erecta, — quæque Episcopi visitationi non subsint.

(3) Concil. Tridentinum sess. 22 c. 9 de Reform.

(N. S. In Hispania tota Hospitalium cura Episcopis demandata erat, quam per Parochos, aliosque Ecclesiæ ministros impendebant, ut evincitur ex Syn. Vallisolet. Cap. 14. «In locis, ait, ubi ad hoc sunt domus aliquæ deputatæ, Rectores, et Curati diligenter invigilent, ut domus hujusmodi sic convenienter paratæ sint, quod hospitalitas ipsa, ad quam deputatæ fuerunt, in eis debite observetur, et ad hoc Rectores ipsi per Ordinarios compellantur.» Et ex Constit. Syn. Guidonis Episcopi Helen. an. 1357, Cap. 5, aperte colligitur.)

Videsis quæ tom. 1, pag. 116, de Episcoporum ac civil gubernat. in Hospitalia atque pia loca auctorit., post Cl. Auct., indicavimus.—*Novis. Compilationis* lib. 4 tit. 5 lex 22, Caroli IV Reg. dispositionem de ipsorum alienandis bonis exhibet: alia similis 7 Apr. 1343 lata est.—Notanda lex 20 Jun. 1349, vulgo *de beneficencia* dicta, in qua de Prælatorum ac cleri parochialis in talibus negotiis interventu decernitur: ut nempe respectivis cœtibus (*juntas de beneficencia*), tum generali, tum provincialibus, tum etiam municipalibus, juxta designatum ibi numerum, adsint. V. quoque Reg. decretum 14 Maj. 1352, vulgo «Reglamento para la ejecucion de la Ley de Beneficencia de 20 de Junio de 1349: necnon Regg. ordinat. 25 Mart. 1345, et 28 Maj. 1352, in quibus de perducendis ad effectum legatis, quæ in Hospitalium vel piorum locorum favorem à testatoribus consignentur, cautum est.»

4. Quod de hospitalibus dico, id etiam dictum volo de ceteris piis locis, uti sunt confraternitates, quas vocant, collegia, cetera similia, quæ cuncta Episcopo subsunt, quamquam à laicis administrantur. Ac de Confraternitatibus præsertim decet animadvertere, eas erigendas esse auctoritate Episcopi, qui earumdem etiam statuta cognoscere, atque approbare debet (1).

(1) Clemens VIII, const. *Quæcumque*, 550 Bullar., t. 5 par. 5 p. 85.

(N. S. Monachorum Congregationes æmulasse visi sunt laici, quum Societates instituerent, quibus miserabilium hominum necessitatibus commodius prospicerent. Nulla potior via excogitari poterat, ut homines, sæculi negotiis alioqui implicati, quodam veluti fraternitatis vinculo, misericordiæ operibus obeundis constricti, à vitis abhorrentes, religionem simul, et charitatem sectarentur. Verum ea est humanæ naturæ conditio, ut non diu neque res firmissimæ persistent, neque inter-gerrime institutæ, illicite permanent. Unde Syad. Nannetens. an. circiter 890, Can. 15, post recensitas abusiones, quæ in his recens invecitis Confraternitatibus irrepserant, hæc decrevit: «Pastos autem, et comessationes, quas Divina auctoritas vetat, ubi et gravedines, et indebitæ exactiones, et turpes, ac inanes lætitiæ, et rixæ, et odia, et dissensiones accidere solent; adeo penitus interdiximus, ut qui contra hoc decretum agere præsumperit, si Presbyter fuerit, vel quilibet Clericus, gradu privetur; si laicus est, aut fœmina, ab Ecclesia usque ad satisfactionem separetur.»

Dein quedam institutæ sunt ad SS. Sacramenti, Deiparæ Virginis, et

Sanctorum cultum promovendum; at novæ multæque successu temporis institutæ Societates, non ideo utiliores, evaserunt. Improborum nonnulli, pio Sanctorum nomine abutentes, machinandis potius criminibus, quam colendis Sanctorum festis inter se conveniebant. Quocirca Henricus IV, an. 1475, et Carolus V, an. 1554, Confraternitates omnes, nisi quæ piis exsequiis exercitiis erectæ fuerant, ac præcedente Ordinarii, et Regis licentiâ, extinguendas omnino esse, neque aliter de novo erigendas, decrevere: Leg. 42 tit. 12 lib. 12 *Novis. Compilat.* Quin et præf. Carolus, an. 1552, Societates omnes, etiam Regio confirmatas Decreto, quæ ex hominibus, fabrilibus leditis exercitiis, coaluerant, abolendas sancit: Legg. 15 eod. tit. ac lib.; leg. 25 lib. 8 ejusd. Cod. Confraternitatum tamen erectiones plurimum promovit S. Carolus Borromæus in Conc. Mediolan. II, III, et IV, quippe quæ tunc uberrimos in Ecclesia fructus esse posse viderentur. Pius V, Constit. *Ex debito*, Episcopos hortatur, ut Confraternitates ad puerorum institutionem erigere curent. Tum qui sequuti sunt Pontifices, Confraternitatum erectiones, indulgentiarum, et privilegiorum concessioibus decorarunt. Nemo non videt hujusmodi Societates, quæ proximorum subveniendis indigentis institutæ sunt, utiles prorsus esse, si ex hominibus coalescant, qui Christi quærent, non quæ sua sunt, et nisi forte irreperiant abusiones à præf. Syn. Nannetens. damnatæ. Eæ quæcumque sint, absque Regio, ut dictum est, ad sensu, erigendæ non sunt, et adprobatis ab Ordinario Constitutionibus: Clemens VIII in Constit. *Quicumque*, et Syn. Valent. an. 1565 Sess. 4 tit. 5, cap. 15, alias 15. Immo visitari possunt ab Episcopo, nisi quæ sub Regum immediata protectione sunt: Trident. Sess. 22 Ref. cap. 8 — De *Confraternitatibus* maxime attendenda lex 6 tit. 2 lib. 1 *Novis. Compilat.*, de Reg. in proposito consensu; ejus præceptum multoties, ad hæc usque tempora, pro plena observantia, iteratum est.\*

TITULUS III.

DE REBUS TEMPORALIBUS ECCLESIE.

1. COMMUNIA BONA OMNI HOMINUM SOCIETATI NECESSARIA.—2. SEMPER COMMUNIA BONA ECCLESIE FUERUNT?—3. QUO JURE FUERINT?—4 ET 5. NON SUB CHRISTIANIS MODO, SED ETIAM SUB ETHNICIS IMPERATORIBUS, ECCLESIA HABUIT BONA IMMOBILIA.—6. ET 7. DISTRIBUTIO BONORUM ECCLESIASTICORUM.

Ventum est ad res temporales Ecclesiæ, quæ scilicet ecclesiasticis usibus addictæ sunt. Nulla enim universitas sine bonis communibus stare potest; cum necessario multæ faciendæ sint impensæ, ut ministri stipendium habeant, ut agantur conventus, ut omnia societati necessaria comparentur. Ecclesia hominum societas est, ideoque, ut ceteræ societates, communibus his bonis carere non potest. Hinc ei sua fuerunt, ab ipso initio Christianæ Religionis, bona, unde aleret Episcopus Presbyteros, Ministros, curam gereret orphanorum, virginum, viduarum,

pauperum, hospitalitatem exerceret, ferret opem fidelibus Religionis causa aut carcere detentis aut ad metalla damnatis, necessaria quæque compararet pro luminaribus, sacris vasis, libris, agapis, quod ecclesiastici convivii genus erat.

2. Ipse Christus, cum hanc societatem instituit, ei communia bona esse voluit, hoc est, pecuniam collectam ex fidelium oblationibus (1), habuitque loculos (2), cum quibus Apostolis, discipulis, pauperibus opitularetur. Christi exemplum sequuti sunt Apostoli (3); deinde vero, cum eorum successores ecclesiæ regimini præsuêrunt, eadem omnino ratio rerum fuit (4).

(1) «Euntes, emamus ducentis denariis panes;» scriptum est apud Marcum VI 57; apud Lucam IX. 15. seq. «eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas;» apud Joannem IV. 8. «discipuli ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent.» An emi aliquid potuisset, nisi aut Christus, aut cum ejus consensu Apostoli ab offerentibus pecuniam accepissent?

(2) Joannes XII. 6; XIII. 29. Vulgata habet loculos; sed in græco textu, à fidelibus oblatum, positum dicitur in marsupio, quod *fiscum* *Reipublicæ Domini* appellat Augustinus, Enarrat. in Psalm. 146 n. 17 opp. t. 4 col. 1648 ed. cit.

(3) Actor. II. 44. IV. 54. V. 1 seq. Confer Tertullianum, de Fug. in persequit. c. 12 p. 572 ed. Ven. 1744; Origenem Hom. 15. in Matth. c. 15 p. 675 seq. t. 5; S. Cyprian. Testimon. ad Quirin. l. 5 n. 3 p. 46, et de Oper. et eleemosyn. p. 144 ed. Amstelæd. 1700.

(4) S. Justinus M. Apol. 167 p. 33 ed. Paris. 1742; Tertullianus Apolog. c. 59 p. 54. ed. cit. Adeundus doctissimus Mamachius (del Diritto libero della Chiesa di acquistare, e possedere. l. 2. c. 2. §. 2 p. 251 seq., à quo hæc omnia copiose, diligenterque explicantur. Confer præterea Anselmum Desing in opere, cui titulus; «Se le ricchezze del Clero nocevoli sieno alla Republica.»

3. Hæc autem bona non aliqua hominum lege, sed Christi voluntate, et exemplo Ecclesia acquisivit. Nam Christianorum Republica contra eorum, qui tunc imperio potiebantur, voluntatem à Christo fuerat constituta; neque civiles leges, quibus tunc orbis terrarum regebatur, cæterum hominum non earum jure socialium, aliquid acquirere, ac retinere permittebant. Quare si hæc societas contra id, quod esset humana lege præscriptum, bona habuit, auctoritate ipsa Christi; consequens est, ut ab Ecclesia divino jure acquirantur, ac retineantur bona; atque hoc jus divinum agnoverunt Apostoli, et eorum successores, qui hæc Ecclesiæ bona esse voluerunt, cum eadem esse vellent leges ethnicorum, quorum tunc dominatu omnia tenebantur (1).

(1) Consule Mamachium l. c.

4. Donec ethnici rerum potiti sunt, Ecclesiae bona praesertim fuerunt res mobiles, quae in illis ærumnis facile celari, asportari, ac distribui poterant. Verum et hac tempestate non desuerunt bona immovilia; et sane edicto Constantini, ac Licinii ethnici jussi sunt Christianis ea restituere, quae hoc temporis intervallo rapuerant (1). Data Christianis pace à Constantino, Ecclesia bonis immobilibus abundare coepit, et multa ei per contractus inter vivos tributa, multa testamentis relicta sunt. Ipsi etiam Christiani Imperatores certam pecuniam vim ex publico ærario Ecclesiae solvi voluerunt (2); quam liberalitatem, à Juliano Apostata sublatam, Marcianus restituit (3): et saepe etiam ethnicorum templa, eorumque redditus Ecclesiis adscripserunt (4).

(1) Confer Eusebium Hist. l. 10 c. 5 p. 482, et de Vit. Constantini l. 2 c. 59 p. 555 ed. Cantabrig. cit., et Lactantium de Mort. persecut. c. 48 p. 244 opp. t. 1 ed. Paris. 1748. Hos autem Eusebii, et Lactantii locos solide, ac diligenter expendit Cl. Mamachi del Diritto libero etc. l. 2 c. 2 §. 3 p. 558 seq.

(2) Vide Eusebium Hist. l. 10 c. 6 p. 136, et Sozomenum Hist. l. 5 c. 5 p. 186 indic. ed. Cantabrig.

(3) Leg. 42 Cod. de Sacros. Eccles.

(4) L. 20 Cod. Theodos. de Pagan.

5. Scilicet ut Gentes Christianae Religionis lucem accipere coeperunt, consequens erat, ut Ecclesia, quam Ethnici inter vetita collegia recensebant, et ideo nihil ei donari, aut testamento relinqui sinebant (1), civilibus quoque legibus sanctissima, et omni jure instituta societas haberetur. Cur igitur frui non debebat juribus societatum, quae legibus probatae erant, quibus aut per contractum inter vivos, aut per testamentum quidquid acquirere licebat? Itaque civiles leges hoc jus Ecclesiae agnoverunt, et confirmarunt (2); quin etiam actum est de conservandis bonis Ecclesiarum, quorum est vetita alienatio (3); deque acquirendis bonis clericis, aut monachi sine heredibus, ac sine testamento morientis, quae adscripta sunt Ecclesiae, ac monasterio, cui vivens addictus fuerat (4).

(1) Leg. 8 Cod. de Haered. instit.

(2) Leg. 1 Cod. de Sacros. Eccles.

(3) Leg. 14 Cod. de Sacros. Eccles., Auth. de Non alien. aut permut. cap. 1 et 3 Collat. 2.

(4) Leg. 1 Cod. Theodos. de Bon. cleric.

6. Initio omnium Ecclesiae honorum cura, et administratio

erat penes Episcopum, qui illam Oeconomus, aut Archidiacono committebat, et hi, finito officio, gestae administrationis rationem Episcopo reddere debebant (1). Unus erat eorum honorum cumulus, unde alebantur Episcopus, et clerici, qui Ecclesiae erant addicti, pauperes opem accipiebant, detrahebantur impensae, quas pro Ecclesiae fabrica, ornatu, supellectile, ceterisque rebus facere oportebat. Postea visum est bona Ecclesiastica in certas veluti partes dividere; et sua Episcopo, sua clericis, sua item pauperibus, sua denique Ecclesiae fabricae pars attributa est (2).

(1) Can. 21 c. 16 qu. 7.

(2) Hanc in quatuor partes divisionem honorum Ecclesiae memorant, Simplicius P., Ep. 5 ad Florent. apud Labbæum Concil. t. 5 col. 96 ed. Ven., Gelasius P., Ep. 9 ad Episc. Lucan. c. 27 col. 521 eod. loc., et Gregorius M., Ep. 11 l. 4 col. 691, Ep. 12 l. 5 col. 757, Ep. 7 l. 8 col. 900, Ep. 64 l. 11 col. 1150 et 1151, et Ep. 44 l. 13 col. 1249. opp. t. 2 ed. Paris. cit. Verum Synodus Braecarenensis I., can. 7 col. 551 t. 5 collect. Harduini, tantum constituit partes tres, quarum unam Episcopo, alteram clericis, tertiam adificiis, et Ecclesiae luminaribus adscribit. In hac autem partitione Episcopo hospitalitas exercenda relinquebatur.

(N. S. Bonorum Eccles. supremus moderator semper Episcopus habitus est: Syn. Tolet. III can. 19; Gojac. an. 1050, cap. 5 — In nostra Hisp. Eccl. id nomen fuit saec. VI, ex praescripto Syn. Braecar. I., cap. 21, alias can. 58, ut oblationes per annum collectae, et apud alterum ex clericis servatae, semel aut bis in anno inter omnes Eccl. ministros distribuereentur. V. Syn. Hispal. II, can. 9; Tolet. IV, can. 48, alias 47.

Inconcussa fuit in Hispania triplex honorum divisio, Syn. Braec. I can. 7 sancita. Eam enim innuunt Syn. Tarrac. can. 3, Braecar. II can. 2, Tolet. IV can. 55 alias 52, Emerit. can. 16; quam quidem usitatam in Hispania consuetudinem refert Syn. Agripinensis cap. 6. Peculiaris revera est forma, quam praescribit Syn. Emerit. can. 14, decernens, quod tertia Subdiaconis, et Clericis tribuatur, ut à Primicerio, juxta quod in officio eos Episcopus praesent esse intentos, ita singulis dispensetur. Immo poterat Episcopus alios Clericos praeter alios condigna meritis largitione, de rebus Ecclesiae remunerare: Ead. Synod. can. 15.

Vetus canonica reddituum Ecclesiasticorum distributionis regula, et Oeconomorum usus tum primum exolescere coepit, ubi et Ecclesiis Parochialibus certi redditus adscripti sunt, et honorum Ecclesiasticorum cura ad singulos Beneficiarios devoluta est; quod quidem neque eodem tempore, neque eadem prorsus ratione obtinuit. — In Hispania, quum primo canonica vivendi methodus restituta est, Oeconomorum etiam, et Dispensatorum officium restitutum coepit, uti adparet ex Synod. Compost. an. 1056, Cap. 1).

7. Denique certi redditus Parochialibus Ecclesiis adscripti sunt, et clericis, qui pridem ex Ecclesiae, cui erant additi, redditibus alebantur, certa concessa sunt Ecclesia bona, quorum curam gererent, et ex quibus perciperent necessaria ad vitam

honeste traducendam. Hodie igitur sua sunt bona clericis, et sua item Ecclesiis, quæ utraque separatim administrantur. Bona hæc temporalia dicimus, quod eorum reditus impenduntur in temporales usus Ecclesiarum, et clericorum; verum cum semper ecclesiastica sint, eo censenda sunt jure, quo censentur bona Ecclesiarum; quæ sine legitima venia distrahi nequeunt, et quibus nemo, tamquam profanis bonis, uti, et abuti potest suo arbitratu.

Hæc referas novis. Concordati quæ sequuntur:

Art. 51. Reditus annuus cuiusque archiepiscoporum in dotem assignatus, erit ut sequitur:

- Toletano, centum sexaginta millia argenteorum, vulgo *reales de vellon*;
- Hispalensi et Valentino, centum quinquaginta millium;
- Compostellano et Granatensi, centum quadraginta millium;
- Burgensi, Cæsaraugustano, Tarraconensi et Valisoletano, centum triginta millium.

• Annuus vero reditus singulis Episcopis attributus erit: Barcinonensi, et Malititensi, centum decem millium argenteorum ut supra;

- Gaditano, Carthaginensi, Cordubensi, et Malacitano, centum millium;
- Almeriensi, Abulensi, Pacensi, Canariensi, Conhensi, Gerundensi, Oscensi, Gienensi, Legionensi, Illerdensi, Lucensi, Majoricensi, Auriensi, Ovetensi, Palentino, Pampilonensi, Salmaticensi, Santanderiensi, Segoviensi, Terulensi et Zamorensi, nonaginta millium;

• Asturicensi, Calagunitano, Cluniensi, Cauriensi, Guadicensi, Jacensi, Minoricensi, Mindoniensi, Oriolensi, Oxoniensi, Placentino, Segobricensi, Seguntino, Tirasonensi, Derthusensi, Tudensi, Urgellensi, Vicensi et Victoriensi, octoginta millium;

• Titulari Indiarum Patriarchæ, quando Archiepiscopatum, aut Episcopatum proprium non habeat, centum quinquaginta millium, deducta ex hac quavis alia quantitate, quam ecclesiasticæ pensionis, vel altero quocumque titulo, à publico Erario percipiat:

• Antistites, qui Cardinalatus honore aucti sint, viginti millia argenteorum supra assignatam sibi dotem obtinebunt;

• Episcopis auxiliatibus Septensi, et Nivariensi, itemque Priori *Ordinum Militarium*, annuus quadraginta millium argenteorum reditus attribuetur.

• Hujusmodi reditus nullam prorsus deductionem patientur, neque ob sumptus Bullarum, quos Gubernium in se recipiet, neque ob alios, qui in Hispania pro his occurrerint.

• Gaudebunt insuper Archiepiscopi et Episcopi suis palatiis, pomariis, hortis, aut aedibus, quæ in qualibet Diocesis parte ipsorum usui ac solatio destinatae, et minime alienatae fuerint...

Art. 52. Primæ post Pontificalem Sedi in Toletana Ecclesia, annuus viginti quatuor millium argenteorum reditus assignatur: cæteris, in aliis metropolitans, viginti millium; in Suffraganeis, decem et octo millium; in collegiatis, quindecim millium.

• Dignitates, et canonici *de officio*, in singulis metropolitans, annuo reditu fruuntur decem et sex millium argenteorum; in suffraganeis, quatuordecim millium; et canonici *de officio* in collegiatis, octo millium.

• Canonici reliqui, quatuordecim millia argenteorum in Ecclesiis metropoli-

tanis, duodecim millia in suffraganeis, et sex millia ac sexcenta in collegiatis, obtinebunt.

• Beneficiatis seu capellanis adsistentibus annuus reditus assignatur, octo millium argenteorum, in metropolitans; sex millium, in suffraganeis, et trium millium, in collegiatis.

Art. 53. Pro parochiis, in urbanis Parœciis, annuus reditus intra tria, et decem millia argenteorum, constituitur: in ruralibus vero, minimum reditus duo millia et biscentum attingent.

• Coadjutores et æconomi intra duo et quatuor millia argenteorum obtinebunt.

• Præterea tum parochi proprii, tum coadjutores fruuntur aedibus eorum habitationi addictis, necnon hortis, seu possessionibus, quæ venditæ minime fuerint, et vulgari nomine *iglesiarios, mansos*, vel alio appellari consueverunt.

• Itemque parochi proprii, et sui coadjutores ex *juribus stolæ*, et oblationibus vulgo *pie de altar*, partem cuique respondentem percipient.

Art. 54. Ad sumptus divini cultus explendos, Ecclesiæ metropolitane intra nonaginta et centum quadraginta millia, suffraganeæ intra septuaginta et nonaginta; ac collegiatae intra viginti ac triginta millia argenteorum, annuatim habebunt. Pro his vero, qui administrationis et sacræ visitationis causa extraordinarie requiruntur, singulis metropolitans intra viginti et triginta, et suffraganeis intra sexdecim et viginti millia argenteorum annua vice conferentur.

• Ad cultum in parœciis, præter casualia emolumenta, aliaque pro nonnullis functionibus in diocesis taxis præfixa, vel præfigenda, annua summa, mille argenteis nunquam inferior, unicuique Ecclesiæ assignabitur.

Art. 55. Seminariis conciliaribus, juxta necessitatum, et circumstantiarum varietatem, intra nonaginta et centum viginti millia argenteorum quotannis attribuentur.

• Regium Gubernium sustentationi domorum et religiosarum familiarum, de quibus in articulo vigesimo nono mentio fit, aptiori, qua par erit, ratione prospiciet.

• Quod ad cœnobita sanctimonialium sustentanda refertur, quæ articulo trigessimo statuta sunt, servabuntur....

Art. 56. Quæ in superioribus articulis statuta est, cultui, ac clero redituum assignatio, ita quidem intelligetur, ut cum per circumstantias liceat, augeri possit. Nihilominus, si quibusdam in casibus, ob peculiare causas, aliqua ex assignationibus articulo trigessimo quarto præstitutis, impar dignoscatur, Regium Gubernium, ut conveniens fuerit, rei providebit....

Art. 58. Fundi, quibus assignatae Cultui et Clero doti satisfiat, erunt:

1. Proventus honorum stabilium, quæ per legem die 3 Aprilis 1845 latam, clero ipsi restituta sunt.
2. Proventus *Cruciatae*.
3. Proventus honorum pridem spectantium ad commendas, et magistratus quatuor Ordinum Militarium, vacantes et vacaturos.

4. Impositio super urbana, rustica, et pecuaria proprietate, ea rata, quæ ad prædictæ dotis complementum necessaria sit, ratione habita proventus, de quibus in 1, 2 et 3 paragraphis mentio fit, aliorumque reddituum, qui deinceps, prævio Sanctæ Sedis assensu, in id ipsum assignentur.

• Clerus hujusmodi impositionem exiget, sive fructus, sive speciem, sive numeratam pecuniam percipiendo, juxta conventiones, quas præcedenter cum provinciis, populis, parochiis, aut privatis personis, inire poterit; et

quoties necesse sit, publici Magistratus ei ad ipsam impositionem exigendam auxilio erunt, adhibitis ad id mediis, quæ pro vectigalium executione præscripta habentur.

Præterea; bona omnia ecclesiastica, præcitata anni 1845 lege haudquam comprehensa, et nondum alienata, Ecclesiæ statim et sine mora restituentur; iis, quæ ex spectantibus ad virorum Cœnobîa, adhuc remanent, minime exclusis....

In iis exequendis, quæ hoc articulo statuuntur, omnia prædicta bona pro suo justo valore, et quibuscumque oneribus deductis, imputanda erunt.

Art. 59. Regium Gubernium, quoad suarum partium est, salvo cætero, quin jure Diœcesanorum Præsulum proprio, necessariis adhibitis providentis, efficiet, ut illi, quos inter bona ad cappellanas, piæque fundationes spectantia, distributa fuerint, caveant de mediis ad onera adimplenda ipsis bonis adnexa.

Similiter providebit, ut pari modo piis oneribus satisfiat, quibus bona ecclesiastica hæc cum obligatione alienata, affecta existat.

Solum porro Gubernium semper cavevit de implemento onerum iis bonis adjectorum, quæ utpote ab hujusmodi obligatione immunia diventita fuerint.

Art. 40. Quoniam memorata bona, proprietatis jure ad Ecclesiam pertinere, ejusque nomine, per clerum usufruenda et administranda fore, declaratur.

Cruciatæ proventus Ordinarii Præsules, in sua quisque Diœcesi, utpote facultatibus Bullæ ad hoc instructi, administrabunt, ad eos erogandos juxta normam in ultima prorogatione Apostolici ad rem Indulti præscriptam; salvis obligationibus, quibus iidem proventus, vi conventionum cum Sancta Sede intarum, obnoxii sunt. Ratio et forma dictæ administrationis obennidæ, collatis inter Sanctitatem Suam, et Regiam Majestatem consiliis, statuentur.

Itemque Ordinarii administrabunt proventus quadragesimalis Indulti, eos Beneficentiæ institutis et charitatis operibus in propriis Diœcesibus impendendo, servata forma Apostolicarum concessionum....

Reg. decret. 21 Nov. 1851 de parochiarum in urbanas et rurales divisione, deque duplici ruralium specie (de primera y de segunda clase) conceptum est, rem ex majori vel minori incolarum numero definiens. Alia decreta, 29 ejusd. mensis et an., et 50 Apr. 1852, statutas insthic pro clero dotes, in effectum perducere præscripsere; magna tamen ex parte in suspensio reliquerunt de parochiis in proposito decisum, donec nempe compleatur nova parochiarum ordinatio et circumscriptio, ipsius Coneordati art. 24 disposita.

Decretum 19 Jul. 1852, quatuor Regal. Capellas, ex quibus duæ Toleti, ceteræ vero Hispaniæ et Granatæ existunt, ordinat; et ipsarum Capellanis annuam dotem, vulgo de 11000 reales, adjudicat. Regiæ schedulæ 50 Sept. ejusdem an. 1852, quid clero cathedrali ac parochiali diœcesium, quas dicimus de Santiago de Cuba et de la Habana, singulis annis tribuendum sit, consignant.

Coneordati art. 29 et 50, transcriptis nuper ex 55 verbis citati, l. 1 pagg. 558—59 literaliter exprimuntur.

Quantum ad art. 59, habendum præ oculis decretum 10 Apr. 1852, adsent. R. Nuntio Apost. latum, cujus vi instituti cætus vulgo «comisiones investigadoras de memorias, aniversarios y obras pias.» Aliud decretum 50 ejusd. mens. et an., quod consentiente pariter S. Sedis Nuntio prodit, delegatam voluit leg. 19 Aug. 1841, ad capellanas colativas jurispatronatus fa-

miliaris pertinentem; easque proinde subsistentes pronuntiavit, ac deferendas ex fundationum legibus, quo sine effectu retroactivo, ut ajunt, fieri posset, decissit.

### TITULUS XIV.

#### DE PRÆBENDIS ET BENEFICIIS.

1. QUID BENEFICIUM?—2. BENEFICIORUM INTER CLERICOS DISTRIBUTIO—5. BENEFICIA A PRÆBENDIS DISTINGUUNTUR.—4. ET 5. EORUM INDOLES.—6. PRÆCIPUUM CLERICORUM OFFICIUM—7. ET 8. BENEFICIA RESIDENTIARIA, ET NON RESIDENTIARIA.—9. MAJORA ET MINORA.—10. SECULARIA, ET REGULARIA.—11. COLLATIVA, ELECTIVA, PATRONATA.

1.

**B**ENEFICII nomen apud Latinos scriptores significat prædium fiscale, quod ducibus, ac militibus optime de Republica meritis ab Imperatoribus concedebatur, ut ex eo perciperent necessaria ad vitam traducendam, suoque deinceps sumptu stipendia facerent (1). Prædia hæc etiam Ecclesia tribuere cœpit clericis de ea bene meritis, ut iis fruerentur, dum ipsis vita suppeditaret, eaque prædia, beneficia, beneficiati autem dicti sunt clerici, qui eadem obtinuerant. Raræ initio erant hujusmodi concessiones; atque, ut plurimum, breve temporis intervallum comprehendebant (2), quo finito, vel mortuo clerico, cui data fuerant, prædia ad Ecclesiam revertebantur (3).

(1) Consule Du-Cangium Glossar. med. et infirm. Latinit. verb. Beneficium, Baronium ad an. 502 l. 9 §. 22 p. 20 ed. Luc.; Thomassinum Vet. et nov. Eccles. disciplin. p. 2 l. c. 15 n. 5.

(2) Concilium Agathense can. 7 et can. 22 col. 999 et 1000 t. 2 collect. Concil. Harduini; Aurelianense I, can. 23 col. 1011. ibid., Symmachus P. Ep. 5 ad Casar. Arelaten. c. 1 col. 425 t. 5 concil. Labbei ed. Ven.

(3) Can. 61 c. 16 qu. 1.

(N. S. Antiquissimo Ecclesiastico jure, quum Ecclesiæ bona inter Clericos dispertirentur, ea tantummodo ratio habita fuit, ut quantum quisque indigeret, tantumdem acciperet; vel quantum studii in peragendis Ecclesiasticis Officiis impenderent, ut decrevit Syn. Emerit. can. 14; aut quantum Episcopus existimaret, uniuscujusque Clerici operas esse pendendas: Ead. Syn. can. 15: S. Cyprianus, Epist. 11 alias 6. inter abusiones in Ecclesiam sua ætate inductas, illam recenset, quod Clerici, sprete communi eum Episcopis vivendi ratione, singuli per hebdomadas, vel per menses æquales acciperent portiones.

Nonnisi V sæculo primum redditus Ecclesiastici in tres, quatuorve portiones dividi cœperunt, Ecclesiæ, Episcopo, Clericis, et Pauperibus assignatas. In Hispania, uti alibi animadvertimus, tribus tantummodo portionibus Ec-

quoties necesse sit, publici Magistratus ei ad ipsam impositionem exigendam auxilio erunt, adhibitis ad id mediis, quæ pro vectigalium executione præscripta habentur.

Præterea; bona omnia ecclesiastica, præcitata anni 1845 lege haudquam comprehensa, et nondum alienata, Ecclesiæ statim et sine mora restituentur; iis, quæ ex spectantibus ad virorum Cœnobîa, adhuc remanent, minime exclusis....

In iis exequendis, quæ hoc articulo statuuntur, omnia prædicta bona pro suo justo valore, et quibuscumque oneribus deductis, imputanda erunt.

Art. 59. Regium Gubernium, quoad suarum partium est, salvo cætero, quin jure Diœcesanorum Præsulum proprio, necessariis adhibitis providentis, efficiet, ut illi, quos inter bona ad cappellanas, piæque fundationes spectantia, distributa fuerint, caveant de mediis ad onera adimplenda ipsi bonis adnexa.

Similiter providebit, ut pari modo piis oneribus satisfiat, quibus bona ecclesiastica hæc cum obligatione alienata, affecta existat.

Solum porro Gubernium semper cavevit de implemento onerum iis bonis adjectorum, quæ utpote ab hujusmodi obligatione immunia diventita fuerint.

Art. 40. Quoniam memorata bona, proprietatis jure ad Ecclesiam pertinere, ejusque nomine, per clerum usufruenda et administranda fore, declaratur.

Cruciatæ proventus Ordinarii Præsules, in sua quisque Diœcesi, utpote facultatibus Bullæ ad hoc instructi, administrabunt, ad eos erogandos juxta normam in ultima prorogatione Apostolici ad rem Indulti præscriptam; salvis obligationibus, quibus iidem proventus, vi conventionum cum Sancta Sede intarum, obnoxii sunt. Ratio et forma dictæ administrationis obennidæ, collatis inter Sanctitatem Suam, et Regiam Majestatem consiliis, statuentur.

Itemque Ordinarii administrabunt proventus quadragesimalis Indulti, eos Beneficentiæ institutis et charitatis operibus in propriis Diœcesibus impendendo, servata forma Apostolicarum concessionum....

Reg. decret. 21 Nov. 1851 de parochiarum in urbanas et rurales divisione, deque duplici ruralium specie (de primera y de segunda clase) conceptum est, rem ex majori vel minori incolarum numero definiens. Alia decreta, 29 ejusd. mensis et an., et 50 Apr. 1852, statutas insthic pro clero dotes, in effectum perducere præscripsere; magna tamen ex parte in suspensio reliquerunt de parochiis in proposito decisum, donec nempe compleatur nova parochiarum ordinatio et circumscriptio, ipsius Coneordati art. 24 disposita.

Decretum 19 Jul. 1852, quatuor Regal. Capellas, ex quibus duæ Toleti, ceteræ vero Hispaniæ et Granatæ existunt, ordinat; et ipsarum Capellanis annuam dotem, vulgo de 11000 reales, adjudicat. Regiæ schedulæ 50 Sept. ejusdem an. 1852, quid clero cathedrali ac parochiali diœcesium, quas dicimus de Santiago de Cuba et de la Habana, singulis annis tribuendum sit, consignant.

Coneordati art. 29 et 50, transcriptis nuper ex 55 verbis citati, l. 1 pagg. 558—59 literaliter exprimuntur.

Quantum ad art. 59, habendum præ oculis decretum 10 Apr. 1852, adsent. R. Nuntio Apost. latum, cujus vi instituti cætus vulgo «comisiones investigadoras de memorias, aniversarios y obras pias.» Aliud decretum 50 ejusd. mens. et an., quod consentiente pariter S. Sedis Nuntio prodit, delegatam voluit leg. 19 Aug. 1841, ad capellanas colativas jurispatronatus fa-

miliaris pertinentem; easque proinde subsistentes pronuntiavit, ac deferendas ex fundationum legibus, quo sine effectu retroactivo, ut ajunt, fieri posset, decissit.

### TITULUS XIV.

#### DE PRÆBENDIS ET BENEFICIIS.

1. QUID BENEFICIUM?—2. BENEFICIORUM INTER CLERICOS DISTRIBUTIO—5. BENEFICIA A PRÆBENDIS DISTINGUUNTUR.—4. ET 5. EORUM INDOLES.—6. PRÆCIPUUM CLERICORUM OFFICIUM—7. ET 8. BENEFICIA RESIDENTIARIA, ET NON RESIDENTIARIA.—9. MAJORA ET MINORA.—10. SECULARIA, ET REGULARIA.—11. COLLATIVA, ELECTIVA, PATRONATA.

1.

**B**ENEFICII nomen apud Latinos scriptores significat prædium fiscale, quod ducibus, ac militibus optime de Republica meritis ab Imperatoribus concedebatur, ut ex eo perciperent necessaria ad vitam traducendam, suoque deinceps sumptu stipendia facerent (1). Prædia hæc etiam Ecclesia tribuere cœpit clericis de ea bene meritis, ut iis fruerentur, dum ipsis vita suppeditaret, eaque prædia, beneficia, beneficiati autem dicti sunt clerici, qui eadem obtinuerant. Raræ initio erant hujusmodi concessiones; atque, ut plurimum, breve temporis intervallum comprehendebant (2), quo finito, vel mortuo clerico, cui data fuerant, prædia ad Ecclesiam revertebantur (3).

(1) Consule Du-Cangium Glossar. med. et infirm. Latinit. verb. Beneficium, Baronium ad an. 502 l. 9 §. 22 p. 20 ed. Luc.; Thomassinum Vet. et nov. Eccles. disciplin. p. 2 l. c. 15 n. 5.

(2) Concilium Agathense can. 7 et can. 22 col. 999 et 1000 t. 2 collect. Concil. Harduini; Aurelianense I, can. 23 col. 1011. ibid., Symmachus P. Ep. 5 ad Casar. Arelaten. c. 1 col. 425 t. 5 concil. Labbei ed. Ven.

(3) Can. 61 c. 16 qu. 1.

(N. S. Antiquissimo Ecclesiastico jure, quum Ecclesiæ bona inter Clericos dispertirentur, ea tantummodo ratio halita fuit, ut quantum quisque indigeret, tantumdem acciperet; vel quantum studii in peragendis Ecclesiasticis Officiis impenderent, ut decrevit Syn. Emerit. can. 14; aut quantum Episcopus existimaret, uniuscujusque Clerici operas esse pendendas: Ead. Syn. can. 15: S. Cyprianus, Epist. 11 alias 6. inter abusiones in Ecclesiam sua ætate inductas, illam recenset, quod Clerici, spreta communi eum Episcopis vivendi ratione, singuli per hebdomadas, vel per menses æquales acciperent portiones.

Nonnisi V sæculo primum redditus Ecclesiastici in tres, quatuorve portiones dividi cœperunt, Ecclesiæ, Episcopo, Clericis, et Pauperibus adsignatas. In Hispania, uti alibi animadvertimus, tribus tantummodo portionibus Ec-



clesiæ res dividebantur, inter Episcopum scilicet, Clericos, et Ecclesiam: atque hæc portio ad Ecclesiam spectans, ad Episcopi nutum in Ecclesiæ fabrica impendenda erat.

Jam vero sæculo VI ineunte, ea vigere cœpit consuetudo, ut Clericis, qui strenuam rei Ecclesiasticæ navassent operam, prædia Ecclesiæ ad tempus fruenda concederentur. Syn. Agathens. an. 506 can. 7, post perlatam sanctionem, ne Episcopi res Ecclesiæ alienare præsumerent, subnectit: *Minusculas vero res, aut Ecclesiæ minus utiles, peregrinis, vel Clericis, salvo jure Ecclesiæ, in usum præstari permittimus.* Et can. 22: *Presbyteri, vel Clerici, salvo jure Ecclesiæ, rem Ecclesiæ, sicut permiserunt Episcopi, teneant; vendere autem, aut donare penitus non præsumant.* Tum Syn. Aurelian. I can. 25: *Si Episcopus, humanitatis intuitu, vineolas, vel terras Clericis, vel Monachis præsterit, excolendas, vel pro tempore tenendas etc.* Id quod aperte docet Synod. Tolet. II can. 4, et non obscure Tolet. III can. 51, et Tolet. IV, can. 58 alias 57. Vides hic prima veluti rudimenta Beneficiorum, licet Beneficii vocabulo non adhuc usurpato; ac vides simul haud frequentes ejusmodi fuisse concessionem, et non nisi vel ex necessitate, vel ob singularia personæ alicujus merita fuisse factas: unde potius jure personali, quam jure tituli, prædia illa Clericos utenda, accepisse patet. Id quod decrevit Syn. Tolet. II, eod. can. 4, ita subjiciens: *Verum post suum ex hæc luce discessum, juxta priorum Canonum Constitutiones, jus suum Ecclesiæ sanctæ restituat; nec testamentario, aut successorio jure cuiquam heredum, proheredumve relinquat; nisi forsitan cui Episcopus pro suis servitiis, et prestatione Ecclesiæ largiri voluerit.*

2. Verum lapsu temporum hujusmodi concessionem frequentissimæ evaserunt (1), et eo denique res venit, ut clerici non amplius ex communi Ecclesiæ ærario alimenta acciperent, sed peculiarem haberent præbendam suam in prædiis, sive beneficiis, quæ ipsis concedebantur, donec vitam agerent. Ita factum est, ut jus percipiendi redditus ecclesiasticos, quod olim affixum erat ordinationi, per quam clericus certæ adscribatur Ecclesiæ, cujus ex ærario alebatur, nunc hæreat beneficiis, unde clericus redditus percipit, quibus honeste, et decenter vivat. Nimirum semper clericis jus fuit, propter ecclesiasticum officium de altari vivere. Modus autem, quo clericus ecclesiasticis bonis frui debet, pertinet ad disciplinam, quæ non eadem omni ætate est.

(1) Primum parochialibus Ecclesiis, et iis quidem ruralibus, adscriptæ videntur oblationes, quæ ad altare fiebant, salva earum tertia, aut quarta pars, quæ ad Episcopum pertinebat: can. 7 c. 10 qu. 1. Paulo post iisdem ruralibus ecclesiis certi etiam ex fundis redditus tributis sunt: Concilium Aurelianense III. can. 5 col. 1424 l. 2 conc. collect. Harduini. Certe IX. sæculo omnis ruralis Ecclesia suas proprias decimas, et fundos obtinebat: can. 25 c. 25 q. 3. Urbanæ quoque parochiæ eandem disciplinam postea acceperunt; et tunc potissimum inducta partitione bonorum, certa clericis data sunt prædia, quæ ipsi administrarent, et ex quibus ad vitam necessaria perciperent.

3. Proprie beneficium à præbenda distinguitur. Hæc enim tantum comprehendit fructus, redditus, et emolumenta, quæ clericis certo obveniunt, ecclesiasticorum officiorum, et beneficiorum causa. Hinc eam sæpe etiam beneficii dotem appellamus, sive consistat in prædiis rusticis, aut urbanis, sive in pascuis, silvis, aut similibus, sive in illis juribus, quæ fructuum vicem obtinent, et rebus immobilibus æquantur, uti sunt census, et reliqua generis ejusdem. At vero beneficii nomen latius patet, quoniam non ea tantum, quæ præbenda, comprehendit, sed etiam ecclesiasticum officium, et magistratum. De magistratibus, et officiis, quæ beneficiis adjuncta sunt, superiore libro actum est. Nunc in beneficiis potissimum spectamus redditus; quamquam hi redditus non nisi propter ecclesiasticum officium, et magistratum percipiuntur.

4. Beneficium est perpetuum jus percipiendi fructus de bonis ecclesiasticis, officii causa, ecclesiastica auctoritate institutum. Perpetuum inquam, hoc est, donec beneficiarius vitæ usura fruatur, beneficium esse debet; quia per hoc certo in Ecclesia obeundo muneri addicitur, quod cum perpetuum sit, perpetuum quoque jus ad redditus esse debet.

5. Præterea ecclesiastica auctoritate, videlicet Summi Pontificis, aut Episcopi, opus est, ut beneficium constituatur. Cum enim ecclesiastici redditus, et multo magis sacra ministeria, quæ duo beneficium complectitur, sine Ecclesiæ auctoritate dari nequeant, manifestum est, sine hac auctoritate nullum esse, et haberi beneficium posse. Quare omnes redditus, licet perpetuo clericis ob spirituale aliquod officium attributi, uti legata pia, et capellanæ, beneficia non sunt, nisi Episcopi accedat auctoritas; sed mera stipendia, aut elemosynæ censentur.

(N. S. Istam beneficii Ecclesiastici instituendi normam exhibet Syn. Verus. an. 1429, Cap. 3, his verbis: « Nullum de cetero Beneficium Ecclesiasticum, sine auctoritate Ordinarii, ad quem pertinet, in aliqua Ecclesia, vel Capella quomodolibet ordinetur; qui quidem Ordinarius non aliter fundationi, vel Ordinationi hujusmodi Beneficii auctoritatem præbeat, aut consensum, nisi prius dos sufficiens ad sustentationem vitæ Presbyteri in loco idoneo, et securo constituta fuerit, quodque in sua auctorizatione elausulam quam... etiam si ommissa fuerit, haberi volumus pro inserta, contra faciendi potestatem Prælati omnibus abdicantes. »)

6. Denique beneficium propter spirituale officium institutum est. Non enim clericis otiosos, et nihil agentes, ex ecclesiasticis redditibus vivere oportet. Præcipuum clericorum officium positum

est in altaris ministerio, atque in precibus, quas ad Deum mittere pro cunctis debent; et vero Ecclesia certas constituit preces, quæ unoquoque die à beneficiariis fundendæ sunt, ut eo, quo tenentur in primis, fungantur munere. Atque hæc sunt horæ canonicæ, quas omnes beneficiarii quotidie recitare debent, et quæ *divini officii*, ac *breviarii* nomine appellantur.

7. Sed præter hoc officium, quod omnibus beneficiariis commune est, quidam sunt, qui et aliud habent ministerium, personatum, dignitatem, aut curam animarum. Hæc beneficia duplicia, cetera, in quibus illa non insunt, simplicia appellantur. Ex simplicibus beneficiis quædam sunt, quæ adjunctam habent legem residentia, uti sunt canonicatus, et capellanæ perpetuæ ecclesiastica potestate constitutæ; et hæc beneficia *residentiaria*, cetera, à quibus onus illud abest, proprie *simplicia*, et non *residentiaria* dicuntur. Verum Canonicatus, quamquam inter beneficia simplicia recenseantur, tamen accedunt ad dignitates (1), ideoque in odiosis simplicium beneficiorum nomine non continentur. Neque vero hæc beneficia tamquam inania, et otiosa habenda sunt, quod eorum Rectores nullum peculiare officium exercent. Nam rem præclaram, et magnam præstant, qui preces pro populo fundunt, et cum alii sint clerici, qui omnibus funguntur muneribus, quæ pro Christianorum regimine et salute sunt necessaria, recte Ecclesia quosdam alii clericos, quorum occupatio in fundendis precibus, et altaris ministerio defixa est (2).

(1) Cap. 2 de Rescript. in 6.

(2) Hujusmodi clericorum, quorum tantum erat altari servire, ac precibus, et orationi vacare, jam III. sæculo habebat Ecclesia, et eorum quidem mentio est apud Cyprianum ep. 1 p. 169 ed. Amstelæd. 1700.

(N. S. Simplicibus beneficiis adnumerandæ quoque sunt Capellæ, sive Capellanæ. Porro vel Capella constituit Corpus per se, et est veluti sacra ædificia, aut etiam Ecclesia à Parochiali sejuncta, et tunc proprie *Capella* dicitur, quique ei præest, *Rectoris* nomen habet; vel Capella aliud non est, quam sacellum, aut altare in aliqua Ecclesia erectum, et tunc proprie Capellania dicitur, quique ei præest, *Capellanus perpetuus*. Inter has aliæ sunt, quæ ex fundatorum voluntate, Institutionem Canonicam non exigunt; et vernaculo loquendi modo dicuntur *Patronato de Legos*. Aliæ sunt amobiles, quæ revera potius quam Capellanæ, Legata Pia dicenda sunt. Aliæ denique perpetuæ; et hæc, si Investituram, seu Institutionem Canonicam requirunt, proprie sunt *Capellanæ*. Hinc quum Ecclesiæ visum fuerit fundatoribus indulgere, ut quascumque vellent condiciones in Capellaniarum institutione adijcerent, plura orta sunt Patronatus, et vocationum genera, consanguinitatis nimirum, successionis, patriæ etc. prout unusquisque in ipsa Capellanæ erectione constituendum decreverit).

8. Cuncta olim beneficia residentia lege tenebantur; sed lapsu temporum, redditibus imminutis beneficiorum, adeo ut ex iis clerici necessaria percipere non possent, consuetudine inductum est, ut beneficio donati fructus caperent, licet in beneficii loco non morarentur, ut sibi victum alibi compararent (1). Nunc igitur qui his beneficiis fruuntur, tantum deferunt tonsuram, ac vestes clericales, et horas canonicas quotidie persolvunt.

(1) Consule Gonzalez in c. Conquerente n. 1 de cleric. non residen.

9. Rursus alia beneficia sunt, quæ majora, alia, quæ minorata appellantur. Majora sunt, quibus hærent principes in Ecclesia gradus cum cura animarum, et sacra jurisdictione, qualia beneficia obtinent Summus Pontifex, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, et Abbates cum quasi episcopali jurisdictione. Reliqua, quæ infra hæc sunt, minorata beneficia dicuntur. Ceterum majora illa beneficia communi beneficii nomine non comprehenduntur; quin ne dignitatis quidem vocabulo, eum potius sint apices dignitatum.

10. Dividuntur etiam beneficia in sæcularia, et regularia. Sæcularia sunt, quæ non nisi sæcularibus clericis, regularia, quæ tantum regularibus tribuuntur, unde eorum nomen tractum est. Hinc abbatia, ceteraque officia claustralia suis propriis donata redditibus, beneficia sunt regularia, ac talia generatim censentur omnia, quæ à regularibus regi consueverunt. Beneficia regularibus addicta demonstrantur vel fundatione, cuius nimirum lege cautum est, ut ea regularia haberi debeant; vel incorporatione, cum monasteriis adnexa sunt; vel præscriptione annorum quadraginta, cum eo temporis intervallo semper à regularibus administrata fuerunt (a).

(a) \* Syn. Hispal. an. 1512, cap. 51.

11. Denique sunt beneficia collativa, quorum collatio ad eos pertinet, quibus conferendi jus est; electiva, quæ per electionem, patronata, quæ ad patroni præsentationem conceduntur. De his omnibus superiore libro actum est.

(N. S. In Hispania Beneficia sunt, quæ dicuntur *Patrimonialia*, ea videlicet, quæ non nisi in hac vel illa Diocesi, Provincia, Civitate, et Oppido natis, vel oriundis conferri possunt; cujusmodi sunt Beneficia Regni Navarræ, et Cantabriæ, quæ Navarris dumtaxat, et Cantabris conferri possunt, et

plura in Aragoniæ Regno, quæ in quodam tantum Oppido, aut Civitate-ortis conferuntur. Item Beneficia omnia Archiepiscopatus Burgensis, et Episcopatum Palentini, et Calagurritani, quæ ex immemorabili consuetudine, confirmata *Leg. 1 Tit. 21 Lib. 1 Novis. Compilat.*, non nisi Diœcesanis conferenda sunt. Quin et omnibus inhibitum est Bullas impetrare, quæ hujusmodi adversentur consuetudini; de quibus, si quando impetrentur, ad Supr. Castellæ Senaturn deductæ, supplicandum est, neque exsequi valent sub pœna, si laici fuerint, amissionis ipso facto omnium honorum, et quorumcumque officiorum Regalium; si Clerici, sub pœna etiam amissionis omnium temporalium rerum, et jure Civitatis. Deinde hæc Lex confirmata est *Legg. 2 et 3 ibid.*, et ad omnia alia beneficia *Patrimonialia* Carolus V. extendit *Leg. 4 ejusd. Tit. et Lib.*—(V. notas 2 ad 10 diet. tit.) Majoricenses etiam jus habent, trium Summorum Pontificum Constit. roboratum, et Philippi V Decreto die 7 Julii an. 1725 confirmatum, ut non nisi ipsi ad earum Ecclesiarum Præbendas, et Beneficia admittantur: *Leg. 5 tit. 14 lib. 1 citati codicis.*—Attendas tamen novis. Concordati art. 26, tom. 1 pag. 50 transcriptum, et quod ad ejus calcem ibi adnotatur.

SECTIO I.

DE VETITA BENEFICIORUM MULTITUDINE.

12. CLERICUS DUABUS ECCLESIIS NON ADSCRIBENDUS.—15. BENEFICIA COMPATIBILIA, ET INCOMPATIBILIA.—14. DECRETUM CONCILII LATERANENSIS.—15. ET TRIDENTINI.—16. PœNA RETINENTIUM PLURA INCOMPATIBILIA BENEFICIA.—17. QUÆ BENEFICIA PLURA NUMERO SIMUL RETINERI POSSINT?

12.

**O**MNES Clerici, ex veteri disciplina, cum ordinabantur, certæ adscribebantur Ecclesiæ, cui servire debebant, et à qua necessaria quæque accipiebant. Cum autem unus idemque clericus eodem tempore duabus Ecclesiis servire non posset, consequens erat, ut neminem duabus Ecclesiis adscribi, vetus disciplina pateretur (1). Hæc quidem generalim obtinebat regula canonum, cui tamen locus non erat, cum aliud Ecclesiæ utilitas, aut necessitas postularet. Nom enim antiquiori etiam ætate exempla desunt clericorum, qui pluribus uno, et eodem tempore Ecclesiis addicti erant (2).

(1) Concilium Chalcedonense can. 10 et 20 col. 606 et 610 l. 2 collect. Harduini; et Nicænum II. can. 15 col. 495 l. 4 collect. cit.

(N. S. Syn. Tolet. I. can. 12, decernit, nulli clerico licere *discedere de Episcopo suo*; Tolet. II. can. 2; Valent. an. 546, can. 5 et 6; Narbon. an. 589, can. 10; Hispal. II. can. 5, Tolet. XII. can. II. etc.)

(2) Concilium Emeritense can. 19, l. 5 col. 1005 collect. Harduini:—item Syn. Tolet. XVI. can. 5.—Celebre est autem, quod de Euphronio narrat Ba-

silius ep. 228 opp. t. 5 p. 551 ed Paris. 1750, qui ab Episcopatu Coloniensi ad Metropolim Nicopolitanam, translatus, utrasque deinde Ecclesias administravit.—V. quæ de proposito, tom. 1, pag. 187, adnotavimus.

13. Postquam beneficia ab ordinatione sejungi cœpta sunt, etiam interdictum est, ne cui plura simul beneficia tribuantur, cum unus clericus simul gerere non possit plura officia, quæ beneficiis conjuncta sunt. Sed imminutis, uti supra dictum est, lapsu temporum beneficiorum redditibus, oportuit residentia lege solvere clericos, qui alibi quærere debebant victum, quem à beneficio habere non poterant. Tunc igitur uni clerico concedi cœperant plura beneficia, ut quod unum non dabat, haberet ex pluribus, eaque dicta sunt beneficia *compatibilia*; quoniam non residentiam, neque aliud habebant adjunctum onus, quod alterius beneficii possessionem impediret. Quibus beneficiis opponerentur *incompatibilia*, quæ scilicet plura numero, ob onus singulis affixum, ab uno eodemque clerico simul retineri non poterant.

14. Sed lapsa disciplina, plura simul incompatibilia beneficia uni clerico data sunt; quod malum longe lateque serpens plura, quæ ea tempestate habita sunt, Concilia removeve studuerunt. Præsertim Synodus Lateranensis III ea de re laboravit, edita lege, ut nemo duas dignitates, aut duas parochias simul deinceps habere posset, addiditque sanctionem, ut accipiens secundum beneficium amitteret, dans autem largiendi potestate privaretur (1). Verum non adhuc avulso malo, Innocentius III in Concilio Lateranensi IV de eo plane tollendo acriori studio laboravit. Ergo sancitum est, ut nemo duas simul parochias, dignitates, aut personatus obtineat, ipsoque jure cadat primo beneficio, qui alterum sine venia Sedis Apostolicæ adeptus est, ac utroque privetur, si forte illud velit retinere. (2). Eadem quoque ratione præbendarum coacervatio vetita est (3).

(1) Cap. 5 de Cleric. non residen.

(2) Cap. 28 de Præben.

(3) Cap. 9 de Concess. præben.

(N. S. Lateranensis Conc. IV. decreta confirmavit Syn. Herd. an. 1219, in Compil. Tarracon. Lib. 5 Tit. 4 cap. 1, et Lex 5 Tit. 6 Partit. 1; quin et Arnaldus de Peralta, Episcop. Valent., in Constit. an. 1262, pluralitatem Capellaniarum prohibuit, etsi fuerint temporales.

Quod vero in Decreto Innocenti III. clausula illa adjecta sit: *Circa sublimes tamen, et litteratas personas, quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ, quàm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dis-*

plura in Aragoniæ Regno, quæ in quodam tantum Oppido, aut Civitate-ortis conferuntur. Item Beneficia omnia Archiepiscopatus Burgensis, et Episcopatum Palentini, et Calagurritani, quæ ex immemorabili consuetudine, confirmata *Leg. 1 Tit. 21 Lib. 1 Novis. Compilat.*, non nisi Diœcesanis conferenda sunt. Quin et omnibus inhibuitur est Bullas impetrare, quæ hujusmodi adversentur consuetudini; de quibus, si quando impetrentur, ad Supr. Castellæ Senatam deductæ, supplicandum est, neque exsequi valent sub pœna, si laici fuerint, amissionis ipso facto omnium honorum, et quorumcumque officiorum Regalium; si Clerici, sub pœna etiam amissionis omnium temporalium rerum, et jure Civitatis. Deinde hæc Lex confirmata est *Legg. 2 et 3 ibid.*, et ad omnia alia beneficia *Patrimonialia* Carolus V. extendit *Leg. 4 ejusd. Tit. et Lib.*—(V. notas 2 ad 10 diet. tit.) Majoricenses etiam jus habent, trium Summorum Pontificum Constit. roboratum, et Philippi V Decreto die 7 Julii an. 1725 confirmatum, ut non nisi ipsi ad earum Ecclesiarum Præbendas, et Beneficia admittantur: *Leg. 5 tit. 14 lib. 1 citati codicis.*—Attendas tamen novis. Concordati art. 26, tom. 1 pag. 50 transcriptum, et quod ad ejus calcem ibi adnotatur.\*

SECTIO I.

DE VETITA BENEFICIORUM MULTITUDINE.

12. CLERICUS DUABUS ECCLESIIS NON ADSCRIBENDUS.—15. BENEFICIA COMPATIBILIA, ET INCOMPATIBILIA.—14. DECRETUM CONCILII LATERANENSIS.—15. ET TRIDENTINI.—16. PœNA RETINENTIUM PLURA INCOMPATIBILIA BENEFICIA.—17. QUÆ BENEFICIA PLURA NUMERO SIMUL RETINERI POSSINT?

12.

**O**MNES Clerici, ex veteri disciplina, cum ordinabantur, certæ adscribebantur Ecclesiæ, cui servire debebant, et à qua necessaria quæque accipiebant. Cum autem unus idemque clericus eodem tempore duabus Ecclesiis servire non posset, consequens erat, ut neminem duabus Ecclesiis adscribi, vetus disciplina pateretur (1). Hæc quidem generalim obtinebat regula canonum, cui tamen locus non erat, cum aliud Ecclesiæ utilitas, aut necessitas postularet. Nom enim antiquiori etiam ætate exempla desunt clericorum, qui pluribus uno, et eodem tempore Ecclesiis addicti erant (2).

(1) Concilium Chalcedonense can. 10 et 20 col. 606 et 610 l. 2 collect. Harduini; et Nicænum II. can. 15 col. 495 l. 4 collect. cit.

(N. S. Syn. Tolet. I. can. 12, decernit, nulli clerico licere *discedere de Episcopo suo*; Tolet. II. can. 2; Valent. an. 546, can. 5 et 6; Narbon. an. 589, can. 10; Hispal. II. can. 5, Tolet. XII. can. II. etc.)

(2) Concilium Emeritense can. 19, l. 3 col. 1005 collect. Harduini:—item Syn. Tolet. XVI. can. 5.—Celebre est autem, quod de Euphronio narrat Ba-

silius ep. 228 opp. t. 5 p. 551 ed Paris. 1750, qui ab Episcopatu Coloniensi ad Metropolim Nicopolitanam, translatus, utrasque deinde Ecclesias administravit.—V. quæ de proposito, tom. 1, pag. 187, adnotavimus.\*

13. Postquam beneficia ab ordinatione sejungi cœpta sunt, etiam interdictum est, ne cui plura simul beneficia tribuantur, cum unus clericus simul gerere non possit plura officia, quæ beneficiis conjuncta sunt. Sed imminutis, uti supra dictum est, lapsu temporum beneficiorum redditibus, oportuit residentia lege solvere clericos, qui alibi quærere debebant victum, quem à beneficio habere non poterant. Tunc igitur uni clerico concedi cœperant plura beneficia, ut quod unum non dabat, haberet ex pluribus, eaque dicta sunt beneficia *compatibilia*; quoniam non residentiam, neque aliud habebant adjunctum onus, quod alterius beneficii possessionem impediret. Quibus beneficiis opponerentur *incompatibilia*, quæ scilicet plura numero, ob onus singulis assixum, ab uno eodemque clerico simul retineri non poterant.

14. Sed lapsa disciplina, plura simul incompatibilia beneficia uni clerico data sunt; quod malum longe lateque serpens plura, quæ ea tempestate habita sunt, Concilia removeve studuerunt. Præsertim Synodus Lateranensis III ea de re laboravit, edita lege, ut nemo duas dignitates, aut duas parochias simul deinceps habere posset, addiditque sanctionem, ut accipiens secundum beneficium amitteret, dans autem largiendi potestate privaretur (1). Verum non adhuc avulso malo, Innocentius III in Concilio Lateranensi IV de eo plane tollendo acriori studio laboravit. Ergo sancitum est, ut nemo duas simul parochias, dignitates, aut personatus obtineat, ipsoque jure cadat primo beneficio, qui alterum sine venia Sedis Apostolicæ adeptus est, ac utroque privetur, si forte illud velit retinere. (2). Eadem quoque ratione præbendarum coacervatio vetita est (3).

(1) Cap. 5 de Cleric. non residen.

(2) Cap. 28 de Præben.

(3) Cap. 9 de Concess. præben.

(N. S. Lateranensis Conc. IV. decreta confirmavit Syn. Herd. an. 1219, in Compil. Tarracon. Lib. 5 Tit. 4 cap. 1, et Lex 5 Tit. 6 Partit. 1; quin et Arnaldus de Peralta, Episcop. Valent., in Constit. an. 1262, pluralitatem Capellaniarum prohibuit, etsi fuerint temporales.

Quod vero in Decreto Innocenti III. clausula illa adjecta sit: *Circa sublimes tamen, et litteratas personas, quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ, quàm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dis-*

*pensari*: hinc quam lata patuit via, cum dispensationibus Pontificiis postulandis, ac impetrandis, tum quoque Beneficiorum pluralitati: adeo ut plura Beneficia, etiam Curata, per Pontificiam dispensationem consequi ea ætate, veluti jus ordinarium evasisse, pateat ex decreto Concilii Lugdunensis in *Cap. 5 de Officio Ordinarii in 6*, ubi tantummodo Dispensatio Apostolica Episcopo exhibenda præscribitur; et ex Constitutione Joannis XXII, *Extravag. 4 de Præbendis in Communibus*, ubi Summus Pontifex de nimis frequentibus dispensationibus conqueritur, quas importuna quadam, et execrabili ambitione, ab R. Pontificibus potius extorquere, quam obtinere plurimi nitebantur. Tum *ibidem* dispensationibus moderamen imponendum, sancitum est. At neque inde tantum, tamque perniciosum illud malum aliqua ex parte imminutum, immo et auctum. Inducto enim Unionum, Commendarum, et Pensionum more, Beneficiorum pluralitas, veluti quodam pallio tecta est. Coadjutoria quoque frequentius admixta, in causa erant, cur iisdem abusibus remedium feliciter adhiberi non posset. Eas abolere tentarunt, vœdum Concilia Lateranense sub Alexandro III, et Trident. *Sess. 25 Ref. cap. 7*, et Alexander VI, *Motu proprio* an. 1499; sed et Reges ipsi Carolus V *Leg. 4 Tit. 15 Lib. 1 Novis. Compilat.*; Philippus IV, in libello supplicis ad Urbanum VIII, *Cap. 4*; et Philippus V, *Leg. 5. dict. tit. 15*. At nihilominus Coadjutoriarum usus usque ad Concordatum an. 1755 obtinuit.—(\* V. tom. 4 pag. 188. \*)

Patres Tridentini, veteris Ecclesiasticæ disciplinæ instaurandæ cupidissimi, diu, solidisque rationum momentis de Beneficiorum pluralitate pertractarunt, contententibus nonnullis, inter quos Jacobus Laynez, Hispanus, nulli unquam secundum Beneficium, si primum sit sufficiens, conferendum; eamque sufficientiam non à personæ nobilitate, sed à ministerio computandam; Pallavicini Hist. Concil. *Lib. 25, cap. 5, n. 50*. Tantummodo vero pro temporis ratione, tanto illi malo reparando medicas manus adhibere. Namque *Sess. 7 Ref. cap. 2, et 4*, cuius vetant plures Cathedralis Ecclesias, aut plura curata, vel alias incompatibilia Beneficia unione, commenda, aut alio quovis nomine, contra formam sacrorum Canonum, et præsertim Constitutionis Innocenti III, recipere, ac simul retinere; privationis Beneficiorum pœna ipso jure incurrenda in violatores sancita. Et pressius *Sess. 24 Ref. cap. 17* decrevere, *ut unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia Beneficia tam sæcularia, quam regularia quæcumque, etiam commendata, pertineant, cujuscumque tituli, aut qualitalis existant.*

Verum hoc Tridentini decreto, sanatane tandem sunt inflicta disciplina Ecclesiasticæ vulnera? Minime id quidem. Binas avaritiæ fovendæ vias in his sanctissimorum Patrum verbis invenere subtilissimi Ecclesiæ doctrinæ corruptores. Prima est facilitas sibi blandiendi, primum Beneficium, etsi revera pingue, sufficiens non esse ad congruam vitæ alimoniam. Hinc pluralitas Beneficiorum frequentissima; inde consuetudo, postremo universa pœne hominum existimatio Beneficiorum pluralitatem hodierno jure probant; peccata enim, aiebat Bernardus, *quum in consuetudinem abeunt, aut parva, aut nulla esse creduntur*. Secunda est communis itidem hominum opinatio, et toti retro ignota antiquitati, computandi inter simplicia Beneficia, atque adeo compatibilia, et quæ personalem residentiam non exigunt, omnia illa, quæ recentissimo loquendi modo Curata re ipsa non adpellantur, quum hæc

omnia compertum sit juvandis olim Parochis in Pastoralis munere instituta esse. Errorem hunc, communem prope, detexit, et gravissima, quæ ex eo damna pullulant, vividis coloribus depinxit integerrimus, et ardentissimo Ecclesiasticæ disciplinæ restaurandæ studio fervens, præstantissimus Vir Josephus Tormo, Episcopus Oriolanus, in libello supplici ad Carolum III Regem die 12 Junii an. 1763. Neque aliter sensit vir sapientissimus, primus Regii Fisci Patronus, cui traditus est libellus recognoscendus; quin et jure merito contendit, omnia Beneficia personalem residentiam; et personale servitium ex suorum ipsa institutione deposcere. Id ipsum agnovit Religiosissimus Rex Catholicus, qui æquissimis præf. Episcopi precibus inclinatus, quindecim Diœcesis suæ Beneficia, quæ eousque Simplicia adpellabantur, ad pristinam eorumdem institutionem revocanda, et in vera Curata Beneficia erigenda, decrevit die 29 Novemb. ejusd. anni. Nos firmissimam habemus spem, fore ut reliqui Hispaniarum Episcopi, Oriolani exemplo devincti, abolita prorsus inveterata Beneficia æstimandi opinione, puriorem illam, in sua quisque Diœcesi, disciplinam curent stabiliendam; ad quod quidem Supremus Castellæ Senatus hortatur Episcopos in litteris Encycl. sub die 12 Junii an. 1769, et præsertim quum ejusd. Caroli III. decreto an. 1777 cautum sit, ne cui aliquod ex hujusmodi Beneficiis conferatur, quin rigorosa illa personalis injungatur residentia. Abusio enim illa *conductitios* nominandi Presbyteros, juri Canonico contraria est: *Can. 5 Caus. 21 Q. 2, æquitati, fidelium utilitati, ipsi etiam juri naturali penitus opposita.*

Igitur jure Tridentino, Beneficia dividuntur in *Compatibilia*, et *Incompatibilia*. Prioris generis sunt omnia Beneficia *Simplicia*; scilicet, quæ residentiam, aut personale servitium non requirunt. At hæc non videtur esse, quæ proprio *Beneficii* nomine vocantur; sed eæ fortassis sunt Capellanæ, quæ libera piorum fidelium voluntate, et liberis adjectis conditionibus institutæ sunt, quæ nisi personali servitio erectæ sint, ad id non adstringuntur Capellani. Verum his etiam ad strictam compulit residentiam Syn. Hispan. an. 1512 *Cap. 53.*)

15. Denique Tridentini Patres alias edidere leges, ut quæ à Lateranensibus Conciliis fuerant constituta, diligenter observarentur. Itaque vetitum est uni clerico quovis titulo, etiam *unionis*, aut *commendæ*, plures simul conferre Ecclesias cathedrales, aut beneficia curata, et cetera, quæ *incompatibilia* dicuntur, jussique sunt primo beneficio cadere, qui alterum consequuntur. Ex reliquis vero beneficiis, quæ *compatibilia* dicimus, uni clerico plura conferri possunt, quando unum satis non est, ut ille honeste, ac decenter vivat (1).

(1) Concilium Tridentinum *sess. 7 c. 2 et 4, et sess. 24 c. 17 de Reform.* Extat etiam de incompatibilibus beneficiis constitutio Joannis XXII. in *Extrav. Execrabilis* de præbend., de qua actum fuit l. 1 tit. 5 sect. 5 p. 277, et qua sancitum est, ut secundum beneficium curatum, vel secundam dignitatem accipiens, nisi statim primum dimittat, utroque privetur, atque in posterum à sacris ordinibus, et à beneficiis repellatur, atque ultimi beneficii collatio Summo Pontifici reservetur. Late ea de re disputat Rigantius *ad Regul. 1 Cancellar. §. 8 per tot.*

16. Hodie igitur iis utimur legibus, quæ à Tridentina Synodo constitutæ sunt. Duo *incompatibilia* beneficia, qualia sunt generatim omnia (1), quæ habent curam animarum, quæ officium, personatum, dignitatem, onus residentia, quæque *sub eodem tecto uniformia* dicuntur (2), uni clerico concedi non possunt, et si concedantur, primum ipso jure vacuum efficitur. Quod si utrumque simul beneficium retinere quis velit, utroque privandus est. Vacatio autem ipso jure inducitur non collatione, sed pacifica alterius beneficii possessione, qualis ea censetur, quam quis sine ulla molestia apprehendit, ut apprehendere potuit. Ideo post acceptam alterius beneficii possessionem, datur adhuc spatium duorum mensium, quo beneficiarius primum etiam beneficium retinere potest, ut interim noscatur, num aliqua de altero beneficio molestia exoriantur (3).

(1) Quæstio est, num altero impetrato beneficio, generatim in omnibus incompatilibus beneficiis vacatio ipso jure inducatur. Multi enim sunt, qui hanc ipso jure vacationem tantum referunt ad beneficia, quæ propter titulum incompatibilia existant, uti sunt duo Episcopatus, duæ parochiæ, duo sub eodem tecto uniformia beneficia; non item ad ea, quæ tantum retentione incompatibilia habentur, uti sunt duo canonicatus in diversis Ecclesiis, et alia beneficia, quæ adjunctam habent residentia legem, sed sine animarum cura, dignitate, personatu, vel officio. Hæc enim beneficia tantum sententia judicis vacare arbitrantur. Sed Concilium Tridentinum omnium generatim incompatibilium beneficiorum ipso jure vacationem induxisse, ostendit Garcia de Benef. par. 11 c. 5 n. 79 et seq.

(2) Beneficia *uniformia sub eodem tecto*, sive in eadem Ecclesia dicuntur, quæ ad eundem finem, idemque ministerium instituta sunt, habentque idem onus, ac officium eodem tempore persolvendum. Hujusmodi sunt duo canonicatus, duæque ejusdem Ecclesie capellanæ.

(3) Consule Rigantium in Regul. 1 Cancell. §. 3 n. 154 et 155.

17. In ceteris beneficiis quæ compatible dicuntur, servanda regula est, eorum plura ab uno eodemque clerico retineri posse, cum unum non tantum præstat, quantum est ad cultum, et ad victum necessarium. Si unius redditus satis sunt, ut clericus honeste, ac decenter vivat, nefas est plura in eo beneficia coacervare; et vero primum amittit, qui præter necessitatem alterum beneficium adeptus est. Sed nunc, ex consuetudine ubique recepta, nemo in foro controversiam patitur, quod duo possidet beneficia, etiamsi unum satis præbeat ad vitam honeste traducendam, modo utrumque residentiam non requirat. Et licet Tridentina Synodus non definiaverit, quinam redditus ad decentem clerici tuitionem sufficiant, tamen in comperto est, rem totam Episcopi arbitrio, respectu habito ad locorum con-

suetudinem, atque ad statum clerici, æstimandam, ac definiendam esse. Interdum Sedes Apostolica, cujus tantum est ea in re veniam concedere, justis de causis, plura ab uno clerico, etiam incompatibilia beneficia, retineri permittit; cujus quidem rei sunt exempla præsertim in Germania, ubi uni plures Episcopatus conceduntur, ut firmiter munitis præsiidiis, hæreticorum conatus retundat.

De beneficiariorum *residentia* V. legg. tit. 15 lib. 1 *Novis. Compilat.* cum ipsar. notis. Eis consonæ posteriores plurimæ Regal. sanctiones. De *residentia*, ac *incompatibilitate*, ut vulgo dicitur, conceptus Concordati an. 1851 art. 19, qui sic se habet:

Gravi attentata circumstantiarum immutatione, cui ob præteritas rerum publicarum vicissitudines, atque hujus etiam conventionis occasione, Hispanus Clerus obnoxius est, Summus Pontifex et Regia Majestas, pro sua quisque parte, consentiunt, nullam dignitatem, canonicatum, aut beneficium, quod *personalis residentia* onus adjunctum habeat, iis fore conferendum, qui cujuscumque muneris aut officii causa, alibi teneantur assidue residere; nec contra, ullum ex hujusmodi muneribus, aut officiis his demandandum, qui aliquid ex prædictis beneficiis possideant, nisi forte unum vel alterum dimittant; quæ proinde officia, et beneficia deinceps *incompatibilia* prorsus erunt.

Nihilominus, sex Cathedralium Peninsula Præbendatis locus esse poterit inter eos, qui Regio sacello Capellani munere addicti sunt: nunquam tamen primam sedem obtinentes, canonicos *de officio*, cura animarum adstrictos, nec duos simul ex una eademque Ecclesia nominare fas erit.

Quod ad eos, qui ad præsens, vi cujuslibet generalis sive specialis indulti, duo vel plura ex memoratis beneficiis aut officiis possident, opportunè statim consilia capientur, ut ipsorum etiam conditio, juxta Ecclesie necessitates, et casuum varietatem, iis accomodetur, de quibus hoc articulo conventum est.

Pro hujus art. executione latum Reg. decret. 14 Nov. ejusd. an. 1851; eique respondet Regg. ordin. 24 Dec. proxime seq., beneficiariorum in propriis eccles. *residentiam* exigens.

## SECTIO II.

### DE CONJUGENDIS, AC DIVIDENDIS BENEFICIIS.

18. BENEFICIORUM UNIO QUOTUPLEX?—19. JUSTE UNIONIS CAUSÆ, QUÆ?—20. SOLEMNITATES IN EA FACIENDA NECESSARIÆ.—21. QUIS UNIONEM RECTE EXPEDIAT?—22. DIVISIO BENEFICIORUM, EJUSQUE CAUSÆ, ET SOLEMNITATES.

18.

**P**LURIUM Ecclesiarum, vel beneficiorum conjunctio, quæ à legitimo Superiore justa ex causa facta est, beneficiorum *unio* appellatur. Ea vel temporanea, ac personalis, vel perpetua, ac

realis est. Personalem, qua plures, veluti pallio ad beneficiorum multitudinem obtegendam, abutebantur, Synodus Tridentina (1) rejecit: perpetua, quæ rite, atque ex justis causis fiat, ecclesiasticis legibus probatur. Hæc autem conjunctio tribus modis fieri solet: *confusione*, cum duæ, pluresve Ecclesiæ, aut beneficia ita coagmentantur, ut ex pluribus una Ecclesia, aut unum beneficium fiat; *subjectione*, cum unum beneficium alteri subjiçitur, ita ut ei quasi fundus accedat, et ejus privilegii consuetudine naturam assumat; denique alia est unio quæ dicitur *æquè principalis*, cum neutrum beneficium alteri subjiçitur, neque duo beneficia in unum quasi corpus coalescunt, sed utraq; integra manent, suumque retinent gradum, ac titulum, sed ab uno eodemque ministro reguntur. Hoc modo cathedrales præsertim Ecclesiæ conjungi solent (a).

(a) V. Concord. 1851 art. 7, tom. 1 pag. 116.

19. Ecclesiarum, et beneficiorum conjunctio non nisi ex justa causa, atque adhibitis solemnitatibus fieri debet (1). Justa causa est evidens Ecclesiæ necessitas, aut utilitas, puta si duo beneficia tenues habent redditus, ex quibus vivere duo clerici nequeant (2), si valde sit deminutus populi numerus (3), si Ecclesiæ temporis, vel hostiam injuria vastatæ sint (4), si redditus necessarii sint ad adolescentes in seminariis educandos, vel alias ad Dei cultum sustinendum (5). Gravioribus autem requiruntur causæ, ut curata, quam ut simplicia beneficia jungantur; quin etiam beneficia sunt, quorum plane vetita conjunctio est. Nam diversarum beneficiorum dioceseon coagmentari nequeunt (6), neque item licet conjungere beneficia curata Monasteriis, Abbatibus, Dignitatibus, Præbendis Canonorum, hospitalibus, aliisque collegiis, (7), beneficia autem liberæ collationis, beneficiis juris patronatus, ne et ipsa juripatronatus obnoxia evadant (8).

- (1) Can. 25 c. 1 q. 7.
- (2) S. Gregorius M. l. 2 Ep. 50 ad Joan. Episc. Velitern. opp. t. 2 col. 614 ed. Paris. indic. Concilium Tridentinum Sess. 24 c. 5 de Reform.
- (3) S. Gregorius M. cit. Ep. 50. Concilium Toletanum XVI, Can. 5 col. 1796 t. 5. Collect. Harduini.
- (4) Cap. 2 de Relig. domib.
- (5) Concilium Tridentinum sess. 25 c. 13, et sess. 24 cap. 15 de Reform.
- (6) Conc. Tridentinum sess. 24 c. 9 de Reform.
- (7) Conc. Tridentinum sess. 24 c. 13 de Reform.

\* Hæc beneficiorum collegiis facta unio, *incorporatio* vulgo nuncupatur: eamque, ob gravia inde emergentia incommoda, ægre tulerunt antiqua Ec-

clesiæ decreta: Ferd. Walter, *Jur. Eccl. Man.*, lib. 5, cap. 2. Tridentinis ea de re sanctionibus exequendis auxilium præstitit lex 2 tit. 16 lib. 1 *Novis. Compilat.* § «Por el mismo motivo.» Negotium tamen confecit Concordati 1851 art. 25; cujus en verba:

• Nullum Capitulum, aut Collegium ecclesiasticum adnexam habere poterit curam animarum: ideoque beneficia curata, et vicariæ perpetuæ, quæ antea *pleno jure* alicui Collegio conjuncta erant, deinceps juri communi omnimode subjiçientur.\*

(8) Conc. Tridentinum sess. 25 c. 9 de Reform.

20. Solemnitates pertinent ad vocandos, audiendosque omnes, quorum interest, atque ad legitimam ecclesiastici Superioris auctoritatem. Principio audiendus est Episcopus, cujus dioceseos beneficia jungenda sunt, vocandique, et audiendi sunt Abbates, Prælatique inferiores, et Patroni, sive ecclesiastici, sive laici, quorum est collatio, vel præsentatio, item beneficiorum uniendorum possessores, et capitulum Ecclesiæ cathedralis, sine cujus consensu Episcopus graviora negotia expedire non potest (1).

(1) Capituli tamen consensum supplere solet Sedes Apostolica, vel Sacra Congregatio Concilii. Consule Carolum Galiardum *de Benefic. c. 4 n. 51.*

21. Legitima unionum faciendarum potestas penes Summum Pontificem, atque Episcopum est. Cathedrales Ecclesias tantum conjungit Summus Pontifex, qui etiam cetera beneficia conjungendi amplam habet potestatem. Episcopus beneficia consociat suæ dioceseos, exceptis illis, quæ ab ejus jurisdictione exempta sunt, quæque Sedi Apostolicæ immediate sunt subjecta, aut perpetuo reservata (1). Cavere autem in primis Episcopus debet, ne suæ mensæ beneficia conjungat, propter lucri suspensionem, à qua abhorreere debet (2).

(1) Beneficia, quæ Sedi Apostolicæ perpetuo reservata non sunt, ab Episcopo uniri posse, modo hæc unio fiat ante eorum vacationem, tradit Garcia *de Benefic. par. 12 c. 2 n. 102*, atque ita à Sacri. Congregatione Concilii definitum testatur. Consule Fagnanum ad cap. 8 de *Exces. Prælat. n. 22* et seq., et Giraldum *Expos. Jur. Pontific. par. 2 sess. 57 p. 878*; in primis autem consule, qui ea de re accurate disputat, Benedictum XIV, *de Synod. dioc. l. 9 c. 7*. Episcopi vero Italiæ, ac finitimarum Insularum, cum beneficia Sedi Apostolicæ reservata seminariis unire volunt, servare debent legem ea de re editam à Benedicto XIII, in const. *Creditæ nobis cælitus* 67 t. 11 p. 409. Bullar. Roman. ed. sæpe cit.

(2) Clement. 2 de *Reb. eccles. non alien.*

22. Conjunctio Ecclesiarum, ac beneficiorum opponitur eorum *divisio*, per quam ex una Ecclesia, aut beneficio duo

efficiuntur. Divisio hæc generatim est velita, nisi ea postulet justa causa utilitatis, et necessitatis (1). In ea perficienda vocandi, audiendique sunt omnes, quorum interest, ac necessaria est auctoritas ejusdem; à quo conjunctio decernitur. Imo si non amplius existat causa, propter quam conjunctio facta est, puta quod cessaverit paupertas, aut vastatio, illa recte dissolvitur. Tunc autem beneficia recuperant naturam suam, eorumque collatio, ac præsentatio ad illos redit, quorum ante unionem fuerat, nisi forte aliud constitutum sit.

(1) Cap. 8, 26, 56 de Præben.

(N. S. In Hispania jam olim interdictæ fuerant Beneficiorum, et Præbendarum uniones; eæ nimirum, quæ fieri consueverant per suppressionem, vel extinctionem, vel propria Capitulorum auctoritate: ut in Syn. Tolet. an. 1524, cap. 3; vel Sedis Apostolicæ dispensatione; ut in Lege 5 tit. 15 lib. 1 *Novis. Compilat.* At quia Beneficiorum uniones necessariae prorsus in omnibus pene Hispaniarum Ecclesiis jam evaserint, Episcopi, à Supr. Castellæ Senatu admoniti per Litteras encyclicas die 12 Junii an. 1769, iterumque an. 1777, in peragenda Beneficiorum unione incumbunt, iis ab eod. Supr. Senatu præscriptis Canonibus:

1. Quod Parochis præ aliis Clericis, unita Beneficia adjudicentur, prout decrevit Syn. Trident. Sess. 21 Ref. cap. 5. et jam pridem Vallisolet. cap. 19, his verbis: «In Ecclesiis, in quibus Beneficia indebite sunt divisa, quum plurimis Clericis ipsarum Ecclesiarum non sufficiant facultates, quando portiones hujusmodi vacare contigerit, uniantur, et assignentur Curato, donec provisionem habeant competentem.» Vel deficientibus Beneficiis, quædam ex Decimis, aut Primitiis deducta portio designetur, uti eadem Syn. Trident. constituit Sess. 24 Ref. cap. 15, usque dum redditus Parocho assignati statum exsuperent, nedum exæquent, congruam, eo quod ille ob majus, quod in Ecclesiæ ministerio servitium impendit, et quo possit urgentibus Parochianorum necessitatibus subvenire, potiori dignus sit remuneratione. Ad rem Syn. Vallisolet. laud. cap. «Statuimus, ut in qualibet Ecclesia uni Cura ipsius Ecclesiæ principaliter, per eum ad quem de jure pertinet, committatur, cui per providentiam Prælati taliter provideatur, quod de redditibus Ecclesiæ possit honeste vivere, et onera Curæ, et alia incumbentia supportare.»

2. Ut quantum fieri possit, Beneficia, vel Capellaniam extra Ecclesias, in quibus instituta sunt, non educantur, nisi forsitan pro Seminarii Episcopalis dote, pauperumque Ecclesiarum fabrica, Hospitalium, aliorumque id genus piorum operum conservatione, ac nisi alia non suppetat via, qua congrua Parocho sustentatio assignetur.

3. Quod Beneficia, et Capellaniam, quæ tertiam non habuerint congruæ partem, juxta Bullam Innocentii XIII *Apostolici Ministerii*, supprimantur, ita ut Beneficiorum redditus, Seminariorum, Ecclesiarum indigentium, Parochorum, puellarum orphanarum, Hospitalium, aut inferiorum scholarum doti deputentur; Capellaniarum vero fructus in Legata Pia referantur, quin ex eo illis, qui horum Beneficiorum, aut Capellaniarum redditus percipient, ab onerum illis adjectorum adimplerione dispensentur.

4. Ad unionem liberæ collationis Beneficiorum, Capituli Ecclesiæ Cathedralis adsensus expectetur, nisi contraria fuerit consuetudo; in Patronatus vero particularis, ipsorum Patronorum consensus etiam exquiratur; quo cir-

ca hi monendi erunt per litteras, cum preceptorio duorum mensium termino; quo elapso, si consenserint, vel tacuerint, nisi alioqui causas justè præstetam dissensus, ad perficiendam unionem procedatur.

5. Id tamen non omittendum voluit ipse Supr. Castellæ Senatus, quod Episcopus ita probandas curet unionis causas, ut ad eam peragendam sufficientes fuisse constet; ne ad iteratam Beneficiorum divisionem relinquatur locus.

6. Demum Episcopi majorem solita constituent congruam, secundum communem rerum ad victum emendarum, quæ jam diu exerevit, in unoquoque loco æstimationem.

Beneficiorum Divisio tum fieri expedit, quum Beneficium oneribus nequit per unum satisfieri: cap. 3 de Ecclesiis ædific. et Trident. Sess. 21 Ref. cap. 4; quam quidem ab Episcopis tunc peragendam voluit Supr. Castellæ Senatus, in Litteris *ubi supra*, quum ob Parochianorum numerum, aut distantiam, unius Parochi opera non sufficiant. Id jam, juxta præfatas Canonicas sanctiones, constituit Syn. Tolet. an. 1565, Act. 2 Ref. cap. 27: «Quoniam in plerisque locis, causa commodioris agrorum culturæ, Parochiani ita dispersi sunt, ut nec diebus festis ad Parochialem Ecclesiam accedere, nec eis Sacramenta ministrari facile queant; curent Episcopi, ut Ecclesiæ opportunis locis erigantur, ad hoc ut Parochiani, sic dispersi, commode valeant, et Divina officia audire, et Sacramenta percipere..... Atque eadem ratione com. petens portio illis Sacerdotibus, ac Ministris assignetur, Episcoporum arbitrio, qui eisdem Ecclesiis noviter erectis erunt præficiendi, servata in omnibus his Decreti Tridentini forma, et Alexandri III Constitutione, quæ incipit: *Ad audientiam.*» Consonat Synod. Valent. sess. 4 tit. 3, cap. 14, alias 17. Huic Parochiarum divisioni Synod. Tolet. XVI, can. 5, hanc constituit regulam, *ut Ecclesia, quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat Sacerdotem; quæ vero minus decem mancipia habuerit, aliis confungatur Ecclesiis.*

Altera divisionis causa indicatur in præfatis Supremi Senatus Litteris: scilicet, quum Ecclesiæ, Manasteria, aut Collegia, quibus unita sunt Curata Beneficia, renunt perpetuos instituere Vicarios cum congruenti ab Episcopo assignata portione, prout decrevit Syn. Trident. sess. 7 Ref. cap. 7, et pro Parochiis, Præbendis, et Dignitatibus adnexis constituit Jo. Card. Legatus in Conc. Ilerdensi, in *Compil. Tarracon.* lib. 3 tit. 4, cap. 1: tunc enim Episcopi munus erit, Curatum Beneficium in pristinam restituere libertatem, prout etiam sanxit ead. Synod. Trident. sess. 25 Ref. cap. 16.

Ut divisio rata sit, ad eam conficiendam vocandi sunt Beneficiarius, et Patronus. Consensus etiam exquirendus est ab Ecclesia, vel ejus Syndico Ecclesiæ nomine, et à Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, quamvis ad ipsum non spectet Beneficium; quod si injuste dissentiant, divisio tamen perfici poterit: Trid. laud. Sess. 21 Ref. cap. 4 Beneficia separari nequeunt, nisi unaquæque dissecularum pars proventus habeat, eosque certos, ad congruam Clerici alimoniam sufficientes: Syn. Vallisolet. cap. 9 et cap. 28 de *Præbendis.*

Ad Episcopos spectat Beneficiorum divisionem, quum vera interesset causa, peragere. Trident. *indic.* cap. 4. Majorum vero Beneficiorum partitiones jure optimo Romani Pontificis judicio reservatæ sunt; argum. cap. 1 *Ne Sede vacante* etc. Qua de re, diuturnis extinguendis contentionibus, Pius V Barbastrensem Ecclesiam in Episcopalem erexit, et ab Oscensi, cujus antea fuerat Archiepiscopatus, segregavit: Gelsonensis etiam ab Urgellensi, Santanderensis à Burgensi, Abbatia S. Ildephonsi à Segoviensi, et Capellania Major Regiæ Aulæ, à Toletana, aliæque sejunctæ sunt, idque Apostoli-



ca Sedis auctoritate. — Pariter an. 1819 divisus, Pii VII P. auctoritate, Canariensis Episcopatus, et Nivariensis (el de Tenerife) erectus: v. novis. Concordati art. 7, tom. I pag. 116, ejus vi res ad pristinum statum revocatur.

Quod ad parochias attinet, ipsarum novam ordinationem decrevit laudata Conventio, art. 24, cujus litteram habes:

« Ut ubique locorum in Regno cultui religioso, et spiritualibus fidelium necessitatibus integre ac debita sollicitudine satisfiat, Archiepiscopi et Episcopi, in suis quisque Diocesisibus, ad novam parochiarum ordinationem et circumscriptionem absque mora deveniant; habita ratione ad extensionem et naturam territorii, ac populi, caeterasque locales circumstantias, auditis etiam ad hoc Capitulis Cathedralibus, propriis regionum Archipresbyteris, et Tribunalium ecclesiasticorum Fiscalibus, aeque omnibus demum, quantum in ipsis est, curis adhibitis, ut res, quam primum fieri possit, perfecta haberi, et Majestatis Suae Gubernio praeve accedente, ad effectum perducere valeat. »

Ad rem est Reg. decret. 21 Nov. 1851, ubi parochiarum in urbanas ac rurales divisio, antea memorata, stabilitur.

Quod isthic de praestando a Gubernio parochiarum ordinationi adsensu declaratur, universali Regio in Hispan. Ecclesias ac beneficia Juripatronatus, consequens est.

V. Reg. decret. 24 Febr. an. 1844.

### SECTIO III.

#### DE COMMENDIS BENEFICIORUM.

25. AD 26. COMMENDARUM ORIGO, ET EARUM CONCEDENDARUM CAUSAE.—27. VARIA DE HIS DECRETA.—28. A QUO DENTUR COMMENDAE, ET QUALIS NUNC EARUM NATURE SIT?—29. CLERICI COMMENDATarii.

25.

**B**ENEFICIA interdum clericis commendantur; unde ortae beneficiorum commendae, quarum origo sane vetus est. Inilio commenda erat custodia, aut administratio vacantis Ecclesiae, quae tamdiu obtinebat, quamdiu ea careret Episcopo, a quo regeretur (1). Simili modo commendabantur parochiae, et monasteria; atque haec commendae ad tempus erant, quoniam certo tempore cessabat causa, propter quam institutae fuerant (2).

(1) S. Ambrosius Ep. 2 col. 789 ed. cit. t. 5. «Commendo tibi, Fili, inquit, Ecclesiam, quae est ad Forum Cornelli, donec ei ordinetur Episcopus.»

(2) Vide Concilium Aurelianense III, Can. 18 apud Labbæum t. 5 col. 4279 ed. Ven., S. Gregorium M. Ep. 53 l. 2, et Ep. 21 l. 6 opp. t. 2 col. 601 et 308 ed. indic. Can. 16, 17, 18, 28 Dist. 61.

(N. S. Sed praecipua Commendarum semina invenimus in Syn. Rhegiensi an. 459, Can. 5, in quo sancitum est, «ne quis ad eam Ecclesiam, quae Episcopum perdidisset, nisi vicinae Ecclesiae Episcopus exsequiarum tempo-

re, accederet, qui tamen statim Ecclesiae ipsius curam districtissime gereret, ne quid ante ordinationem discordantium in novitatibus Clericorum subversioni liceret. » Vides hic originem, et causam Commendarum, ac pristina Commendatariorum jura descripta. Hujus Canonis vestigiis inhærens, Synodus Valentina an. 546, Can. 2, id ipsum secundum Rhegiensis Synodi Constituta decrevit. Quin et Canone 4, Episcopum vicinum, cui Ecclesiae Pastore viduata cura commissa erat, Commendatorem adpellat).

24. Perpetuae dabantur commendae, cum eas perpetua causa postularet. Ita cum hostium impetu vastatae fuissent cathedrales Ecclesiae, atque illinc Episcopi discedere debuissent, Romani Pontifices vel illos aliis praeficiebant cathedralibus Ecclesiis, quae tunc vacarent, vel etiam ipsis Abbatias perpetuo commendabant, ut ex earum redditibus decenter viverent, ac simul Episcopalem potestatem exercerent (1). Sunt et alia commendarum, quae quidem perpetuae erant, exempla, potissimum cum clericus non tantum ex beneficio haberet, quantum ei esset necessarium (2). Itaque justis de causis commendae institutae sunt, neque eas improbare quis potest, cum Episcopatus, parochiae, monasteria commendantur Episcopis, et clericis ordine insignitis, quem beneficium postulat.

(1) S. Gregorius M. Ep. 13 l. 3 col. 653 opp. tit. 2 ed. Paris. 1705. Agnellum, Fundorum Episcopum, vastata ab hostibus ejus civitate, Terracinensis Ecclesiae Episcopum constituit, «ita ut, inquit, Fundensis Ecclesiae Episcopus esse non desinas, nec curam, gubernationemque ejus praetercas.» Itaque duplex uni Episcopo Ecclesia, altera in titulum, altera in commendam data est. Similiter cum Paulinus, Tauri in Sicilia Episcopus, post civitatem a barbaris vastatam, Messanam secessisset, ibi ei monasterium a Gregorio M. commendatum est: l. 1 Ep. 40 col. 528 opp. t. 2 ed. indic.

(2) Multa hujus rei exempla sunt apud Joannem Diaconum in Vit. S. Gregorii M. l. 5 c. 22 l. 4 c. 86, 90, 95, 97 col. 65, 177, 180, 185 tit. 4 opp. S. Gregorii. Monasterium etiam S. Martini Episcopo commendatum fuisse, tradit Anastasius Bibliothecarius. Ita enim ille Martino Episcopo Narniensi, et Abbati cenobii S. Martini, suam de Martini P. exilio historiam in Biblioth. PP. t. 12 p. 842 ed. Lugdun. inscripsit: «quia, cum Episcopatus apice, Praepositura sanctitati tuae, ob meritum summæ religionis, B. Martini monasterii penes urbem positi, est a Summis Pontificibus delegata.» Beda quoque, Hist. l. 4 c. 18 p. 502 ed. Cantabrig. 1645, memorat Joannem, Archiepiscopum Ecclesiae S. Petri, et Abbatem cenobii S. Martini Romae, quem Agatho Summus Pontifex in Angliam misit. Quin etiam cathedrales Ecclesias interdum Abbatibus commendatas constat; atque hujus rei, praeter ceteros, monumenta sunt apud Du-Chesnum in Vita S. Leodegarii p. 604 et 618 t. 1. Hist. Franc. e.l. Paris. 1656.

25. Verum lapsu temporum laici ecclesiastici bona invadere coeperunt, potissimum vero Principes ea militibus commendabant, ut opes ad gerendum bellum haberent (1). Pravam hunc

ca Sedis auctoritate. — Pariter an. 1319 divisus, Pii VII P. auctoritate, Canariensis Episcopatus, et Nivariensis (el de Tenerife) erectus: v. novis. Concordati art. 7, tom. I pag. 116, ejus vi res ad pristinum statum revocatur.

Quod ad parochias attinet, ipsarum novam ordinationem decrevit laudata Conventio, art. 24, ejus litteram habes:

« Ut ubique locorum in Regno cultui religioso, et spiritualibus fidelium necessitatibus integre ac debita sollicitudine satisfiat, Archiepiscopi et Episcopi, in suis quisque Diocesisibus, ad novam parochiarum ordinationem et circumscriptionem absque mora deveniant; habita ratione ad extensionem et naturam territorii, ac populi, caeterasque locales circumstantias, auditis etiam ad hoc Capitulis Cathedralibus, propriis regionum Archipresbyteris, et Tribunalium ecclesiasticorum Fiscalibus, aeque omnibus demum, quantum in ipsis est, curis adhibitis, ut res, quam primum fieri possit, perfecta haberi, et Majestatis Suae Gubernio praevis accedente, ad effectum perducere valeat. »

Ad rem est Reg. decret. 21 Nov. 1851, ubi parochiarum in urbanas ac rurales divisio, antea memorata, stabilitur.

Quod isthic de praestando a Gubernio parochiarum ordinationi adsensu declaratur, universali Regio in Hispan. Ecclesias ac beneficia Juripatronatus, consequens est.

V. Reg. decret. 24 Febr. an. 1844.

SECTIO III.

DE COMMENDIS BENEFICIORUM.

25. AD 26. COMMENDARUM ORIGO, ET EARUM CONCEDENDARUM CAUSAE.—27. VARIATA DE HIS DECRETA.—28. A QUO DENTUR COMMENDAE, ET QUALIS NUNC EARUM NATURE SIT?—29. CLERICI COMMENDATarii.

25.

**B**ENEFICIA interdum clericis commendantur; unde ortae beneficiorum commendae, quarum origo sane vetus est. Inilio commenda erat custodia, aut administratio vacantis Ecclesiae, quae tamdiu obtinebat, quamdiu ea careret Episcopo, a quo regeretur (1). Simili modo commendabantur parochiae, et monasteria; atque hae commendae ad tempus erant, quoniam certo tempore cessabat causa, propter quam institutae fuerant (2).

(1) S. Ambrosius Ep. 2 col. 789 ed. cit. t. 5. «Commendo tibi, Fili, inquit, Ecclesiam, quae est ad Forum Cornelli, donec ei ordinetur Episcopus.»

(2) Vide Concilium Aurelianense III, Can. 18 apud Labbæum t. 5 col. 4279 ed. Ven., S. Gregorium M. Ep. 53 l. 2, et Ep. 21 l. 6 opp. t. 2 col. 601 et 308 ed. indic. Can. 16, 17, 18, 28 Dist. 61.

(N. S. Sed praecipua Commendarum semina invenimus in Syn. Rhegiensi an. 459, Can. 5, in quo sancitum est, «ne quis ad eam Ecclesiam, quae Episcopum perdidisset, nisi vicinae Ecclesiae Episcopus exsequiarum tempo-

re, accederet, qui tamen statim Ecclesiae ipsius curam districtissime gereret, ne quid ante ordinationem discordantium in novitatibus Clericorum subversioni liceret. » Vides hic originem, et causam Commendarum, ac pristina Commendatariorum jura descripta. Hujus Canonis vestigiis inhærens, Synodus Valentina an. 546, Can. 2, id ipsum secundum Rhegiensis Synodi Constituta decrevit. Quin et Canone 4, Episcopum vicinum, cui Ecclesiae Pastore viduata cura commissa erat, Commendatorem adpellat).

24. Perpetuae dabantur commendae, cum eas perpetua causa postularet. Ita cum hostium impetu vastatae fuissent cathedrales Ecclesiae, atque illinc Episcopi discedere debuissent, Romani Pontifices vel illos aliis praeficiebant cathedralibus Ecclesiis, quae tunc vacarent, vel etiam ipsis Abbatias perpetuo commendabant, ut ex earum redditibus decenter viverent, ac simul Episcopalem potestatem exercerent (1). Sunt et alia commendarum, quae quidem perpetuae erant, exempla, potissimum cum clericus non tantum ex beneficio haberet, quantum ei esset necessarium (2). Itaque justis de causis commendae institutae sunt, neque eas improbare quis potest, cum Episcopatus, parochiae, monasteria commendantur Episcopis, et clericis ordine insignitis, quem beneficium postulat.

(1) S. Gregorius M. Ep. 13 l. 3 col. 653 opp. tit. 2 ed. Paris. 1705. Agnellum, Fundorum Episcopum, vastata ab hostibus ejus civitate, Terracinensis Ecclesiae Episcopum constituit, «ita ut, inquit, Fundensis Ecclesiae Episcopus esse non desinas, nec curam, gubernationemque ejus praetercas.» Itaque duplex uni Episcopo Ecclesia, altera in titulum, altera in commendam data est. Similiter cum Paulinus, Tauri in Sicilia Episcopus, post civitatem a barbaris vastatam, Messanam secessisset, ibi ei monasterium a Gregorio M. commendatum est: l. 1 Ep. 40 col. 528 opp. t. 2 ed. indic.

(2) Multa hujus rei exempla sunt apud Joannem Diaconum in Vit. S. Gregorii M. l. 5 c. 22 l. 4 c. 86, 90, 95, 97 col. 65, 177, 180, 185 tit. 4 opp. S. Gregorii. Monasterium etiam S. Martini Episcopo commendatum fuisse, tradit Anastasius Bibliothecarius. Ita enim ille Martino Episcopo Narniensi, et Abbati cenobii S. Martini, suam de Martini P. exilio historiam in Biblioth. PP. t. 12 p. 842 ed. Lugdun. inscripsit: «quia, cum Episcopatus apice, Praepositura sanctitati tuae, ob meritum summæ religionis, B. Martini monasterii penes urbem positi, est a Summis Pontificibus delegata.» Beda quoque, Hist. l. 4 c. 18 p. 502 ed. Cantabrig. 1645, memorat Joannem, Archiepiscopum Ecclesiae S. Petri, et Abbatem cenobii S. Martini Romae, quem Agatho Summus Pontifex in Angliam misit. Quin etiam cathedrales Ecclesias interdum Abbatibus commendatas constat; atque hujus rei, praeter ceteros, monumenta sunt apud Du-Chesnum in Vita S. Leodegarii p. 604 et 613 t. 1. Hist. Franc. e.l. Paris. 1656.

25. Verum lapsu temporum laici ecclesiastici bona invadere coeperunt, potissimum vero Principes ea militibus commendabant, ut opes ad gerendum bellum haberent (1). Pravam hunc

morem, quem, invita Ecclesiastica jurisprudentia, turbulenta illa ætas induxerat, prorsus tollere studuerunt concilia ea tempestate habita; præsertim vero Romani Pontifices diligentem dedere operam, ut ad Ecclesiam redirent, quæ violenter à laicis occupata fuerant (2). Ita factum est, ut sua denique Ecclesiæ restituerentur bona; et tunc potissimum clericis multa sunt commendata eorum, quæ pridem laici arripuerant; præsertim cum graves essent causæ, propter quas commendæ non permittendæ solum, sed etiam probandæ viderentur.

(1) Consule Thomassinum Ven. et nov. Eccles. disciplin. par. 21. 5 c. 12.

(2) Late hæc omnia persequitur Thomassinus l. cit. cap. 10 ad 21.

(N. S. Sæculo IX perversus usus invaluit, ut beneficia, ac præsertim monasteria, laicis etiam, ac sæpe militibus profunderentur. Hujusmodi abusus in Galliis potissimum, Regum Francorum ævo, grassata est: Thomass. P. 5 Lib. 2 cap. 43 et 44. Rom. autem Pontificum opera, atque etiam Episcoporum in Synodis per ea tempora habitis, laicales Commendæ prorsus abolitæ sunt:—præcipue vero in Synod. Cojac. an. 1050, Cap. 3, et ab Alphonso Nostro Leg. 3 Tit. 14 Part. 1;—qua in re etiam enituit Hugonis Capeti pietas, de quo in *Fragm. Hist. Aquit. apud Duchesnum* Tom. 4 pag. 80: «Ecclesiis, Monasterisque jus electionis, et redditus restituisse, tum et à Proceribus restitui curasse; quamobrem Ecclesiæ S. Amator adpellatus fuit.»)

26. Scilicet ab infidelibus iterum occupatis Locis Sanctis, et inde ejectis Episcopis, opportunum visum est alios ipsis in Italia, et alibi Episcopatus, aut Abbatis commendare, ut his redditibus vitam ducerent. Accessit studium restaurandæ monasticæ disciplinæ, quæ in pluribus monasteriis pene sublata, extinctaque erat, et plures etiam clerici sibi commendata monasteria acceperunt, ut ea tuerentur, atque defenderent. Neque vero Summi Pontifices, aut Concilia factum suum improbari unquam posse existimabant, cum Episcopis, aut aliis clericis dabant redditus, et fundos, qui ad Regulares pertinebant. Illud ipsis curæ erat, ut laici Ecclesiæ bona non diriperent; sed semper amplam Ecclesiæ potestatem esse putarunt tribuendæ ecclesiastica bona inter clericos, quibus ea magis, pro temporum, locorum ac personarum ratione, concedenda videbantur (1).

(1) Commendæ neque laudari, neque improbari generatim possunt, uti animadvertit Rigantius in Reg. 43 Cancellar. n. 49; et sæpe multæ sunt causæ, quæ illas non tantum utiles, sed etiam necessarias faciunt. Synodus Tridentina rem omnem ex prudentia, ac pietate Romani Pontificis, atque ex temporum ratione, æstimari voluit. Hinc Sedes Apostolica nonnisi ex justis causis, rerumque, ac locorum habita ratione commendas concedit; quin etiam sæpe ab ea rejectas constat preces ipsas Principum, qui commendas postulabant: adeo falsum est Romanos Pontifices, uti eos aliqui calumnian-

tur, facile, ac sine delecta regularia beneficia clericis sæcularibus commendasse. Cuncta hæc late expendit Rigantius l. c. n. 49 et seq. Multa etiam de commendis habet Natalis Alexander *Histor. Eccles. sæc. 15 et 16 c. 7 art. 4 p. 195 seq. et Dissert. 12 art. 9 p. 552 t. 9 ed. cit.*

27. Aliquando tamen valde auctus sine justa causa commendarum numerus, mala intulit, quæ oportuit remove. Itaque Clemens V. commendas sustulit, quæ non bene cognitæ, expensisque rebus, datæ fuerant (1), et Benedictus XII., ac Leo X., commendas abrogarunt, quas in perniciem monasteriorum, atque ecclesiasticæ disciplinæ redundare animadverterunt (2). Synodus Tridentina monasteria in posterum vacatura, tantum spectatæ vitæ Regularibus concedi jubet, eaque monasteria, quæ sunt capita, ac primates Ordinum, jure commendæ aliquem retinere prorsus vetat; reliqua vero monasteria jam commendata, quæ suos habent conventus, Romano Pontifici committit, ut iis pro sua pietate, et prudentia, Regulares præficiat, quantum ratio temporum ferre potest (3).

(1) Extravag. 2 de Præben. int. Commun.

(N. S. Sane quum idem Clemens V. in Concilio Viennensi Templariorum Ordinem extinguere decrevisset, ac duobus Regni Aragonum Archiepiscopis, Valentino, et Tarraconensi, injunxisset, quod redditus, quos iidem Fratres in præfato Regno obtinebant, sub se in Commendam susciperent, donec cui tradendi essent, ipse nuntiaret (uti refert Josephus Blanc in *Archiepiscopolog. Tarracon. apud Aguirre Tom. 5 pag. 253*); hinc factum est, ut Commendarum usus, nedum non extingueretur, sed altiores egerit radices. Id dumtaxat, in tanta abusionum præpotentia, decernere potuerunt Hispaniarum Patres, ut secundum Viennensis, et Lugdunensis Concilii Decreta, laici, qui Ecclesias sub specioso Commendarum titulo possidebant, restituerent. Ita constitutum est in Syn. Palent. an. 1588, Cap. 4, et Gerund. an. 1402, in Compil. Tarracon. *Constit. Superfl. ex Lib. 5 Tit. de Rebus Eccles. cap. 2*. Reges etiam eaveri voluerunt, ne laici Episcopatum, et Monasteriorum Commendas susciperent; quin et ejusmodi concessiones irritas declararunt Alphonsus XI, an. 1586, Joannes I, an. 1590, et Henricus II, an. 1411 *Leg. 2 et 3 Tit. 17 Lib. 1 Novis. Compilat.* Apud Cantabros in Hispania, laici Commendatas adhuc habent Ecclesias, seu ut ipsi vocant, Monasteria: *Leg. 2 Tit. 52 Fori de Vizcaya*. Tum et in Equestri Ordine S. Joannis Hierosolymitani, ac in quatuor Militaribus S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, et Montesiæ, et in aliis, quorum inter Fratres plures tributa sunt Commendæ reddituum Ecclesiasticorum; verum hi, conjugati licet, mere laici non sunt, sed potius Regulares, quum in plerisque Regularium privilegiis fruuntur; tametsi in id Commendarum genus acriter invehatur Jo. Mariana *Hist. Lib. 26 cap. 5*).

— In Hispania, sicuti beneficia, ita et commendas, nonnisi *regnicolis conferendas* esse, lex 1 tit. 14 lib. 1 *Novis. Compilat.* ac Concordat. an. 1753 statuebant.—Sed de hoc consule novis. Concordati 1851 art. 59, n. 3, cum aliis ad calcem tit. 15 hujus lib. insertum.

(2) Vide Raynaldum ad an. 1555 n. 67, et ad an. 1555 n. 51 p. 49, 199 et 590 t. 25 ed. Lucæ, et Bullam Reformationis editam à Leone X. in Concilio Lateranensi V: t. 9 conc. col. 1747 collect. Harduini.

(3) Conc. Tridentinum sess. 21 de Regular.

28. Hodie justis de causis commendæ dantur; et dantur ab uno Romano Pontifice, cui tantum potestas est relaxandi canones qui regularia beneficia clericis sæcularibus concedi velant (1). Verbis autem potius, quam re nunc à beneficiis Commendæ differunt, quoniam et hæ in perpetuum dantur, et titulum præstant ad ordines suscipiendos (2), et clerici commendarii iisdem ferme prærogativis, ac juribus, quibus beneficiarii, fruuntur. Quare liberam habent redituum administrationem, et jus præsentandi, eligendi, conferendi; verum monasteria visitantur à regularibus superioribus, quibus subsunt, atque ad eos regimen et cura pertinet regularis instituti (3).

(1) Cap. 27 de Elect. cap. Cum de beneficio, de Præben. in 6: Consule Tridentinum sess. 14 c. 10 de Reform.

(2) Consule Giraldum Expos. Jur. Pontific. par. 2 sect. 54 n. 7 p. 374.

(3) Concilium Tridentinum sess. 25 c. 20 de Regular. Vide etiam Constitutionem Pastoralis, 185, Innocentii X. in Bullar. t. 6 par. 3 p. 281, et Constitutionem Exponi 29 Alexandri XII. t. 6 par. 4 Bullar. p. 51.

29. Clerici commendis aucti, ut plurimum, suam habent mensam à conventuali distinctam (1), et quartam ejus partem in Ecclesiæ necessitates, aut in pauperum alimenta conferre debent (2). In Gallia coguntur sacros ordines suscipere; similiter in Italia, aliisque regionibus ad sacros capiendos ordines, et ad assiduam quoque moram adiguntur, ubi commendis animarum cura, vel monachorum, vel sæcularium adjuncta sit (3). Semper autem beneficia commendata pristinam relinunt naturam suam, quamquam longo usu iis concedantur, qui ejusdem ordinis, atque instituti, ac veri titulares non sunt.

(1) Gregorius XIII. Const. Superna, 28 §. 9. Bullar. t. 4 par. 3 p. 275. Quæ constitutio quamquam loquatur de monasteriis Ordinis Cisterciensis; tamen conveniens est, inquit Fagnanus in c. 21 de Rescript. n. 2, ut servetur etiam in aliis ordinibus monachorum.

(2) Id vero pertinet ad monasteria commendata, quæ mensam habent separatam; nam cum communis mensa est, dari debet tertia pars omnium fructuum monasterii commendati pro omnibus illis oneribus supportandis et sustentatione monachorum, ut inquit Leo X., Constit. Superna 8 §. 10 Bullar. t. 3 par. 5 p. 596 ejusd. ed. sæpe cit.

(5) Consule Fagnanum in c. 1 de Capel. monachor. n. 1 et seq., qui recte animadvertit, quod residentia lege tenetur, sacrosque ordines suscipere debet Commendatarius, cum ad ipsum, non item, cum ad monasterium, et conventum cura animarum pertinet. Vide etiam Gallemart, Adnot. ad Concil. Trident. sess. 6 c. 2 de Reform.

(4) Vid. Fagnanum l. c. n. 16.

## SECTIO IV.

### DE PENSIONIBUS ECCLESIASTICIS.

50. PENSIO, QUID?—31. QUIS PENSIONEM CONSTITUAT?—32. PENSIO REALIS, ET PERSONALIS.—33. QUIBUS DE CAUSIS PENSIONES IMPONANTUR?—34. QUÆ BENEFICIA PENSIONIBUS NON SUBJACIANTUR, ET QUIS EAS HABERE POSSIT?—35. QUOMODO PENSIO EXTINGUATUR.

30.

**P**ENSIO in re canonica, est certa pars redituum, qui ex alieno beneficio detrahuntur, atque alicui clerico, justa de causa, et legitima auctoritate assignatur. Antiquissima est origo pensionum, et earum in Chalcedonensi (1), atque Ephesino Concilio (2) exempla sunt. Nam æquum judicarunt Patres, ut clerici pauperes, qui justis de causis Ecclesiæ suæ non deservirent, ex ecclesiasticis bonis alimenta obtinerent.

(1) Concilium Chalcedonense act. 10, 12, t. 2 Concil. col. 544, 562 collect. Harduini.

(2) Concilium Ephesinum act. 7, Epist. ad Synod. Pamphil. t. 4 Concil. col. 1625. collect. ejusd. Alia etiam occurrunt exempla pensionum, quæ concessæ sunt Episcopis, vel senio confectis, vel hostium impetu Sede pulsis, vel clericis in monasterium ad agendam poenitentiam conjectis, apud S. Gregorium M. l. 5 Ep. 55 l. 5 Ep. 12 l. 15 Ep. 5 col. 665, 757, 1218, opp. t. 2; et apud Joannem Diaconum in ejus Vit. l. 5 c. 27 et l. 4 c. 59 col. 97 et 152 t. 4 opp. ejusd. S. Gregorii M. ed. cit.

31. Initio pensiones detrahebantur ex Ecclesiæ redditibus, qui in unam arcam confluebant; ideoque Episcopus poterat, cum justa adesset causa, ex communi ærario horum redituum partem decerpere, eamque clericis non servientibus assignare. At institutis beneficiis, et singulis adscriptis redditibus suis, jus constituendarum pensionum ad unum Romanum Pontificem delatum est. Cum enim per pensiones beneficia scindantur, aut iis onus imponatur, quod utrumque sacris canonibus vetitum est (1); necessario requiritur auctoritas Summi Pontificis, qui relaxatis canonibus, pensiones constituat.

(1) Cap. 3 de Præben., cap. 7 de Censib. — Syn. Vallisol. cap. 9\*

32. Nunc igitur ab uno Romano Pontifice, pro ampla illa, qua in Ecclesia pollet, auctoritate, pensiones imponi possunt. Haud tamen desunt, qui etiam Episcopo hanc potestatem adscribunt (1); sed omnes inter pensionem à Pontifice, atque ab Episcopo impositam, magnum discrimen faciunt. Nam pensio Pontificis ipsi hæret beneficio, cum quo transfertur ad omnes ejus possessores; at Episcopi pensio solum afficit beneficiarium, cujus obitu extinguatur (2).

(1) Consule Vallensem de *Benefic.* l. 4 tit. 2; Garciam de *Benefic.* par. 1 c. 5 §. 2; et Fagnanum in c. 21 de *Præben.* n. 14 et seq., qui late, ac diligenter totum hoc argumentum persequitur.

(2) Monet tamen Fagnanus l. c. n. 31, quod *quidquid de jure sit, usus Sedis Apostolicae ubique receptus habet*, ut pensiones à solo Pontifice imponantur.

33. Justis autem de causis pensiones imponuntur, veluti si beneficium sit litigiosum, ita ut inter duos de eo litigantes concilianda concordia sit (1); si illud permutetur, aut resignetur (2); si clericus de Ecclesia sua benemeritis, aut inops sit, aut mala valetudine laboret; denique clerico Ecclesie utili pensio conceditur, ut inde honeste vivat. Pensio moderata esse debet, ut beneficiario supersint redditus, cum quibus vitam traducere possit, ac præterea beneficii onera sustinere. Hinc in beneficiis, ex quibus pensiones detrahuntur, sola tertia, aut dimidia fructuum pars à Pontifice reservari solet (3).

(1) Cap. 21 de Præben. cap. 5 de Transact.

(2) Cap. 4 de Cleric. ægrot. vel debilit. c. 6 de Rer. perm.

(3) Consule Fagnanum in c. *Nisi essent* de Præben. n. 27.

34. Cathedrales Ecclesias, quæ annuos ducatos mille, et parochiales, quæ centum suis fructibus non superant, Tridentina Synodus pensionibus onerari vetat (1). Sed nunc in parochiis omnibus indiscriminatim pensiones non imponuntur, ut Parochus integros habeat redditus, cum quibus pauperibus opem ferre possit (2). Quamquam autem pensiones proprie beneficia non sint, tamen beneficii loco sunt, quoniam ex ecclesiasticis bonis decerpuntur, et ideo non nisi clericis dantur (3), ac per matrimonium amittuntur, nisi quem Sedes Apostolica lege solverit (4). Porro clerici pensione ditati, officium B. Virginis quotidie recitare debent (5).

(1) Concilium Tridentinum sess. 24 c. 15. de *Reform.*

(N. S. Ad Hispanias quantum attinet, saluberrimo Concilii Trident. Decreto suum addidit Syn. Compost. an. 1565, Act. 5 cap. 41, quæ post recensitas abusiones, quas execrabilis invexerat cupiditas, hæc subdit: *Quæcumque de re hac à Sacro Tridentino Concilio constituta sunt, ea Prælati severe, ac diligenter exsequantur.* Verum iteratæ atque importunæ pro Pensionibus adsequendis interpellationes, priorem Pensionum concedendarum usum renovarunt. Reges nostri, qui huic abusioni exterminandæ animam intendentes, decreverant, ne Pensiones Hispanis beneficiis impostæ, exteris hominibus conferrentur, neque imponerentur Præbendis Theologali, aut Doctorali; Legg. 1 tit. 25, 1 tit. 15, lib. 1 *Novis. Compilat.*; id etiam cautum voluere, ne exteri, personam alterius Hispani hominis inducentes, Pensionum titulos adsequerentur: Leg. 1 tit. 19 dict. lib. 1. Nihilominus, nedum non extinctus Pensionum usus, sed et multiplicia in vecta sunt Pensionum concedendarum genera. Hac vero re in Comitibus debita opera pertractata, Legati à Philippo IV ad Urbanum VIII pro Pensionibus abolendis missi sunt an. 1655. Nihil non egere, ut Romana Curia à Pensionibus, Curatis præsertim Beneficiis, imponendis abstineret. Res nihilominus infecta remansit: Sanct. 4 n. 11 tit. 1 lib. 4 vulgo *Autos Acordados*; donec silentibus numquam Hispanorum Principum querelis, Innocentius XII Datarie ministris injunxit, ne ullum Curatum Beneficium Pensione gravarent. Res ista simul ac ad Carolum II Regem delata est, amplissimas per suum Legatum R. Pontifici gratias egit; quin et sperare se dixit, Pontificem, uti erat æqui, bonique consulens, decreturum tandem, quod ne ullis quidem Beneficiis ulla adjiceretur Pensio. Addeis leg. 5 tit. 25 lib. 1 *Novis. Compilat.*

Innocentius XII mandatum renovavit Benedictus XIII die 25 Septemb. an. 1724; sed Pensionum Beneficiis non Curatis imponendarum usus extinctus non est, usque dum Concordati lege an. 1755, quo Hispaniæ Beneficiorum Patronatum Catholico Regi Sedes Apostolica cessit, libera omnis Pensionum imponendarum facultas, etiam in quinquaginta duobus reservatis, cessavit ex art. 8 ejusd. Concord., nisi Regis, qua Patroni consensus adsequatur; id quod evincitur ex Leg. 6 tit. 17, et add. leg. 4, tit. 22, lib. 1 ejusd. Cod. Demum jus etiam obtinent Reges nostri, in solita consuetudine roboratum, Pensiones imponendi Archiepiscopatibus, et Episcopatibus. Videsis II. 8 ad 12 tit. 25 *ibid.*)

(2) Benedictus XIII, Const. *Quanta*, apud Ferrarium Bibliothec. verb. *Pensio*; qua porro constitutione confirmatum est edictum, quod pridem Innocentius XII ea de re emiserat.

(3) S. Pius V. Constit. *Sacrosanctum*, 98 t. 4 par. 5 p. 58 Bullar: et Sixtus V. Const. *Cum Sacrosanctam*, 141 §. 2 t. 5 par. 1 p. 45 ejusd. sæpe cit. ed. Rom. ult.

(4) Sunt qui privilegio Sedis Apostolicæ, ecclesiasticas pensiones retinent, quamquam uxorem habeant, et quamquam clericali tonsura insigniti non sint. Consule Ferrarium Bibliothec. verb. *Pensio*.

(5) S. Pius V. Const. *Ex proximo*, 186 §. 1 t. 4 par. 5 cit. Bullar. p. 180.

35. Pensio, tamquam ususfructus, extinguatur morte clerici, qui ea vivens fruebatur; nisi ipse à Sede Apostolica in alium transferendæ pensionis facultatem obtinuerit. Quo privilegio fruuntur Cardinales, et alii, quibus illud à Summo Pontifice

datum est: et hi quidem non integram pensionem, sed dimidiam ejus partem in alium transferre possunt (1). Tollitur etiam pensio per redemptionem, quæ fit representatis, hoc est mature factis aliquot annuis *pensionum* solutionibus; sed ea in re Summi Pontificis auctoritas necessaria est (2). Denique pensio amittitur Religionis professione, matrimonio, degradatione, crimine hæresis, aut læsæ majestatis, ceteris fere modis, quibus beneficia amittuntur (3).

(1) Innocentius XI, Const. *Circumspecta*, 32 t. 8 Bullar. p. 43.

(2) Verum intra sex menses post captam beneficii possessionem redimi, ac deleri pensiones velat Benedictus XIV Const. In sublimi, 50 t. 1 ejus Bullar. p. 43, ed. Romæ seu Ven. 1754.

(3) Confer Gabasut, *Theor. et prax. jur. Canon.* l. 2 c. 14 n. 15 et seq. Post Concordatum an. 1753, multis adhuc ac pinguibus pensionibus, in Hispania gravata existebant beneficia, maxime vero Episcopatus ac capitulorum Dignitates; quæ communiter in Hospitalium, Universitatum, aliorumve similium corporum utilitatem concessæ erant. Notandæ ea de re legg. 6 et 8 tit. 23 lib. 1 *Novis. Compilat.*; in quarum prima cautum, ne pensiones in privatorum commodum cedentes, aliis, quam 18 annis majoribus, ad sacerdotium tendentibus, præstari possent; et in altera, quomodo pensionatis illarum solutio fieri deberet, decernebatur.

At in præsentis rerum statu, Præsulum, necnon clericorum præbendis aliisque beneficiis gaudentium dotes, non nisi tenuibus deductionibus subfici æquum erat: novissimi ergo Concordati art. 57 hæc habet:

« Rata pars reddituum cuilibet Mensæ Episcopali pro tempore vacationis debita, deductis tum emolumentis, quæ respondeant Cæronomo per Capitulum ipso actu electionis Vicarii Capitularis deputando, tum sumptibus ad urgentem episcopalis Palatii restorationem requisitis, inter Seminarium Conciliare et futurum Prælatum, æqualiter dividetur.

« Simili ratione, ex redditibus, qui perdurante vacatione Dignitatum, Canoniatuum, Parochiarum, et Beneficiorum in singulis diocesisibus, maturant, substractis uniuscujusque oneribus, cumulus seu fundus efformabitur, Ordinarii dispositioni reservatus, unde extraordinariis et minime prævisis ecclesiarum ac cleri sumptibus, necnon urgentibus gravibusque Diocesis necessitatibus occurratur. Eundem in finem hujusmodi fundus seu cumulus augebitur etiam ex summa respondente duodecimæ parti annui cuiusque redditus, quam semel infra annum recens ad Præbendas, Parochias, aliaque Beneficia nominati conferre debebunt; cessando propterea qualibet alia deductione, quovis titulo, usu, statuto aut privilegio antea fieri solita.

Pro istius articuli executione, quantum ad exigendam duodecimam partem annui redditus (una *mesada*), statuitur Reg. decreto 29 Nov. 1851, ut ipsam præstare teneantur quicumque post diem 17. Oct. ejusd. an., qua ut lex promulgata supradicta conventio, præbendarum aut beneficiorum possessionem ceperint; ac Reg. ordinat. 6 Jun. 1852, quomodo talis deductio fieri debeat, tum præbendis auctorum, tunc eorum, qui alia beneficia adepti sunt, respectu, determinat. Quod vero attinet ad cumulum, de quo etiam loquitur articulus, vulgo *fondo de reserva*, Reg. ordinat. 2 Oct. proxime sequentis declaravit, locum illi efformando non esse respectu vacantium beneficiorum, animarum curæ inservientium, donec ad effectum perducat nova ipsorum ordinatio et pa-

rochiarum circumscriptio, art. 24 Concordati decreta: ac idcirco pro anno 1853 assignandam 1.600.000 argenteorum summam, extraordinariæ templorum reparationi addictam.\*

## SECTIO V.

### DE ADIPISCENDA BENEFICIORUM POSSESSIONE.

56. BENEFICII POSSESSIO CAPIENDA.—57. JURAMENTUM A BENEFICIARIO PRÆSTANDUM.—58. REGULA DE ANNALI POSSESSORE.—59. REGULA DE TRIENNALI POSSESSORE.

36.

**S**ATIS non est, aliquem beneficium obtinuisse, nisi is etiam ejus possessionem adipiscatur, ut fructus capiat, suosque faciat. Generatim qui beneficium conferendi, is etiam possessionis tradendæ jus habet; sed hoc plerumque alteri committi solet, et olim quidem ad Archidiaconum pertinebat (1). Cum possessio traditur, externa quædam adhibentur signa, quibus ea significatur. Ita ex. gr. Canonici accepto libro, pulsato tintinnabulo, ceterisque similibus signis, Parochi autem possessionem capiunt cum Ecclesiam ingrediuntur.

(1) Cap. 7 de Offic. Archidiacon.

37. Qui possessionem tribuit, merus minister est, qui rem totam gerit collatoris jussu, et auctoritate. Quare hoc tantum curat, ut collationis literæ exitum consequantur; neque ejus est judicare, num clericus beneficio donatus, eo sit revera dignus, an secus; nisi hoc forte negotium ei commissum fuerit, quia tunc non nisi re cognita beneficii possessio danda est (1). Capta possessione, qui beneficium obtinuerunt cum cura animarum, intra duos saltem menses coram Episcopo, aut ejus Vicario generali fidei professionem per semetipsos emittere debent (2); aucti vero Canoniatu, aut dignitate in Ecclesia cathedrali, non solum coram Episcopo, aut Vicario generali, sed etiam coram Capitulo idem præstant (3). Nisi id fiat, inutilis possessio est, neque fructus quis facit suos.

(1) Huc spectant literæ *in forma dignum*, aut *in forma commissaria*, de quibus actum est tit. 5 sect. 5. §. 42. p. 284. Vide etiam Garciam de *Benefic.*, p. 6 c. 2 n. 1 et seq.

(2) Fidei professio per procuratorem emitti non potest; qua in re emendandus est error illorum, qui id per procuratorem fieri posse arbitran-

tur. Consule Benedictum XIV, Instit. Eccles. 60 §. 5; et Gíraldum Exposit. jur. Pontific. par. 2 sect. 136 p. 1011.

(5) Concilium Tridentinum sess. 24 c. 12 de Reform. Pius IV, Const. In Sacrosancta, 102, et Const. Injunctum, 105 Ballar. t. 4 par. 2 p. 201 et 204. Canonici collegiarum Ecclesiarum hujus faciendæ professionis nulla lege obstringuntur; sed tamen etiam hi pluribus in locis, vel peculiari lege, vel consuetudine hanc professionem emittunt. Sic in locis, ubi obtinet Concilium Romanum habitum à Benedicto XIII an. 1725, multi sunt, qui ea lege tenentur. Confer Gíraldum l. c.

Novis Concordati art. 18. § final. (tom. 1 pag. 280) præceptum, ut ad qualibet beneficia nominati, institutionem, et canonicam collationem à propriis Ordinariis semper et omnino consequi teneantur. Mandatum de immit-tendo in possessionem, eorum quoque est expedire, etiam respectu digni-tatum ac præbendarum, quæ Sanctæ Sedi citata Conventione reservantur: Decret. 5 Oct. 1852, R. Nuntio adsent. Ad præbendas nominati, titulum col-lationis, ac possessionis mandatum, ab Ordinario emanantia, Capitulo exhibere debent; et corporalem, ut ajunt, possessionem ab ipso corpore acci-piunt, jurejurando caventes de propriis officiis in iis, quæ ipsimet Concordato non opponantur, adimplendis.

38. Illud in primis efficit capta possessio, ut qui eam anni spatio retinuit, is inde dimoveri, aut beneficium alteri, qui illud impetrarit, adscribi nequeat, nisi primum lis pelilo-rio judicio finita sit. Quod jus constituit *Regula 35 Cancellariæ*, quæ vulgo dicitur *de annali possessore*, et quæ duabus constat partibus. Nam sancitum est primum, ut qui beneficium impe-trat, quod alter per annum tranquillo, et quieto animo retinuit, significare debeat nomen, et gradum possessoris, proferre causam apertam, et perspicuam, propter quam ei retinendi beneficii jus esse negat, temporis, quo in ea possessione versa-tus est, cursum ostendere; deinde ut intra sex menses posses-sorem in judicium vocet, et causam intra annum usque ad sen-tentiam persequatur.

(1) Consule Rigantium ad hanc Regul. 35.

39. Est et alia regula *de triennali possessore*, quæ inter re-gulas Cancellariæ est 36 numero, atque in re beneficiaria quadra-genariæ præscriptionis vice fungitur. Ea vero cautum est, ut qui procul à labe vitioque simoniæ trienni spatio beneficium obtinuit quovis titulo, etiam *colorato*, ut vocant, is nullis amplius mo-lestiis afficiat, neque à possessione dimoveri possit, atque omnes ejus beneficii *impetrationes*, quas dicunt, irritæ habeantur (1). Quæ triennalis possessio ut tantum valeat, peccata esse debet, eaque ut explorata sit, satis est ostendere possessionem, quam quis

revera adeptus est. Nam qui illam semel apprehendit, ac post triennium retinet, in ea semper perseverasse censetur, nisi se-cus ostendatur.

(1) Vide etiam Rigantium ad Regul. 56.

## TITULUS XV.

### DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS ET PROCURATIONIBUS.

1. CENSUS QUID?—2. QUANDO CENSUS AB EPISCOPO CONSTITUATUR?—3. CA-  
THEDRATICUM.—4. SUBSIDIUM CHARITATIVUM.—5. AD 8. PROCURATIO.—9. POR-  
TIO CANONICA.

1.

**N**ON solis aluntur Clerici beneficiorum fructibus, sed et alia habent emolumenta, aliasque obventiones, quibus fruuntur, ut honeste, ac decenter vivant. Eorum quedam ad Episcopos, quedam ad ceteros clericos pertinent. Proprii sunt Episcoporum census, quorum nomine hoc loco intelligitur certa vis pecuniæ, quæ ex redditibus ecclesiasticis solvenda est.

2. Porro Episcopus in Ecclesia recens fundata, et dotata, cum eam consecrat, censum constituere potest, consensu acce-dente fundatoris (1), vel patrono reservare (2), idemque recte præstat, cum annuente Capitulo, Ecclesiam piis locis concedit, aut subtrahit à jurisdictione sua (3). Generatim tamen ædifica-ta, et consecrata Ecclesia, nefas est aut veterem augere cen-sum, aut novum imponere, nisi primum Apostolicæ Sedis venia impetrata sit (4).

(1) Can. 50 c. 18 qu. 2 cap. 16 de censib. exaction. ibique Glossa.

(2) Cap. 22 de Jurepatr.

(3) Cap. 6 de Relig. domib.

(4) Onus, quod etiam mortuo Beneficiario maneat, sine venia Summi Pon-tificis imponi nequit. Eandem hanc veniam pro onere temporario requiri, tradit Gíraldus l. 5 t. 59 sect. 584 p. 597.

3. Præter censum, alia etiam Episcopi tributa exigunt à clericis, et ecclesiis suæ dioceseos, quæ tributa, vel ordinaria, vel extraordinaria sunt. Ordinarium tributum est Cathedrati-cum, aut Sinodaticum, quod à singulis Ecclesiis quotannis solvitur in signum subjectionis, et honorem cathedræ Episcopalis (1). Penditur in synodo cathedraticum, unde factum est sy-

tur. Consule Benedictum XIV, Instit. Eccles. 60 §. 5; et Giraldum Exposit. jur. Pontific. par. 2 sect. 136 p. 1011.

(5) Concilium Tridentinum sess. 24 c. 12 de Reform. Pius IV, Const. In Sacrosancta, 102, et Const. Injunctum, 105 Ballar. t. 4 par. 2 p. 201 et 204. Canonici collegiarum Ecclesiarum hujus faciendae professionis nulla lege obstringuntur; sed tamen etiam hi pluribus in locis, vel peculiari lege, vel consuetudine hanc professionem emittunt. Sic in locis, ubi obtinet Concilium Romanum habitum à Benedicto XIII an. 1725, multi sunt, qui ea lege tenentur. Confer Giraldum l. c.

Novis Concordati art. 18. § final. (tom. 1 pag. 280) praeceptum, ut ad quaelibet beneficia nominati, institutionem, et canonicam collationem à propriis Ordinariis semper et omnino consequi teneantur. Mandatum de immit-tendo in possessionem, eorum quoque est expedire, etiam respectu digni-tatum ac praebendarum, quae Sanctae Sedi citata Conventione reservantur: Decret. 5 Oct. 1852, R. Nuntio adsent. Ad praebendas nominati, titulum col-lationis, ac possessionis mandatum, ab Ordinario emanantia, Capitulo exhi-bere debent; et corporalem, ut ajunt, possessionem ab ipso corpore acci-piunt, jurejurando caventes de propriis officiis in iis, quae ipsimet Concordato non opponantur, adimplendis.

38. Illud in primis efficit capta possessio, ut qui eam anni spatio retinuit, is inde dimoveri, aut beneficium alteri, qui illud impetrarit, adscribi nequeat, nisi primum lis pelilo-rio judicio finita sit. Quod jus constituit Regula 35 Cancellariae, quae vulgo dicitur de *annali possessore*, et quae duabus constat partibus. Nam sancitum est primum, ut qui beneficium impe-trat, quod alter per annum tranquilo, et quieto animo retinuit, significare debeat nomen, et gradum possessoris, proferre causam apertam, et perspicuam, propter quam ei retinendi beneficii jus esse negat, temporis, quo in ea possessione versa-tus est, cursum ostendere; deinde ut intra sex menses posses-sorem in judicium vocet, et causam intra annum usque ad sen-tentiam persequatur.

(1) Consule Rigantium ad hanc Regul. 35.

39. Est et alia regula de *triennali possessore*, quae inter re-gulas Cancellariae est 36 numero, atque in re beneficiaria quadra-genariae praescriptionis vice fungitur. Ea vero cautum est, ut qui procul à labe vitioque simoniae trienni spatio beneficium obtinuit quovis titulo, etiam *colorato*, ut vocant, is nullis amplius mo-lestiis afficiat, neque à possessione dimoveri possit, atque omnes ejus beneficii *impetrationes*, quas dicunt, irritae habeantur (1). Quae triennalis possessio ut tantum valeat, peccata esse debet, eaque ut explorata sit, satis est ostendere possessionem, quam quis

revera adeptus est. Nam qui illam semel apprehendit, ac post triennium retinet, in ea semper perseverasse censetur, nisi se-cus ostendatur.

(1) Vide etiam Rigantium ad Regul. 56.

## TITULUS XV.

### DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS ET PROCURATIONIBUS.

1. CENSUS QUID?—2. QUANDO CENSUS AB EPISCOPO CONSTITUATUR?—3. CA-THEDRATICUM.—4. SUBSIDIUM CHARITATIVUM.—5. AD 8. PROCURATIO.—9. POR-TIO CANONICA.

1.

**N**ON solis aluntur Clerici beneficiorum fructibus, sed et alia habent emolumenta, aliasque obventiones, quibus fruuntur, ut honeste, ac decenter vivant. Eorum quaedam ad Episcopos, quaedam ad ceteros clericos pertinent. Proprii sunt Episcoporum census, quorum nomine hoc loco intelligitur certa vis pecuniae, quae ex redditibus ecclesiasticis solvenda est.

2. Porro Episcopus in Ecclesia recens fundata, et dotata, cum eam consecrat, censum constituere potest, consensu acce-dente fundatoris (1), vel patrono reservare (2), idemque recte praestat, cum annuente Capitulo, Ecclesiam piis locis concedit, aut subtrahit à jurisdictione sua (3). Generatim tamen aedifica-ta, et consecrata Ecclesia, nefas est aut veterem augere cen-sum, aut novum imponere, nisi primum Apostolicae Sedis venia impetrata sit (4).

(1) Can. 50 c. 18 qu. 2 cap. 16 de censib. exaction. ibique Glossa.

(2) Cap. 22 de Jurepatr.

(3) Cap. 6 de Relig. domib.

(4) Onus, quod etiam mortuo Beneficiario maneat, sine venia Summi Pon-tificis imponi nequit. Eandem hanc veniam pro onere temporario requiri, tradit Giraldus l. 5 t. 59 sect. 584 p. 597.

3. Praeter censum, alia etiam Episcopi tributa exigunt à clericis, et ecclesiis suae dioceseos, quae tributa, vel ordinaria, vel extraordinaria sunt. Ordinarium tributum est Cathedrati-cum, aut Sinodaticum, quod à singulis Ecclesiis quotannis solvitur in signum subjectionis, et honorem cathedrae Episcopalis (1). Penditur in synodo cathedraticum, unde factum est sy-



nodatici nomen (2), et penduntur duo solidi (3) ab Ecclesiis omnibus, et clericis, qui Episcopo subjecti sunt (4).

(1) Cathedralicum, de quo hoc loco agimus, confundi non debet cum eo munere, tributo, seu pastello, quod olim in ordinatione dari solebat, quodque vehementer improbant Gregorius M. in Synodo Romana t. 5. collect. Harduini col. 497., et Concilium Tridentinum sess. 21 c. 1 de Reform. Hoc quoque interdum dicitur cathedralicum, uti observant Gonzalez in c. Conquerente offic. ordin. in fin., et Christianis Lupus in Schol. et not. ad canon. Concilior. t. 2 c. 5 p. 59 ed. Ven. 1724. Quæ nominis similitudo quosdam in eum errorem induxit, ut crederent, generatim cathedralicum à sacris canonibus improbari. Verum certa illa pensio, quam proprie cathedralicum dieimus, quæque Episcopo singulis annis persolvitur, non propter ordinationem, sed in subjectionis signum, et honorem cathedræ Episcopalis, numquam à sacris canonibus vetita fuit, imo ejus antiquissimus est, et Ecclesiæ probatus usus. Id testatissimum faciunt Concilium Bracarense II. can. 2, et Toletanum VII. c. 4 t. 5 collect. Harduini col. 526 et 622, ed. Paris., Alexander III. in c. 9 de Censib., Honorius III. in c. 16 de offic. judic. ordin., Arnoldus Abbas Lubecensis, qui in Chronico Sclavorum l. 5 c. 21 p. 670 inter Scriptores Brunsvic. l. 2 ed. Hanover. 1705. narrat, Harlricum Archiepiscopum Bremensem, cum gravi premeretur inopia, ex solo cathedralico vitam traduxisse. In concilio Ravennatensi an. 997. can. 2 t. 6 Concil. col. 755 collect. Harduini, sanctum est, ut quovis anno, die S. Vitali sacro, omnes Archiepiscopi censum Episcopo solverent duorum solidorum, atque hunc censum suis cathedralicum, ostendit Thomassinus Vet. et nov. eccles. disciplin. par. 5 l. 2 c. 54 n. 5. Mitto cetera monumenta, quæ multa sunt, et ex quibus patet, antiquissimum esse cathedralicum, ac semper sacris canonibus probatum fuisse. Concilium Tridentinum sess. 21 c. 5 de Reform. quamquam novas exactiones Episcopis interdixerit, non ideo sustulit jus cathedralici, modo non in visitatione, ubi quidvis exigi concilium vetuit, sed in synodo, vel alio tempore solvatur; atque ita respondit Sac. Congregatio Concilii; cujus decretum late exornat Fagnanus in c. Conquerente n. 48 et seq. de offic. ordin. et in Cap. Venerabili n. 16 et sed. de Censib. Hinc S. Carolus Borromeus, qui Tridentini concilii decreta diligentissime custodiebat, firmam ratam esse voluit cathedralici solvendi legem, Act. eccles. Mediol. par. 2 p. 546, atque idem constitutum est à Synodo Bituricensi an. 1584 tit. 5 can. 7 t. 10 collect. Harduini col. 1492.

(2) Synodaticum Episcopo, cum diocesim lustrabat, interdum solum patet ex duobus Conciliis Bracarense II., et Toletano VII., quorum paulo ante facta mentio est. Sed fere ubique solvebatur in Synodo, quæ cum plerumque post pascha haberetur, hinc ea solutio quandoque *Paschalis* est appellata, uti monet Cironius Paratit. ad Decret. l. 5 tit. 59 n. 10 t. 1 p. 315 ed. Vin-dobon. 1761. Sed, ut plurimum, à synodo ea præstatio vocata est synodaticum, interdum etiam dicta Synodus, uti constat ex Concilio Tolosano c. 10 t. 6 par. 1 collect. Harduini col. 1045, atque ex Fulberto Carnotensi Ep. 58 Biblioth. PP. l. 13 p. 18 ed. Lugdun.; quamquam à Synodatico distingui synodus videtur in Indice ms. *beneficiorum Ecclesiæ Constant.* apud Du-Cangium gloss. verb. *Synodaticum*. Cum autem synodaticum in synodo persolvatur, quæri potest, num pendi debeat illis quoque annis, quibus synodus non habetur. Pluries de hac re quæsitum est eam Sac. Congregatione Concilii, eaque semper respondit, cathedralicum, etiam non habita synodo, sin-

gulis annis esse solvendum; et vero in *Amalpitana Cathedralici* 5. Septembr. 1705 et 26 Februar. 1707 et in Cassanen. 21 Mart. 1755 l. 55 decret. p. 526 et l. 57 p. 68 et l. 85 p. 133, nullo habita respectu ad Synodum, cathedralicum à die adeptæ possessionis Episcopo solvi voluit. Quod idem antea constituerat Synodus Avenionensis an. 1566 c. 11, et altera similiter Avenionensis Synodus habita Alano Episcopo t. 4 Anecdotar. col. 575 c. 11 et 580 c. 15 ed. Paris. 1717, ubi statutum est, ut non solum ejus anni synodaticum, sed etiam *arrearagia temporis jam lapsi* Episcopo solverentur. Diuturna tamen, ac legitime inducta consuetudine fieri potest, ut non nisi in synodo cathedralicum persolvatur. Quamquam enim ejus solutionis onus consuetudine prorsus tolli, ac deleri nequeat, ut scilicet semper extet monumentum honoris debitæ cathedræ episcopali, tamen cum hic honos maneat, etiam si illud non solvatur annis singulis, recte à consuetudine induci potest, ut tantum cum Synodus habetur, cathedralicum pendi debeat. Consule Botum de Synod. p. 5 n. 89 et seq., et Massobrium de Synod. c. 4 dub. 55 et 54.

(5) Duo solidos propter cathedralicum unoquoque anno solvi jubent Concilium Bracarense II., et Toletanum VII. l. c., atque Honorius III. in cit. c. 16 de offic. judic. ordin. Verum cum solidi pretium non semper idem, nec ubique fuerit, uti late inter ceteros ostendunt Jacobus Gothofredus in eod. Theodos. Leg. unie. l. 7 tit. 24 t. 2 p. 459 et seq. et Leg. 1 l. 12 tit. 7 t. 4 p. 597 ed. Lips. 1757, et PP. Maurini in Addit. ad Glossar. Du-Cangii verb. *Solidus*; cum item incertum sit, aureus ne, argenteus esset, et quanti valeret solidus Lucensis, quem memorat Honorius III. in cit. c. 16, hinc quæsitum est, quæ nunc propter cathedralicum moneta pendenda sit. Synodus Romana habita anno 1725 à Benedicto XIII. singulis solidis pretium attribuit unius aurei monete Romanæ, et ideo propter cathedralicum solvi jubet viginti julios ejusdem monete, quamquam non integri solidi à singulis beneficiariis pendendi sint, sed ratione habita reddituum beneficiorum, servatoque modo, qui in ea Synodo constitutus est. Verum provinciale hoc concilium tantum in Romana provincia legem facit. Itaque cum nihil certi ea de re sit à Jure constitutum, ex receptis populorum moribus, et locorum consuetudine cathedralicum Episcopo solvendum æstimandum est.

(4) Pendendum est cathedralicum à quibuscumque parochis, beneficiariis, et Ecclesiis sæcularibus, non item regularibus, quæ monasteriis conjunctæ sunt, et in quibus Regulares divina officia peragunt. Nam he solvendi cathedralici onere non tenentur eam. Inter cetera § c. 10 qu. 3 et eam. Quam sit c. 13 q. 2 Sodalitæ vero laicorum, quæ confraternitates dicuntur, Episcopi auctoritate instituta, si propriam habeant Ecclesiam, non item si tantum capellam, aut altare in aliena Ecclesia habeant, cathedralicum pendere oportere, respondit Sac. Congregatio Concilii in *Firmana Cathedralici* 24 Jul. 1754 et in *Urbevatana Cathedral.* 20 Mart. 1745 Similiter in *Maceraten. Cathedralici*, 29 April. 1751. definitum est, ex omnibus quotquot sunt beneficiis, etiam simplicibus, solvendum esse cathedralicum, exceptis tantum capellanis laicalibus, et ad nutum amovilibus. Quod si plures clerici, qui unius, et eidem Ecclesiæ addicti sunt, communem habeant massam, non singuli discretam, atque distinctam præbandam, unum tantum ex ea massa cathedralicum esse solvendum, statuit Concilium Romanum anni 1725 tit. § c. 4.

4. Extraordinarium tributum est subsidium charitativum, scilicet pensio, quam Episcopus charitatis nomine exigit à cle-

ricis, et ecclesiis sibi subjectis (1), ad periculum aliquod depellendum, gravemque necessitatem evitandam (2). Justa autem, et gravis causa requiritur, ac praeterea capituli consensu opus est, ut recte hoc subsidium ab Episcopo indicatur (3). Sed nunc, saltem in Italia, jus viget ab Innocentio XI. constitutum, quo sancitum est, ut semel tantum Episcopus, videlicet in primo ingressu suo, hoc subsidium exigat, et vero tantum accipiat, quantum antea per annos quadraginta dari consuevit (4). Quare si qua postea gravis exoritur causa, quae subsidium flagitet, Sedis Apostolicae venia opus est (5).

(1) Subsidium hoc, uti etiam cathedralicum, ex lege dioecesana procedit, et ideo Regulares, ac ceteri, qui exempti sunt, illius solvendi onere non tenentur, uti ostendit Giraldus Exposit. Jur. Pontific. part. 1. l. 5 decretal. sect. 585 p. 597.

(2) Concilium Lateranense III., can. 4, l. 6 par. 2. Concil. col. 1675 collect. Harduini c. 16 de Offic. judic. ordin.

(3) Cap. 6 de Censib. exaction. Consule Giraldum l. c.

(4) Innocentius XI., Const. 42 §. 10 Bullar. t. 3 p. 61. Vide eundem Giraldum loc. mox. cit.

(5) Confer Gaudentium t. 4 de Visit. Praelat. eccles. dist. 6 n. 13.

Multis, ac non levibus, ex Apostol. concessionibus, oneribus submissa olim Eccles. Hisp. bona, ut ex *Nov. Recop. legg.* apparet. V. maxime ea de re lib. 1 tit. 24. «de la mesada y media-anata eclesiastica» et 25 «del fondo pio benefical» quas et alias similes exactiones, ut et subsidia à Pontificibus imposita, locum non habere in praesenti talium honorum statu, omnibus notum est. Confer de hac tom. 4 p. 92.

5. Pertinet quoque ad Episcopum procuratio, quae ei tribuitur alimentorum nomine, cum dioecesim visitat (1). Debent enim Episcopi singulis annis, vel per se ipsos, vel legitime impediti, per vicarium generalem, aliumve virum idoneum, dioecesim visitare, totumque negotium saltem intra biennium absolvere, cum ita late patet dioecesis, ut uno anno universa lustrari non possit. Quo in munere curandum est diligenter, ut ubique Christiana religio integra observetur, pravique emendentur mores, et quidquid mali irrepserit, avertatur (2).

(1) Cap. 6 et 25 de Censib. exaction.

(2) Concilium Tridentinum sess. 24 c. 5 de Reform.

6. Cum autem aequum sit visitationem fieri sumptibus eorum, qui visitantur, inducta est procuratio, quae comprehendit hospitium, alimenta, cetera necessaria (1), aut etiam certam vim pecuniae, quae nunc sponte data, illorum loco accipi potest;

modo sit una procuratio, cum plura eadem die loca lustrata sunt (2). Cavendum vero est Episcopis, ne inutilibus sumptibus graves sint Ecclesiis, quas visitant, et ideo modesto comitatu contenti esse debent (3), et si pluries intra annum eandem Ecclesiam visitaverint, non nisi unam procurationem accipiant (4).

(1) Cap. 6 et 25 de Censib. exaction.—Syn. Tolet. an. 1565. Act. 2 Ref. cap. 7.

(2) Cap. 2 et 5 de Censib. in 6. Ita à Bonifacio VIII. abrogatum est jus antiquum in cap. 1 eod., quod procurationis causa pecuniam accipere vetabat. Eadem haec optio dandi pecuniam loco victualium permissa est à Concilio Tridentino sess. 24 c. 5 de Reform.

(3) Concilium Lateranense in cap. 6 de Censib. exact. praescripsit numerum equorum, quibus Episcopi dioecesim visitantes pro suo comitatu uti possunt; sed eo nunc indiscriminatim uti nequeunt, quod recte monet Giraldus Exposit. Jur. Pontific. par. 1 l. 5 tit. 39. Decret. sect. 585 p. 596. Synodus Tridentina sess. 24 c. 5 de Reform. generatim statuit, ut Episcopi modesto equitatu, et famulatu contenti visitationem quam celerrime expediant. Et licet definitus non sit erectio numerum, ac dierum numerus, intra quem visitationem perficere oportet, tamen Sac. Congregatio Concilii id totum visitantium conscientiae, et prudentiae reliquit, uti ostendit ipse Giraldus l. c.

(4) Consule Benedictum XIV. de Synod. dioeces. l. 10 c. 10 §. 6.

(N. S. Syn. Bracar. II., Can. 2, post taxatam Episcopi duorum solidorum procurationem, haec subiunxit: «Et Parochiales Clerici servili opere in aliquibus operibus Episcopis servire non cogantur, quia scriptum est: Neque ut dominantes in clero.» Syn. Tolet. III. Can. 20. «Cognovimus Episcopos per Parochias suas non sacerdotaliter, sed crudeliter deservire, et dum scriptum est: Forma estote gregis, neque dominantes in Clero; exactiones Dioecesi suae, vel damna infligunt; ideoque... aliis, quae lucusque praesumpta sunt, denegentur: hoc est, neque in angariis Presbyteros, et Diaconos, neque in aliquibus fatigent indictionibus, ne videantur in Ecclesia Dei exactores potius, quam Dei Pontifices nominari.» Syn. Tolet. VII. Can. 4 haec refert: «Inter cetera, quae communi consensu nos conferre competenter oportuit, querimonias etiam Parochialium Presbyterorum Galliciae Provinciae solertissime decernere decuit, quas contra Pontificum suorum rapacitates necessitas (ut comperimus) tandem compulsi in publicum examen deferri, III. enim Pontifices... indiscreto moderamine Parochianas Ecclesias praegravantes, dum in exactionibus superflui frequenter existunt, paene usque ad exinanitionem... quasdam Basilicas perduxisse probantur.» Quas inter abusiones ita coacta fuit indulgenter providere: «Quum Episcopus Dioecesim visitat, nulli praeter multitudinem onerosus existat, nec unquam quinquagenarium numerum erectionis excedat, aut amplius quam una die per unamquamque Basilicam remorandi licentiam habeat.» Toletana statuta alicui forte offensivi erunt, quippe quae nimium Visitoribus indulgeant; at recte hic ad rem animadvertit Thomassinus *Part. 2 Lib. 5 cap. 30 n. 5*, simili Lateranensi Canone, non multum quidem exigi, sed multum recidi: tum damnari quidem quod prohibetur; at non statim, quod toleratur, probari praesertim quum ibidem, et Episcoporum, qui modestiori comitatu uti consueverint, mos retinendus decernatur, et statutum illud tanquam gravi morbo pro temporis ratione obhibitum lenimen, tolerantiae uni, et indulgen-

tia tribuatur, et demum in pauperibus Paroeciis, ea omnino tenenda praescribatur mensura, ut Episcopi visitantes, iisdem nec oneri sint, nec offendiculo.—Hoc profecto moderamen adhiberi voluit ab Episcopis Alphonsus Noster *Leg. 2 Tit. 22 Partit. 1.*

Postremo, illud hic iuvat subnectere, nimirum consuevisse Episcopos Dioceses visitantes suas, regios sibi adseiscere ministros, *Missos dominicos* sic dictos, ut fideles enormium criminum reos, vel invitos publicae poenitentiae subicerent, vel etiam poenis corporalibus addicerent; tum ut quae corrigi oporteret, facilius corrigerentur: Syn. Mogunt. *cap. 20:* Hincmarus Rem. *Tom. 2 pag. 131:* Thomass. *P. 2 Lib. 2 cap. 79.* Quod ad imminutionem, vel usurpationem Ecclesiasticae potestatis factum non est; sed tantummodo, ut Episcopalia decreta facilius exsequerentur. Id quod et ipsi Reges discrete fassi sunt: *Lib. 2 Capit. cap. 17. Ut si quos* (verba sunt Syn. Arel. an. 815 *cap. 17*) *Sacerdotalis admonitio non steteret ad justitiam, Regalis potestas ab improbitate reduceret ad pietatem, et obedientiam.*

7. Danda est procuratio, non solum Episcopo, aut alteri, qui ejus loco diocesim lustrat, sed etiam vicario capitulari, cui post annum à die postremo habitae visitationis, diocesim visitare licet (1); et datur ab omnibus, qui visitantur non tamen ab Ecclesiis civitatis, in qua Episcopus assidue commoratur (2), neque item ex privatis oratoriis, quae in monachorum grangiis sita sunt (3). Subsunt autem Episcopi visitationi Ecclesiae omnes, etiam exemptae, atque etiam regulares, quae conjunctam habent curam animarum (4); itemque commendata monasteria, etiam Abbatiae, Prioratus, Praepositurae, ubi non viget observantia regularis; praeterea beneficia tam curata, quam non curata, saecularia et regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta (5); Parochiales annexae Ordini Hierosolymitano (6); hospitalia, nisi sub immediata Regum protectione sint (7). Nam quae Episcopus ordinario jure visitare non potest, qualia sunt loca exempta, ea visitat jure delegato.

(1) Vide Benedictum XIV, loc. mox indicat.

(2) Consule Fagnanum ad c. 15 de Censib. exaction. et Giraldum Exposit. Jur. Pontific. par. 11. 5. Decretal. tit. 59 pag. 405.

(3) Cap. 27 de Censib. exaction. Quae decretalis consensu omnium interpretum Juris Canonici, ad quaecumque privata oratoria traducitur, uti testatur Fagnanus in cit. cap. 17.

(4) Concilium Tridentinum sess. 25 de Regul. c. 11, Gregorius XV Constit. *Inscrutabili* 50 §. 4. Bullar. t. 5 par. 5 p. 4.

(5) Concilium Tridentinum sess. 7 c. 8 et sess. 21 c. 3 de Reform. Vide etiam ea de re decretum *Ut in parvis* 184. Innocentii X, Bullar. t. 6. par. 5 p. 270.

(6) S. Pius V. Constit. *Exposit* 187. Bullar. par. 5. t. 4 pag. 130.

(7) Concilium Tridentinum sess. 22 c. 3 de Reform.

8. Visitantur etiam ab Episcopo quotannis monasteria mo-

nialium (1); sed tunc nullam ipse procurationem accipit, nisi quod in earum Ecclesiis beneficium sit (2).

(1) Clement. 2 de Stat. monachor. Concilium Tridentinum sess. 25 c. 9 de Regul. Late hoc argumentum persequitur Giraldus Exposit. Jur. Pontific. par. 11. 5. Decret. tit. 55 sess. 562 p. 372 et seq.

(2) Sacr. Congregatio Concilii in Volaterrana 12 Novembr. 1658 l. 16 Decretor. p. 106.

9. Denique Episcopus jure Decretalium habet portionem canonicam, scilicet, quartam partem earum rerum, quae Ecclesiae, aut alii pio loco relinquuntur (1). Sed hodie fere ubique haec portio consuetudine sublata est, cum non amplius Episcopi gravi illa premantur inopia, cujus gratia initio ea concessa fuit. Si qua tamen regio est, in qua portio canonica adhuc oblinet, non eam pendunt loca pia, et monasteria exempta, quoniam soluta sunt lege diocesana, unde illa procedit (2); neque penditur ex piis legatis, quae pro anniversario, pro Ecclesiae fabrica, ceterisque similibus relicta sunt (3).

(1) Cap. 14 de Testam.

(2) Consule Giraldum l. c. tit. 27 sect. 481 p. 515.

(3) Cap. 20 de Testam.

### TITULUS XVI.

#### DE DECIMIS.

1. CLERICORUM OBVENTIONES, ET EMOLUMENTA.—2. DECIMAE QUO JURE APUD CHRISTIANOS DEBITAE?—3. QUANDO SOLVI CEPTAE?—4. PRAEDIALES, PERSONALES, MIXTAE.—5. EARUM DISCRIMEN.—6. CONSUETUDO PRAESERTIM IN DECIMIS SPECTANDA.—7. CUI SOLVENDAE DECIMAE?—8. DECIMAE AN A LAICIS ACCIPI POSSINT?—9. A QUIBUS SOLVENDAE DECIMAE?

1.

Nunc ad ea transgredimur, quae ceterorum clericorum propria sunt; et huc spectant decimae, primitiae, oblationes, quotidianae distributiones, quae ordinariae, quaeque extraordinariae vocantur, voluntariae denique, et honorariae largitiones pro benedictionibus, sacrificiis, sacramentis, aliisque bonis Christiano populo tribuendis. Non omnibus quidem omnes clerici fruuntur, sed alii aliis pro emolumentorum, clericorumque discrimine.

2. Apud Hebraeos Levitis, et Sacerdotibus Divina lege debitas fuisse decimas, hoc est, decimam partem fructuum terrae, et

tiae tribuatur, et demum in pauperibus Paroeciis, ea omnino tenenda praescribatur mensura, ut Episcopi visitantes, iisdem nec oneri sint, nec offendiculo.—Hoc profecto moderamen adhiberi voluit ab Episcopis Alphonsus Noster *Leg. 2 Tit. 22 Partit. 1.*

Postremo, illud hic iuvat subnectere, nimirum consuevisse Episcopos Dioceses visitantes suas, regios sibi adseiscere ministros, *Missos dominicos* sic dictos, ut fideles enormium criminum reos, vel invitos publicae poenitentiae subicerent, vel etiam poenis corporalibus addicerent; tum ut quae corrigi oporteret, facilius corrigerentur: Syn. Mogunt. *cap. 20:* Hincmarus Rem. *Tom. 2 pag. 131:* Thomass. *P. 2 Lib. 2 cap. 79.* Quod ad imminutionem, vel usurpationem Ecclesiasticae potestatis factum non est; sed tantummodo, ut Episcopalia decreta facilius exsequerentur. Id quod et ipsi Reges diserte fassi sunt: *Lib. 2 Capit. cap. 17. Ut si quos* (verba sunt Syn. Arel. an. 815 cap. 17) *Sacerdotalis admonitio non steteret ad justitiam, Regalis potestas ab improbitate reduceret ad pietatem, et obedientiam.*

7. Danda est procuratio, non solum Episcopo, aut alteri, qui ejus loco diocesim lustrat, sed etiam vicario capitulari, cui post annum à die postremo habitae visitationis, diocesim visitare licet (1); et datur ab omnibus, qui visitantur non tamen ab Ecclesiis civitatis, in qua Episcopus assidue commoratur (2), neque item ex privatis oratoriis, quae in monachorum grangiis sita sunt (3). Subsunt autem Episcopi visitationi Ecclesiae omnes, etiam exemptae, atque etiam regulares, quae conjunctam habent curam animarum (4); itemque commendata monasteria, etiam Abbatiae, Prioratus, Praepositurae, ubi non viget observantia regularis; praeterea beneficia tam curata, quam non curata, saecularia et regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta (5); Parochiales annexae Ordini Hierosolymitano (6); hospitalia, nisi sub immediata Regum protectione sint (7). Nam quae Episcopus ordinario jure visitare non potest, qualia sunt loca exempta, ea visitat jure delegato.

(1) Vide Benedictum XIV, loc. mox indicat.

(2) Consule Fagnanum ad c. 15 de Censib. exaction. et Giraldum Exposit. Jur. Pontific. par. 11. 5. Decretal. tit. 59 pag. 405.

(3) Cap. 27 de Censib. exaction. Quae decretalis consensu omnium interpretum Juris Canonici, ad quaecumque privata oratoria traducitur, uti testatur Fagnanus in cit. cap. 17.

(4) Concilium Tridentinum sess. 25 de Regul. c. 11, Gregorius XV Constit. *Inscrutabili* 50 §. 4. Bullar. t. 5 par. 5 p. 4.

(5) Concilium Tridentinum sess. 7 c. 8 et sess. 21 c. 3 de Reform. Vide etiam ea de re decretum *Ut in parvis* 184. Innocentii X, Bullar. t. 6. par. 5 p. 270.

(6) S. Pius V. Constit. *Exposit* 187. Bullar. par. 5. t. 4 pag. 130.

(7) Concilium Tridentinum sess. 22 c. 3 de Reform.

8. Visitantur etiam ab Episcopo quotannis monasteria mo-

nialium (1); sed tunc nullam ipse procuracionem accipit, nisi quod in earum Ecclesiis beneficium sit (2).

(1) Clement. 2 de Stat. monachor. Concilium Tridentinum sess. 25 c. 9 de Regul. Late hoc argumentum persequitur Giraldus Exposit. Jur. Pontific. par. 11. 5. Decret. tit. 55 sess. 562 p. 372 et seq.

(2) Sacr. Congregatio Concilii in Volaterrana 12 Novembr. 1658 l. 16 Decretor. p. 106.

9. Denique Episcopus jure Decretalium habet portionem canonicam, scilicet, quartam partem earum rerum, quae Ecclesiae, aut alii pio loco relinquuntur (1). Sed hodie fere ubique haec portio consuetudine sublata est, cum non amplius Episcopi gravi illa premantur inopia, cujus gratia initio ea concessa fuit. Si qua tamen regio est, in qua portio canonica adhuc oblinet, non eam pendunt loca pia, et monasteria exempta, quoniam soluta sunt lege diocesana, unde illa procedit (2); neque penditur ex piis legatis, quae pro anniversario, pro Ecclesiae fabrica, ceterisque similibus relicta sunt (3).

(1) Cap. 14 de Testam.

(2) Consule Giraldum l. c. tit. 27 sect. 481 p. 515.

(3) Cap. 20 de Testam.

### TITULUS XVI.

#### DE DECIMIS.

1. CLERICORUM OBVENTIONES, ET EMOLUMENTA.—2. DECIMAE QUO JURE APUD CHRISTIANOS DEBITAE?—3. QUANDO SOLVI CEPTAE?—4. PRAEDIALES, PERSONALES, MIXTAE.—5. EARUM DISCRIMEN.—6. CONSUETUDO PRAESERTIM IN DECIMIS SPECTANDA.—7. CUI SOLVENDAE DECIMAE?—8. DECIMAE AN A LAICIS ACCIPI POSSINT?—9. A QUIBUS SOLVENDAE DECIMAE?

1.

Nunc ad ea transgredimur, quae ceterorum clericorum propria sunt; et huc spectant decimae, primitiae, oblationes, quotidianae distributiones, quae ordinariae, quaeque extraordinariae vocantur, voluntariae denique, et honorariae largitiones pro benedictionibus, sacrificiis, sacramentis, aliisque bonis Christiano populo tribuendis. Non omnibus quidem omnes clerici fruuntur, sed alii aliis pro emolumentorum, clericorumque discrimine.

2. Apud Hebraeos Levitis, et Sacerdotibus Divina lege debitas fuisse decimas, hoc est, decimam partem fructuum terrae, et

pecudum, inter omnes constat (1). Jure Evangelico ad alendos clericos nullæ indictæ sunt decimæ; tantum Christiani jubentur Ecclesiæ ministris præbere necessaria ad vitam honeste, ac decenter traducendam (2). Itaque Divini quidem juris est, quod iis qui altari ministrant, necessaria vitæ subsidia præbeantur (a); non item, quod ea de causa detur decima pars fructuum terræ, et hoc quidem modo decimæ ad jus Divinum referri non possunt (3). Nam Ecclesia constituit modum, quo ejus ministri aliendi sunt; nihil autem interest, sive id per decimas, sive per alias præstationes fiat.

(1) Prima, quæ in sacris libris occurrunt, decimarum exempla, sunt Abrahami decimæ à manubus omnibus devictorum ab eo Regum, quas ipse Sacerdoti Melchisedeco persolvit. Gen. XIV. 20. Imitatus hanc avi pietatem Jacobus omnium, quæ sibi in Mesopotamia acquirenda essent, decimas Deo offerendas vovit, Genes. 28. 22; quam fidem ab itinere reducem liberare nemo dubitat. Denique Mosaica lege in Levit. 26. 50, jussi sunt Hebræi decimas persolvere; et tunc quidem decimæ Levitis, et Sacerdotibus Dei mandato deberi cœptæ sunt.

(2) Matthæus X. 10. Lucas VIII. 3, X. 7. Paulus 2 ad Corinth. IX. 7, 9, 10, 11, 15, 14.

(a) (N. S. In hoc sensu usurpandum est id quod dicitur in Syn. Valent. an. 1565, sess. 5 tit. 4 cap. 16, et in Compil. Tarracon. lib. 3 tit. 18 cap. 3, nimirum, quod decimarum solutio jure Divino, et Ecclesiasticis legibus præcipitur.)

(3) Divinum præceptum solvendarum decimarum morale fuisse, nonnulli existimant, unde conficiunt, nunc etiam divina lege à Christianis decimas esse solvendas. Rectius S. Thomas 2. 2. q. 87 art. 1, decimas divino jure à Christianis deberi affirmat, si earum nomine comprehendimus alimenta, quæ clericis debentur, negat autem, si eo vocabulo decimam illam partem fructuum, et reddituum intelligimus. *Sic ex se patet*, inquit, *quod ad solutionem decimarum homines tenentur, partim quidem ex jure naturali, partim etiam ex institutione Ecclesiæ: quæ tamen, pensatis opportunitatibus temporum, et personarum, posset aliam partem determinare.* Et merito Concilio Constantiensi sess. 3 c. 200 l. 3 coll. Harduini, damnatus est articulus 18 Joannis Wiclefi, agentis, quod *decimæ sunt puræ eleemosynæ, et Parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.* Nam decimæ, tamquam alimenta Ecclesiæ ministris debita, ab ipso divino jure procedunt. Consule Bellarminum de Cler. l. 1 c. 25 §. Quod non sit morale opp. t. 2. p. 157 ed. Ven. 1721. Gonzalez in cap. 52 §. 1 de Decim., Cotelierum in const. Apostol. l. 2 c. 55 not. 1 t. 4 p. 248 ed. Amstel. cit.

3. Hinc prioribus Ecclesiæ singulis neque Christiani decimas solvebant, neque ulla lex erat, quæ hanc solutionem imperaret (1). Clerici vivebant ex oblationibus, quas fideles sua sponte in Ecclesiam conferebant; adeo ut nihil opus esset decimas indicare, ut ex iis clerici victum, et cultum obtinerent. Imminuta

fideliū largitate, cum non omnia Ecclesiæ, ejusque ministris sponte à fidelibus præberentur, institutæ sunt decimæ, tum Patrum hortationibus (2), tum Ecclesiæ legibus (3), quibus eas Christiani solvere jussi sunt.

(1) Cyprianus de Unit. Eccles. p. 85. ed. Amstel. 1700, diserte testatur, nullas sua ætate decimas fuisse solutas; et Ep. 1 p. 170 de Hebræorum decimis disserens, *Quæ nunc ratio, inquit, et forma in clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini ordinatione clericali promoventur, in nullo ab administratione Divina avocentur, nec molestiis, et negotiis sæcularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari, et sacrificiis non recedant.* Quo ex loco perspicuum est, ætate Cypriani sportulas decimarum locum obtinuisse. Idem etiam deprehendi potest ex Origine Hom. 11 in Numer. n. 2 p. 505 opp. t. 2 ed. Paris. 1755. Adde alterum, quod tribus prioribus sæculis de solvendis decimis ubique silentium est.

(2) Adeundi sunt Auctor constit. Apostolic. l. 7 c. 29 et l. 8 c. 20 apud Cotelierum PP. Apostolic. t. 1 p. 375 et 416 ed. cit. Hieronymus in Malach. c. 5. vers. 7, 8 et seq. col. 978 et seqq. opp. t. 6 ed. Veron., Augustinus Comm. in psalm. 146 n. 17. opp. t. 4 col. 1648 ed. Ven. cit. Chrysostomus Hom. 4 in Ep. ad Eph. opp. t. 11 p. 31 ed. Par. 1754.

(3) Concilium Maticonense II. can. 5 apud Labbæum t. 6 Conc. col. 674 seq. Cahilonense II. can. 49, t. 9 col. 365., Turonense an. 813 can. 16 col. 551 lib. Moguntiacense an. 838 can. 15 t. 11 col. 586. Confer etiam Capitularia Regum Franc. cap. de Part. Saxon. c. 16 et 17 apud Baluzium t. 1 col. 185 et capit. an. 804 c. 2 col. 291 ed. Ven. 1772.

(N. S. In Hispania jam olim *Decimarum* meminit Syn. Valent. an. 1129, *Decret. 2*; sed uti communem Christiano populo legem, impositam ipsis prædiis, adjectam supponit Jo. Cardin. Sabin., Legatus in Conc. Heril. an. 1219, in Compil. Jo. Teres lib. 5 tit. 18 cap. 1; eamque primo agnovit Alphonsus Sapiens ad annum 1255 Leg. 4 tit. 5 lib. 1 *Fori Regii*; dein Syn. Penna-fid. an. 1502 cap. 7; ac reliqua inde celebrata Concilia.)

Quæ à regnicolis Script., in diversas de *Decimarum* apud nos origine sententias discedentibus, memoriæ prodita sunt, longum esset, nec necessarium indicare. Doct. Jo. Varela, Lucensis olim Eccl. canonicus Doctoralis, præcellenti opuse, quod 1837 edidit sub titulo: *Del Diezmo y Rentas de la Iglesia*, eam questionem ex professo tractat: ac decimas in Hisp. memoratas tenet sæculo VI. Tolet. Conc. III, maxime can. 4.

Ut breviter quæ de proposito probabilis habemus, exponamus, decimarum primam isthæ mentionem haberi censemus Cathalauniæ ecclesiarum respectu, quum Maurorum jugo oppressa Hispania, ea provincia Galliarum Regibus paruit, quidquid in contrarium affirmant Barcinonensis Masdeu, *critici* cognomento non sat, ut opinamur, dignus, et qui ejusd. assertis subscripsit, *Hispan. Eccl. Antiquitatum* illustrator, edit. Matrit. 1829, p. 155; ut alios omitamus Hanc, cui adhæremus, sententiam aperte profitetur Auct. libri: *Historia de las Rentas de la Iglesia de España*, Matriti 1795, pag. 199 et seq., cujus ea verba: abundada España por los Moros, no solo se trastornaron los límites políticos de las provincias, sino tambien los eclesiásticos; pues venos que á principios del siglo IX reconocian los sufragáneos de Tarragona por metropolitano al arzobispo de Narbona, y por principes á los reyes de Francia. En este reino estaba introducida la costumbre de pagar los diezmos desde

el siglo VI; y en el VIII confirmó Carlo Magno el decreto de los PP. de Macon, ordenando que todos sus vasallos los pagaran. Desde entonces cobraron los diezmos las iglesias comprendidas en la Marca española; según insinúa el privilegio concedido al monasterio de Santa María de Alaon en el año 852, y la Real cédula espedita en favor del obispo de Urgel por Ludovico Pio en el año de 856. Laudat nostras scriptor Card. Aguirre *Conc. Hisp. cum Catalan.* tom. 4 pag. 429.

Nuper vero Auct. operis: *Curso de Historia y disciplina particular de la Iglesia de España en los puntos principales de su gobierno*, tom. 2. App. pag. 152 et seqq. plura, ac summe attendenda monumenta assert. ex quibus apparet, *decimas* in Catalaunia extitisse sæculo VIII; eorum enim data inter an. Dni. 792 (aut 96), et 905 consignantur.

Quod ad reliquas Hisp. Eccl. attinet, *decimarum* mentionem habemus Compostellæ an. 1040 in S. Jacobi ecclesia consecratione, ex ipso Villodas p. 151. 1086 Alphonsi VI edicto ib. citato, Urbani II epistol. ad Petrum Osceensem 1093, qui primus Pontifex *decimas ac primitias*, Hisp. Eccl. respectu, memorasse dicitur: et, quantum ad Castellam, habetur Syn. Palentiniæ decretum an. 1129, à Selvagii Adnotatoribus citatum.

V. legg. tit. 20 *Partite* 1.

§. Jam vero decimæ vel prædiales, vel personales, vel mixtæ sunt. Prædiales debentur ex fructibus, sive redditibus prædiorum tum urbanorum, tum rusticorum; et harum quidem aliæ majores, aliæ minores, et minutæ, aliæ novalis appellantur. Majores sunt, quæ ex frumento, vino, sæno, aliisque uberioribus fructibus, minores, quæ ex leguminibus, et oleribus, novalis (1), quæ penduntur ex prædiis, quæ recenter ad culturam redacta sunt, cum antea frugifera non essent. Personales (2) solvuntur ex rebus, quas sibi quisquis acquirit opera, et industria sua, veluti ex lucro honestæ negociationis, militiæ, venationis. Mixtæ denique partim prædiales sunt, et partim personales, quippe quæ ex rebus quidem ipsis, sed nonnisi adhibita industria percipiuntur. Hujus generis sunt fœtus pecorum, lac, lana, cetera similia.

(1) Terra præcisa, quæ anno cessavit, vel silva, quæ avulsis arboribus, ad culturam redacta est, terra novalis dicitur Leg. 50 ff. de Verb. signific. Leg. 5 §. 2. ff. de Termin. mot. Memorat hanc Juris Civilis interpretationem Innocentius III. in cap. 21 de Verbor. significat., cum statuit, novale esse intelligendum *agrum de novo ad cultum redactum, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisse.*

(2) Ætate Augustini nondum decimæ fixæ, ac perpetua lege constitutæ fuisse videntur; sed ipse tamen, Enarrat. in psalm. 146 n. 17 col. 1643 t. 4 ed. cit., vehementer Christianos hortatur, ut reales ac personales decimas solvant. *Præcidite*, inquit, *aliquid, et deputate aliquid fixum vel ex annuis fructibus, vel ex quotidianis questibus vestris.* Sequenti tamen sæculo, quo vixit S. Cæsarius Arelatensis, non reales solum, sed etiam personales decimæ obtinebant; nam ipse Serm. 277 inter opp. August. in App. col. 460 t. 5 par. 2 diserte memorat decimas *ex quotidianis questibus*, item *de militia,*

*de negocio, de artificio.* Falsus igitur est Van Espenius *Jus eccles. univers.* par. 2 tit. 55 c. 1 n. 51 et seq., qui personalium decimarum originem Cælestino III. adscribendam putat; et insignis est calumnia Justi Henningii Boebermeri, inst. Jur. canon. l. 5 tit. 5 §. 3, reprehendentis Romanos Pontifices, quasi ipsi jus decimarum plus æquo explicaverint, quod personales decimas instituerunt.

(N. S. Gregorii IX decreto jus generatim inductum est, de omnibus, etiam de personalibus lucris, decimas deberi. Id quod primo servandum in Hispania sanxit Syn. Penna-fid. cap. 7: «Ordinamus, ut omnes Parochiani de suis prædiis, et prædiorum cultis, ac arborum fructibus, et de aliis natura, vel cultura humana ex terra nascentibus, necnon et de animalibus, insuper.... et de omnibus aliis licite acquisitis, Decimam, tanquam portionem Domini, eam Ministris Christi sine qualibet diminutione persolvant.» Ac dein Syn. Tolet. an. 1525 cap. 15, et Salmant. cap. 5 §. finali. At *personalium* decimarum solutio vix in quibusdam Hispaniarum populis remansit.—Decimarum species recenset Valent. Syn. 1565 præfat. cap. 16.)

5. Inter prædiales, ac personales decimas non unum discrimen est. Nam prædiales debentur, non deductis impensis; (a) et vero debentur Parocho, cujus in parochia sita sunt prædia, unde illæ percipiuntur (1); cumque ipsis prædiis adhæreant, ab omnibus, qui prædia habent, etiam infidelibus, solvendæ sunt (2). Verum decimæ personales tantum à Christianis solvuntur Parocho, à quo ipsi sacramenta accipiunt, ex iisque impensæ in rebus parandis factæ detrahuntur (3). Illud commune est utrisque decimis, quod non deducitur, quod necessario ad res conservandas impenditur (4).

(a) \* Compil. Tarracon. lib. 5, tit. 18 cap. 5.\*

(1) Cap. 7. 15, 22 de Decim.

(2) Cap. 16 eod.

(N. S. Id quod de prædiis, quæ prius fuerant Christianorum, et de Novalibus constitutum est in Compil. Jo. Teres *Lib. 5 Tit. 18, cap. 2.* Immo ad decimas solvendas censuris possunt Christiani compelli: *Cap. 5, et 6 de Decimis, et Leg. 5 Titulo 19 Partit. 1;* et quidem ante deductam Regularibus Mendicantibus tribui solitam elemosynam: *Sanct. 1 Tit. 5 Lib. 1 vulgo Autos Acordados.* Quinimmo jure communi etiam Monachos, et Regulares ad decimas persolvendas teneri, certum omnino est; *Cap. 4 ibid.:* et quidem integre: Syn. Vallisolet. *Cap. 12,* his verbis: «Ut fraudes, quas diversis modis Religiosi in dandis decimis animalium, et novalium adhibent, à Prælati, et Ecclesiarum Rectoribus cautius evitentur, statuimus, ut postquam Religiosi per Diocesanos requisiti fuerint, super fraudibus hujusmodi nullatenus adhibendis, Religiosi ipsi, qui hujusmodi fraudes commiserint, in Synodis Episcopalibus, et in majoribus locis ipsarum Diocesium excommunicati publice denuntientur. Et nihilominus Prælati Constitutionem felicis recordationis Domini Clementis Papæ V, quæ incipit: *Religiosi quicumque,* super hoc editam, cum diligentia exsequantur.» Quod et Reges nostri ratum habuerunt: *Leg. 2 Tit. 6 Lib. 1. Novis. Compilat.*)

V. Cl. Auctor. huj. tit. §. 9 not. 6.\*

(3) Cap. 20 et 28, eod.

(N. S. Ad rem Syn. Salmant. præf. cap. 5: « Quum Decimæ Ecclesiæ debeantur illi, in cujus Parochia prædia excoluntur, nisi ab alia Ecclesia per præscriptionem debitam sint substractæ, præsentî decreto sancimus, quod qui semel alienus Ecclesiæ Parochianus fuerit, alterius fieri non possit, nisi domicilium totaliter in alterius Parochiam transferendo, et tunc personales Decimas illi solvere teneatur Ecclesiæ, in qua receperit Ecclesiastica Sacramenta; prædiales vero solvat illi, in cujus Parochia sunt prædia situata, nisi aliud de consuetudine præscripta legitime observetur. » Reges nostri plures in surripientes, retinentes, et fraudantes decimas, pœnas inflixere: *Leg. 1, 2, et 6 Lib. 1 Tit. 6 Novis. Compilat.* At in Supremo Castellæ Senatu admittendum volvere recursum adversum exigentes decimas ex his fructibus, ex quibus solvi antea non consueverunt: *Legg. 7, et 8 ibid.*)

(4) Cap. 28 mox laud.

6. Leges hæ sunt Decretalium jure generatim constitutæ. Sed recepti populorum mores sæpe has leges abrogarunt: et hinc spectandæ sunt singularum Ecclesiarum consuetudines, ut noscatur, à quibus decimæ pendendæ sint, quid item, et quibus eas solvere oporteat. Nimirum posteaquam clericis aliis bonis atque redditibus parata sunt ea, quæ suppeditent ad cultum, et ad victum, paulatim decrevit solutio decimarum; et nunc multis in locis neque decimæ prædiales ex prædiis urbanis, neque personales solvuntur (1). Quin nec ex omnibus quidem terræ fructibus detrahuntur decimæ, neque solvitur decima eorum pars, licet adhuc decima appelletur, et multæ etiam regiones sunt, in quibus decimæ prorsus exoleverunt.

(1) Consule Giraldum Exposit. jur. pontific. par. 1 decret. l. 3 sect. 508 p. 551.

7. Decimæ debentur Parocho (1); sed tamen ab aliis quoque clericis, aut Ecclesiis acquiri possunt, vel privilegio Summi Pontificis (2), vel præscriptione annorum quadraginta cum titulo, sine titulo vero, præscriptione temporis, quod hominum memoriam superet (3). Novales vero, ac minutæ, ubi hæ vigent (4), decimæ semper Paroche reservatæ censentur; ne is, cui animarum cura commissa est, graviori damno afficiatur. Et quamquam laici jure ipso exigendi decimas, quod proprium clericorum est, potiri nequeant; tamen res ipsas, quæ decimarum nomine penduntur, habere possunt (5), modo justa causa præsto sit, et Romani Pontificis accedat auctoritas (6).

(1) Concilium Cabilonense II. can. 19 apud Labbæum t. 9 col. 565 ed. Ven., et Metense an. 888 can. 2 t. 11 col. 595.

(2) Multa extant exempla decimarum, quæ à Sede Apostolica Monasteriis, et capitulis concessæ sunt. Eas memorant, et probant S. Petrus Damiani t. 3 opusc. 33 c. 5 p. 252 ed. Paris. 1664; Ivo Carnotensis ep. 192 p. 85 ed. Paris. 1647; S. Thomas 2, 2 q. 87 art. 5. Vide etiam regulam Templariorum c. 66 ap. Holstenium eod. regul. t. 2 p. 440 ed. cit.

(3) Cap. 4 et 6 de Præscript. in cap. 1 eod. in 6.

(4) Minutæ decimæ plerisque in locis obsolerunt.

(5) S. Thomas 2, 2, q. 86 art. 5.

(6) Interdum Summus Pontifex ad tempus imponit decimas beneficiorum propter aliquam necessitatem, vel publicam Ecclesiæ utilitatem, atque eas solvi mandat alicui Principi, qui Ecclesiam defendit. Tunc autem constituuntur collectores, et subcollectores, qui has decimas colligant. Vide Clem. 2 de decim., et extravag. unic. int. commun. eod., et vide etiam Gonzalez in cap. 19 de decim. n. 4, ubi memorat decimas à Sede Apostolica concessas Regibus Hispaniarum.

(N. S. Regibus Catholicis plura à sæculo XIII indulta sunt privilegia decimas percipiendi. Episcopus Valentinus, annuente Metropolitano Tarracoenensi, Jacobo I, Aragoniæ Regi, et successoribus, in feudum perpetuum concessit, 4 Nonas Novemb. an. 1241, tertiam partem omnium decimarum piscationis, et fructuum Valentiniæ Diocesis, exceptis possessionum Decimis, quæ ad Milites Clericos, vel religiosa Loca pertinerent. Tum ob eandem causam Clemens V, Constit. *Olim claræ memoriæ*, indulgit Alphonso IV, ut ad triennium percipere posset, ab Ecclesiis intra suarum ditionum limites extantibus, binas partes tertiæ portionis decimarum, vulgo *Tercias Reales*: quam quidem concessionem Alexander VI in perpetuum extendit, Bulla *Dum indefensa*, die 26 Februarii an. 1494, et ad extinguendas omnes penitus controversias, quæ exortæ erant, sua confirmavit Pragm. Sanctione Philippus II, die 30 Martii an. 1565, *Leg. 1 Tit. 7 Lib. 1 Novis. Compilat.* Tum etiam Pius V, ad quinquennium Philippo II, die 21 Maji an. 1571, ac dein Benedictus XIV, in perpetuum Ferdinando VI, die 6 Septembris an. 1757, concesserunt decimas ex majori uniuscujusque Parochiæ domo, vulgo *Casa Mayor Dezmera*, quæ quidem gratia cessare debet semel ac stabilietur *Unica Contributio*, ex præf. Constit. Benedicti XIV. Demum præf. Benedictus XIV, die 30 Julii an. 1749, concessit Ferdinando VI perceptionem decimarum ex omnibus terris recens excultis, quæ *Novales* adpellantur.—In Indiarum Regnis omnium percipiendarum decimarum jus ex Apostolica concessione obtinuerunt Reges nostri: *Leg. 1 Tit. 16 Lib. 1 Recop. Indiar.*; sed tertiis, sive duabus novis partibus sibi tantummodo reservatis, metallorum, et gemmarum decimas integre percipiunt: *Leg. 14 ibid.*)

Alias super decimis concessionem, maxime à Pont. Pio VI, ac Pio VII, habitas, memorant legg. lib. 1 *Novis. Compilat.* tit. 6, inscripto: *De los diezmos y novales*. Vid. quoque tit. ibi proxime sequentem: *De los dos novenos ó tercias Reales de los diezmos*.—Nemo nescit an. 1857, Hisp. Gubern. sanctionibus, suppressam eam, de qua nunc sermo est, præstationem.

8. Verum mediis sæculis, in summa rerum confusione, laici, ut multa ecclesiastica bona, ita etiam decimas usurparunt, easque jure feudi retinuerunt, adeout in commercio essent, et in hæredes transirent (1). Interim Parochi carebant suis redditibus, quibus semetipsos, et pauperes sustentarent, neque decimarum

possessores ea, quæ debebant, Ecclesiæ servitia præstabant. Itaque actum est, ut sacra præda ex laicorum manibus extorqueretur; sed operosum id erat, neque convenire visa sunt extrema remedia, quibus illi exasperarentur. In concilio Lateranensi III (2) prohibiti sunt laici novas decimas acquirere, et antiquas, quas habebant, in laicos transferre, tum generatim moniti, eos sine animarum suarum periculo decimas retinere non posse, sed adversus illos, qui eas retinerent; nulla pœna indicta est. Denique usu potius, ac silentio, quam lege ulla scripta toleratæ sunt decimæ, quas antea laici jure feudi obtinebant, novarum tamen acquisitio prorsus vetita; et hodie recepta sententia est, eas tantum decimas infeudatas à laicis recte delineri, quæ ante Lateranensem synodum acquisitæ sunt (3).

(1) Occupata à laicis bona, ac decimæ Ecclesiæ et Allaria dicebantur, quorum turpe, quod calamitosis iis temporibus à laicis fiebat, commercium damnant Paschalis II. et Gregorius VII. can. 13 et 14 caus. 1 q. 5. Confer Petrum de Marca in can. 7 conc. Claromont. Fr. Florentem in c. 1 et 2 de Jurepatr., et Muratorium diss. 72 et 73 Antiq. Italie.

(2) Cap. 10 de Decim.

(N. S. Syn. Palent. an. 1129, doctel. 16, constituit, quod laici terras ecclesiarum seu quascumque oblationes nulla ratione possideant; sed in dispositione Episcoporum, cuncta, quæ Ecclesiarum fuerint, habeantur. S. Raymond. de Pennafort Summ. lib. 1. pag. 129.)

(3) Quod Concilium Lateranense III. non expresse statuat, restituendas esse decimas, quas laici detinebant, neque ullam in ipsos pœnam constituat, sed tantum illas in laicos transferri, ac novas acquiri vetet, plerique in eam venire opinionem, quod ea Synodus integras laicis reliquerit decimas, in quarum antea possessione versabantur. Hinc orta communis opinio, laicos retinere posse infeudatas decimas, quas ante illam Synodum obtinebant. Sed recte observat Ludovicus Thomassinus Vet. et nov. Eccl. discipl. par. 5 l. 1 c. 11 n. 7 et seq. Concilium Lateranense III. numquam laicis antiquas decimas permisisse, cum satis diserte dicat, eas laicos sine animarum periculo delinere non posse. Hinc Odo de Saliaco Parisiensis Episcopus, viginti circiter post annos, quam Lateranense Concilium habitum fuerat, in suis constitutionibus Synodalibus n. 48 delet. vet. t. 1 col. 127. *Frequentel.* inquit, *monentur laici, ut non retineant decimas, quas in periculum animarum suarum retineant.* In Concilio Lateranensi IV. multa de decimis sancita sunt, præsertim contra illos, qui eas usurpabant, sed nullum decretum est, quo laici restituere cogantur decimas, quas tunc obtinebant. Imo Innocentius III. quo Pontifice Lateranense illud Concilium habitum est, non improbasse videtur decimas, quæ à laicis jure feudi retinebantur, uti patet ex prima collect. tit. 11 l. 1 p. 565 ed. Baluzii Paris. 1682. Cum enim capitulum Suessionense earum decimarum redimendarum facultatem postulasset, eam dedit Pontifex adjecta lege, ut capitulum ea, quæ præstabant vetusti decimarum possessores, Ecclesiæ servitia præstaret. Non hic Ecclesiæ restitui jubentur decimæ infeudatæ; imo vero probatur contractus, per quem illas capitulum à laicis acquisiverat, et confirmantur servitia, quæ antea laici propter decimas

præstabant, et quæ in posterum capitulum præstare debet. Clarius ipse Innocentius III. in cap. 25 de decim. memorat decimas in feudum concessas, neque eas improbat. Ita cum omnes, quæ ferebantur, leges novas tantum decimas à laicis acquiri vetarent, sed decimas jam infeudatas non improbant, invaluit opinio, quod laicis vetitum esset novas decimas acquirere, contra ipsas illæ essent permittendæ, quibus jam tunc fruebantur. Medio sæculo XIII. Alexander IV. in c. 2 §. sane de Decim. in 6, postquam statuit, Regulares posse cum Episcopi consensu decimas à laicis detentas accipere; *illas autem, inquit, decimas intelligimus posse taliter à Religiosis de manibus laicorum recipi, vel acquiri, quæ ante Lateranense Concilium ipsis laicis in feudum perpetuo fuere concessæ.* Non hic declarat Alexander, quod Lateranense Concilium intelligat, sed tamen Juris Canonici Interpretes intelligendum putant Concilium Lateranense III., quod Alexandro III. Pontifice habitum est. Hinc recepta ubique regula, laicos retinere posse decimas infeudatas, modo eas ante Concilium Lateranense III. obtinuerint. Illud non omitam, quod post Pontificatum Innocentii III. abstinere se Concilia à repetendis antiquis decimis, quas jam laici habebant, quod et ex Tridentina Synodo confirmari potest. Quamquam enim statuat, ut *qui decimas impediunt, aut subtrahunt, excommunicentur* sess. 25 c. 12 de Reform.; tamen sess. 25 c. 13 de Reform. agens de redditibus idoneis Episcopali seminario parandis, aliquid conferri jubet à laicis, qui Ecclesiæ decimas obtinent: *etiam ex decimis quacunque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solvi solent, pertinentibus.*

9. Solutio decimarum omnes generatim obstringit; quin etiam excommunicationis pœna constituta est adversus eos, qui decimas subtrahunt, aut impediunt (1). Multi autem eo onere soluti sunt, vel privilegio Summi Pontificis (2), vel præscriptione annorum quadraginta cum titulo: sine titulo vero, præscriptione temporis, quod supra hominum memoriam est (3); vel pactis conventis, et voluntaria remissione, quæ cum perpetua est, Summi Pontificis auctoritatem postulat (4). Clerici decimas pendunt ex bonis, quæ hæreditate, legato, donatione, aut simili contractu acquisiverunt, non item ex bonis, quæ habent titulo spirituali, puta beneficii (5); Regulares autem ex prædiis, quæ pridem suberant oneri decimarum, antequam ad eos pervenirent (6).

(1) Can. 5 caus. 46 q. 7, c. 5 de decim., Conc. Trident. sess. 25 c. 12 de Reform.

(2) Cap. 24 ibique Glossa verb. *Exemptus de decim.*

(3) Cap. 15 de privileg., cap. 4, 6, 8 de præscript., cap. 1 eod. in 6.

(4) Cap. 8 de Transact.

(5) Cum in cap. 2 de Decim. Paschalis II. decimas à clericis primum solvendas neget, ac deinceps affirmet, hinc variæ editæ sunt ab interpretibus explanationes, ut omnis, quæ forte in hac sententia inesse videtur, pugna removeatur. Verior, et ab omnibus fere recepta interpretatio est, quam tradit Glossa; videlicet, clericos non teneri decimis ex bonis spirituali titulo



acquisitis, puta beneficii, teneri autem ex bonis, quæ testamento, aut contractu obtinuerunt, et ex quibus, antequam ea venirent ad clericos, decimæ solvebantur; quamquam eorum honorum titulo promotus quis fuerit, nisi aliud legitima consuetudine inductum sit, ut declaravit Congregatio Concilii in Marsicana, 12 Augusti 1651 l. Deer. 49, p. 145 et in Usselen. Decimarum 11. Maii 1658 l. 21 p. 248. Atque id generatim obtinet, etiamsi clerici ab ipso Parocho sacramenta non accipiant, ut respondit eadem Congregatio Concilii in Feretrana, 19 Januar. 1656 l. Deer. 15 p. 3 10 et in Hortana Decimarum, 25 Septembr. 1694 lib. 44.

(6) Extant in cap. 10 et 11 de Decim. privilegia Sedis Apostolicæ, per quæ Regulares liberantur ab onere solvendarum decimarum ex prædiis, quæ propriis manibus, atque impensis colerent. Verum Innocentius III. in Concilio Lateranensi VI, Cap. 54 de Decim., sancivit, ut cuncti Regulares decimas solverent ex prædiis deinceps acquisitis, ex quibus antea decimæ solvebantur, quamquam ea ipsorum Regularium labore, et sumptibus fructuosa sint. Secundum hanc Decretalem, à Congregatione Concilii in Pampilonen. decimarum, 21 Augusti 1728, in Thesaur. resolut. t. 4 p. 215 et t. 6 p. 29 et seq., responsum est: quod Regulares non habentes in privilegiis expressam derogationem Cap. Nuper, teneanturolvere integras decimas, exceptis bonis, et rebus præscriptis in cap. Ex parte 10 de Decim. Hodie igitur Regulares omnes soluti sunt lege tribuendarum decimarum, tum personalem, tum realem, quæ dari deberent ex fructibus hortorum suorum, nutrimentis animalium, atque ex novalibus, quæ sunt ex terra prorsus inculta, quam ipsi proprio labore, sumptuque colunt; non item ex fundis decumanis, qui ad eos cum tali onere delati sunt, nisi etiam pro his peculiare privilegium obtinuerint, uti etiam declaravit Alexander IV, in cap. 2 §. Ceterum de Decim. in 6, et Innocentius X, Const. Nuper pro parte, 55 Bullar. t. 6 par. 3 p. 79. Consule Passerium Comment. ad l. 5 Sexti Decret. tit. de Decim. q. unic. art. 15 per tot.; Card. Petram ad Const. Apost. t. 4 in Const. 8 Martini V, p. 245; et Gaudentium à Janua, de Visit. cujuscumq. Prælar. t. 4 c. 5 dub. 15 sect. 6.

TITULUS XVII.

DE PRIMITIIS, OBLATIONIBUS, CETERISQUE TEMPORALIBUS BONIS CLERICORUM.

1. ET 2. PRIMITIÆ QUOMODO APUD HEBRÆOS, QUOMODO APUD CHRISTIANOS DEBITÆ?—3. OBLATIONES QUID?—4. AD 6. EARUM DISTINCTIO.—7. CUI ADSCRIBENDÆ OBLATIONES?—8. DISTRIBUTIONES QUOTIDIANÆ.—9. DE HIS TRIDENTINI CONCILII DECRETUM.—10. QUI DISTRIBUTIONES ACCIPIUNT?—11. PORTIO CONGRUA.

**P**RIMITIÆ sunt: rerum primi fructus, qui Deo offeruntur. Apud Gentes omnes vetustissimi instituti est primitias Deo offerre, et consecrare. Hebræi vero Divina etiam lege primitias dabant, quarum tamen modus, et ratio potius moribus, quam lege ipsa erat constituta (1). Inter Christianos, primitiæ ante ipsas decimas

obtinere cœperunt; et vero antiquissima sunt monumenta, unde intelligimus, Christianos primitias rerum suarum præstare consuevisse (2).

(1) Consule Hieronymum in Ezechiel. c. 45 vers. 15 et 14 opp. t. 5 col. 565 ed. Vallarsii Veron.

(2) Origenes contr. Cels. l. 8 n. 24 p. 766 t. 1 ed. Paris 1755; Irenæus l. 4. contra Hæreses c. 17. p. 219 ed. Paris. 1710; Auctor canon. Apostol. can. 5 et const. Apostol. l. 8 c. 40, uterque apud Cotelerium PP. Apostol., t. 1 p. 423 et 442 ed. Amstelæd. cit.

2. Dabantur primitiæ, non tantum ad agnoscendum Creatorem, sed etiam ad ministros Ecclesiæ sustentandos (1), erantque præsertim ex uvis, et frumentis (2), certa que extabat precum formula, quæ in earum benedictione adhibebatur (3). Nunc fere ubique primitiæ desierunt (4), ac si qua regio est, in qua adhuc eæ ex consuetudine tribuuntur, ex eadem noscitur, quid, et quantum dari debeat.

(1) In Synodo Gangrensi in Præfat. collet. Harduini t. 1. col. 550 et seq. gravissime reprehenduntur heretici Eustathiani, quod primitias fructuum Ecclesiæ olim datas sibi vindicassent, suisque adscripsissent; et hinc duo emittuntur canones, quibus sub pœna anathematis omnes prohibentur eos fructus Ecclesiæ oblatos accipere, aut dare extra Ecclesiam, præter Episcopi sententiam can. 7 et 8 col. 555 l. e.

(2) Concilium Africanum cap. 4 apud Pithœum eod. canon. Eccles. Roman. p. 144. ed. Paris. cit. S. Gregor. Nazianzenus Ep. 80 p. 355 opp. t. 1 ed. cit.

(3) Habes hanc formulam apud Auctorem constit. Apostol. l. e.

(4) Post sæculum V. vix ulla amplius mentio primitiarum occurrit; tantum indicuntur in Concilio Hispalensi apud Iyonem in Decret. par. 5 c. 174.

(N. S. In Hispania primitias jam diu viguisse novimus; eas quippe Alphonsus, Aragoniæ Rex, in voto Deo facto in honorem Ecclesiæ Valentiniæ, à Cappellanis, pro ipsorum sustentatione, et Ecclesiæ fabricæ percipiendæ, concessit anno 1741. Earundem usum inductum jam supponit Rodericus Tellus in Syn. Tarracon. post an. 1291, in Compil. Jo. Teres lib. 5, tit. 18, cap. 2; et Alphonsus Sapiens confirmat, ac à veteri lege deductum putat leg. 1, et 2, tit. 19 Partit. 1; immo ad ipsas exolvendas censuris posse fideles compelli decernit leg. 5 eod. Ad nostra tamen tempora quantum spectat, Primitiæ, altera scilicet ex triginta fructuum pars, generatim in Hispania exsolvantur, et fabricæ Ecclesiarum deputantur. At plurimum hac in re consuetudini concedendum: leg. 4 ejusd.

Primitias in Hispania ante concilium Illiberitanum extitisse, generatim opinantur nostrates scriptores, ac fructuum benedictionem, de qua in ejus Syn. can. 49 sermo est, ad propositum applicant. Ita M. Villodas, et Auct. libelli Historia de las Rentas de la Iglesia de España, pag. 50.

Primitiæ cum Decimis abolitæ fuere sanctionibus latis an. 1857, antea indicatis; licet earum solutio, ut et Decimarum, per aliquod tempus prorogata fuerit.

acquisitis, puta beneficii, teneri autem ex bonis, quæ testamento, aut contractu obtinuerunt, et ex quibus, antequam ea venirent ad clericos, decimæ solvebantur; quamquam eorum honorum titulo promotus quis fuerit, nisi aliud legitima consuetudine inductum sit, ut declaravit Congregatio Concilii in Marsicana, 12 Augusti 1651 l. Deer. 49, p. 145 et in Usselen. Decimarum 11. Maii 1658 l. 21 p. 248. Atque id generatim obtinet, etiamsi clerici ab ipso Parocho sacramenta non accipiant, ut respondit eadem Congregatio Concilii in Feretrana, 19 Januar. 1656 l. Deer. 15 p. 3 10 et in Hortana Decimarum, 25 Septembr. 1694 lib. 44.

(6) Extant in cap. 10 et 11 de Decim. privilegia Sedis Apostolicæ, per quæ Regulares liberantur ab onere solvendarum decimarum ex prædiis, quæ propriis manibus, atque impensis colerent. Verum Innocentius III. in Concilio Lateranensi VI, Cap. 54 de Decim., sancivit, ut cuncti Regulares decimas solverent ex prædiis deinceps acquisitis, ex quibus antea decimæ solvebantur, quamquam ea ipsorum Regularium labore, et sumptibus fructuosa sint. Secundum hanc Decretalem, à Congregatione Concilii in Pampilonen. decimarum, 21 Augusti 1728, in Thesaur. resolut. t. 4 p. 215 et t. 6 p. 29 et seq., responsum est: quod Regulares non habentes in privilegiis expressam derogationem Cap. Nuper, teneantur solveere integras decimas, exceptis bonis, et rebus præscriptis in cap. Ex parte 10 de Decim. Hodie igitur Regulares omnes soluti sunt lege tribuendarum decimarum, tum personarium, tum realium, quæ dari deberent ex fructibus hortorum suorum, nutrimentis animalium, atque ex novalibus, quæ sunt ex terra prorsus inculta, quam ipsi proprio labore, sumptuque colunt; non item ex fundis decumanis, qui ad eos cum tali onere delati sunt, nisi etiam pro his peculiare privilegium obtinuerint, uti etiam declaravit Alexander IV, in cap. 2 §. Ceterum de Decim. in 6, et Innocentius X, Const. Nuper pro parte, 55 Bullar. t. 6 par. 3 p. 79. Consule Passerium Comment. ad l. 5 Sexti Decret. tit. de Decim. q. unic. art. 15 per tot.; Card. Petram ad Const. Apost. t. 4 in Const. 8 Martini V, p. 245; et Gaudentium à Janua, de Visit. cujuscumq. Prælar. t. 4 c. 5 dub. 15 sect. 6.

TITULUS XVII.

DE PRIMITIIS, OBLATIONIBUS, CETERISQUE TEMPORALIBUS BONIS CLERICORUM.

1. ET 2. PRIMITIÆ QUOMODO APUD HEBRÆOS, QUOMODO APUD CHRISTIANOS DEBITÆ?—3. OBLATIONES QUID?—4. AD 6. EARUM DISTINCTIO.—7. CUI ADSCRIBENDÆ OBLATIONES?—8. DISTRIBUTIONES QUOTIDIANÆ.—9. DE HIS TRIDENTINI CONCILII DECRETUM.—10. QUI DISTRIBUTIONES ACCIPIUNT?—11. PORTIO CONGRUA.

**P**RIMITIÆ sunt: rerum primi fructus, qui Deo offeruntur. Apud Gentes omnes vetustissimi instituti est primitias Deo offerre, et consecrare. Hebræi vero Divina etiam lege primitias dabant, quarum tamen modus, et ratio potius moribus, quam lege ipsa erat constituta (1). Inter Christianos, primitiæ ante ipsas decimas

obtinere cœperunt; et vero antiquissima sunt monumenta, unde intelligimus, Christianos primitias rerum suarum præstare consuevisse (2).

(1) Consule Hieronymum in Ezechiel. c. 45 vers. 15 et 14 opp. t. 5 col. 565 ed. Vallarsii Veron.

(2) Origenes contr. Cels. l. 8 n. 24 p. 766 t. 1 ed. Paris 1735; Irenæus l. 4. contra Hæreses c. 17. p. 219 ed. Paris. 1710; Auctor canon. Apostol. can. 5 et const. Apostol. l. 8 c. 40, uterque apud Cotelerium PP. Apostol., t. 1 p. 423 et 442 ed. Amstelæd. cit.

2. Dabantur primitiæ, non tantum ad agnoscendum Creatorem, sed etiam ad ministros Ecclesiæ sustentandos (1), erantque præsertim ex uvis, et frumentis (2), certaue extabat precum formula, quæ in earum benedictione adhibebatur (3). Nunc fere ubique primitiæ desierunt (4), ac si qua regio est, in qua adhuc eæ ex consuetudine tribuuntur, ex eadem noscitur, quid, et quantum dari debeat.

(1) In Synodo Gangrensi in Præfat. collet. Harduini t. 1. col. 550 et seq. gravissime reprehenduntur heretici Eustathiani, quod primitias fructuum Ecclesiæ olim datas sibi vindicassent, suisque adscripsissent; et hinc duo emittuntur canones, quibus sub pœna anathematis omnes prohibentur eos fructus Ecclesiæ oblatos accipere, aut dare extra Ecclesiam, præter Episcopi sententiam can. 7 et 8 col. 555 l. e.

(2) Concilium Africanum cap. 4 apud Pithœum eod. canon. Eccles. Roman. p. 144. ed. Paris. cit. S. Gregor. Nazianzenus Ep. 80 p. 355 opp. t. 1 ed. cit.

(3) Habes hanc formulam apud Auctorem constit. Apostol. l. e.

(4) Post sæculum V. vix ulla amplius mentio primitiarum occurrit; tantum indicuntur in Concilio Hispalensi apud Iyonem in Decret. par. 5 c. 174.

(N. S. In Hispania primitias jam diu viguisse novimus; eas quippe Alphonsus, Aragoniæ Rex, in voto Deo facto in honorem Ecclesiæ Valentiniæ, à Cappellanis, pro ipsorum sustentatione, et Ecclesiæ fabricæ percipiendæ, concessit anno 1741. Earundem usum inductum jam supponit Rodericus Tellus in Syn. Tarracon. post an. 1291, in Compil. Jo. Teres lib. 5, tit. 18, cap. 2; et Alphonsus Sapiens confirmat, ac à veteri lege deductum putat leg. 1, et 2, tit. 19 Partit. 1; immo ad ipsas exolvendas censuris posse fideles compelli decernit leg. 5 eod. Ad nostra tamen tempora quantum spectat, Primitiæ, altera scilicet ex triginta fructuum pars, generatim in Hispania exsolvantur, et fabricæ Ecclesiarum deputantur. At plurimum hac in re consuetudini concedendum: leg. 4 ejusd.

Primitias in Hispania ante concilium Illiberitanum extitisse, generatim opinantur nostrates scriptores, ac fructuum benedictionem, de qua in ejus Syn. can. 49 sermo est, ad propositum applicant. Ita M. Villodas, et Auct. libelli Historia de las Rentas de la Iglesia de España, pag. 50.

Primitiæ cum Decimis abolitæ fuere sanctionibus latis an. 1857, antea indicatis; licet earum solutio, ut et Decimarum, per aliquod tempus prorogata fuerit.

3. Oblationes sunt munera, quæ à fidelibus Deo, et Ecclesiæ sponte offeruntur. Antiquissimus earum usus est, atque ab ipsa Apostolorum ætate repetendus (1). Nemo offerre cogebatur, sed turpe erat, eum non offerre, qui posset (2); et illorum, quorum præclara erant munera in Ecclesiam, nomina publicè recitabantur (3). Neque vero omnibus offerre licebat; quoniam oblationes, præsertim Eucharisticæ, ecclesiasticam communionem ostendebant, et ideo rejiciebantur oblationes eorum, qui in Eucharistia non communicabant (4). Ipsi Consistentes, qui scilicet in summo pœnitentiæ gradu versabantur, quamquam communium precum essent participes, tamen ad altare offerre prohibebantur (5); et sæpe restitutas constat oblationes eorum, qui deinceps in hæresim inciderant (6).

(1) Agapas, sive sacra convivia Apostoli instituerunt, atque horum ratio erat, ut singuli Fideles panem, ac vinum, aliaque etiam ad Ecclesiam offerrent, è quibus panis, viniq; parte consecrata, quod reliquum erat, in commune illud convivium conferebatur. Atque huc referendum illud Apostoli I ad Corinth. XI 21: *Unusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum, et alius quidem esurit, alius ebrius est.* Licet vero deinceps Agapæ desierint, tamen oblationum usus diu retentus est. Agit, præter ceteros, de Agapis Thomassius Vet. et nov. Eccles. Discipl. p. 5 l. 3 cap. 47 n. 1.

Ejusmodi convivii fidelium unio, et fraterna maxime fovebatur charitas; quam quidem consuetudinem nostra hac ætate apud Burgiorum et sancti S. Andreæ montanos (Montañas de Santander) obtinere et vigere perspiciamus. Descriptis namque quibusdam diebus festis, simul convivaturi conveniunt omnes. In aliis autem pagis vel provinciis in ecclesiæ atrium, uti hodie loqui fas est, congregantur, panem et caseum, quæ post Missam à Parochia lastrantur, comesturi: hujus igitur rerum comestio *charitates* vocabatur, et idem, quod græcum *Agapai*, significabat. (Ex M. Villodas).

(2) Cyprianus de Oper. et eleemosyn. p. 141 ed. Amstelæd. 1700, reprehendit fornicinam, quæ cum dives esset, nihil obtulerat, et S. Augustinus, seu potius S. Cæsarius Arelatensis, Auctor serm. 85 de Tempor. n. 4 et 5 col. 454 opp. t. 5 par. 1 ed. cit., populum ad hanc officii partem vehementer hortatur, sed lapsu temporum, immutata apud multos pietate, latis legibus jussi sunt Christiani certis saltem diebus oblationes facere. Concilium Matisconense II, can. 4 apud Labbæum t. 6 col. 674 ed. Ven., cunctis diebus dominicis panem, et vinum ab omnibus offerri jubet; et Capitularia Regum Francorum l. 6 c. 170 apud Baluzium col. 656 ed. Ven. 1772, quotidie oblationes fieri mandat; *et si quotidie non potest, saltem dominica die.* Quo loco autem oblationes fierent laicorum, quibus ad altare accedere non licebat, diligenter ostendunt Bona Rer. liturgic. l. 2 c. 9 §. 1 p. 199 t. 3 ed. Taurin. cit., et Sala in Notis ad eundem locum, et ad cap. 8 §. 4 et 6 p. 185, 191 et 200; et Martinius de Antiq. Eccles. rit. l. 1 c. 4 art. 6 §. 7 t. 1 p. 140 ed. Antwerp. seu Ven. 1765.

(5) Cyprianus Ep. 60 ad 62 ad Episcop. Numid. p. 274 ed. cit., Hieronymus in Jerem. l. 2 c. 11 vers. 15 et 16 opp. t. 4 col. 921 ed. Veron. cit., Innocentius I, Ep. 25 ad Decent. Episc. Eugub. c. 2 apud Constantium Ep.

Pontific. Roman. col. 857. Auctor const. Apostol. l. 3 c. 4 p. 279 ed. cit., quem in locum vide Cotelerium, et vide etiam Card. Bonam Rer. liturgic. l. 2 c. 8 §. 7 t. 5 p. 491 seq. ibique Salam in not., ac Selvagium Antiq. Christian. l. 2 c. 1 §. 8, ubi multa habes de his nominibus recitandis.

(4) Auctor constit. Apostol. l. 5 c. 8 apud Cotelerium l. c. p. 385, Concilium Eliberitanum can. 28, quem in canonem vide Albaspinæum p. 169 ed. Neap. cit. Quin etiam fratrum inter se dissidentium oblationes recipi vetat Concilium Cartaginense IV; can. 95 col. 984 t. 1 collect. Harduini ed. Paris. cit. In Capitularibus Caroli M. et Ludovici Pii l. 7 c. 442 col. 751 et in Addit. 4 cap. 81 col. 615 l. 1 ed. Baluzii Ven. 1772, rejiciuntur oblationes illorum, qui sibi mortem conceverunt, quique pro suis criminibus puniuntur. Repudiabat etiam Ecclesia oblationes datas ab illis, qui pauperes opprimebant, uti patet ex eodem Concilio Carthaginiensi can. 6 l. c.; cum quo consentit Auctor constit. Apostol. l. 4 c. 6 p. 297, ubi alii præterea scelesti homines recensentur, quorum oblationes non recipiebantur. Ambrosius, Ep. 17 n. 14 col. 370 t. 5 ed. cit., Valentinianum Imperatorem monet, ne quid ad idolatriam restituendam conferret; quoniam si id fecisset, ejus oblationes Ecclesiæ repudiasset. Atque id quidem perpetuum fuit de oblationibus, unde Eucharistiæ elementa sumebantur. Ceteras oblationes interdum receptas constat, quamquam ab iis fierent, qui communionis expertes erant, et quidem Hormisdas P., uti narrat Anastasius in ejus Vit. §. 86 t. 1 p. 95 ed. tom. 1713, à Theodoro Ariano offerri passus est *Cerostata argentea duo pensan. libras 70.* Verum Liberius P., uti testantur Athanasius Hist. Arian. ad Monach. n. 57 opp. t. 4 p. 239 ed. Patav. cit., et Theodoretus Hist. l. 2 c. 46 p. 95 ed. Cantabrig. cit., Constantii dona repudiavit; et munera Valentis nemo accipere ausus est, cum non sciretur, num ea Basilii esset accepturus, sicuti narrat Gregorius Nazianzenus Orat. 20 de laud. Basilii opp. t. 1 p. 351 ed. Coloniae 1790.

(N. S. Omnibus ex æquo fidelibus permissum erat munera altari, et Ecclesiæ offerre: at vero in iis recipiendis illud quam maxime cavebant veteres Sanctissimi Episcopi, ne cui fraudi essent: præsertim filiis, et parentibus. Eo spectat quod ait S. Ambrosius: *Non querit donum Deus de fame parentum.*)

(5) Concilium Nicænum can. 11 t. 2 col. 38, 45, 52, et Ancyranum can. 4 et 5 apud Labbæum t. 4 col. 1487 ed. Ven., ubi canones hos pœnitentes appellant *sine oblatione communicantes.* Verum eorum, qui in pœnitentiâ constituti, et reconciliationis cupidi, subito moriebantur, oblationes Ecclesiæ accipiebat: Concilium Vasense I, can. 2 t. 4 col. 717. Arelatense II, can. 12 apud eundem Labbæum t. 5 col. 5 ed. Ven. et Toletanum XI, can. 12 t. 5 collect. Harduini col. 1029. Idem habent Capitularia Regum Francorum l. 5 cap. 150 et 142 col. 1567 et 570 ed. Baluzii Ven. 1772, et Canones Isaac Episcopi Lingonensis can. 14 apud eundem Baluzium eod. loc. col. 641. Vide Albaspinæum Observ. 5 l. 1 p. 47 ed. Neap. 1770.

(6) Quod adversus Marcionem, qui ducenta sextertia Ecclesiæ dederat, factum narrat Tertulianus de *Præscript.* c. 50 p. 212 ed. Paris. 1675.

4. Jam oblationes aliæ ad altare fiebant, cum sacrificium pe-ragebatur; et tunc quidem fideles offerebant panem, et vinum, thus etiam, atque oleum pro luminaribus, præterea Sabbato Sancto, qui dies erat solemnus Baptismi, lac, et mel, quo recens

baptizati vesci solebant (1). Ex oblatis pane, et vino Eucharistiæ elementa desumebantur; quod reliquum erat, clericis, ac pauperibus tribuebatur (2). Cum illa desit panis, ac vini oblatio, cœpit offerri pecunia, unde Missæ honorarium ortum est (3).

(1) Consule can. Apostol. 3, 4, 5 apud Cotelierum l. c. p. 442 Concilium Carthaginense III, canon 24 apud Labbæum t. 2 col. 1043: Concilium Africanum c. 4 apud Pithæum l. c. p. 144. Sed Concilium Trullanum, can. 57 apud eumd. Labbæum t. 7 col. 1574, hæc, et mel offerri vetat.

(2) S. Justinus M. Apol. 1 n. 66 et 67 p. 85 ed. Paris. 1742. Tertulianus Apolog. c. 39 p. 51 ed. Paris. 1675.

(N. S. Clericis nempe ratione ordinis, et gradus; aut meriti, et laboris, ex Syn. Emerit. can. 16: *litis* aut semel in anno, uti decrevit Bracar. l. cap. 21, alias can. 58.)

(3) Confer Mabillonium Præfat. ad par. 1 sæc. 3 Benediction. num. 62 p. 27 ed. Ven. 1754; Franciscum de Berleendis Dissert. de Oblat. pecul. §. 2 R.; et Salam in Not. ad Bonam Rer. liturgic. l. 2 c. 8 §. 5 et 8 Not. 4 t. 5 p. 180 et 196 ed. Taur. cit.

Sacerdos, post Missæ offertorium, benedicebat panem, quem post *Agnus Dei* fidelibus adstantibus partiebatur. Hunc antiquissimum sane morem, in quibusdam Hispaniæ ecclesiis hodie adhuc obtinere videmus, in quibus benedictus iste panis, parvula in frusta sectus, fidelibus distribuatur: quapropter negari haud potest, hujusmodi panem, idem omnino esse, ac illud, quod græci *Eulogias* appellabant. Panis ille benedictus tamquam Eucharistiæ supplementum existimabatur: quamobrem magno cæremoniæ apparatu erogabatur; et excipientes naturale servare jejunium, vel jejunos omnino esse, cum illa essent recepturi, tenebantur. Hinc igitur, quoniam nec infidelibus nec excommunicatis dabatur; hæreticorum pro inde *Eulogias* accipere, nefas erat summum, ut ex cap. 70 Collectionis Martini Bracarenensis providentissime fuerat constitutum.

*Eulogiæ*, late, panem, vinum, aliæque complectebantur obsonia; et non solum præsentibus dabantur, sed et ad absentes transmittebantur, tamquam communionis pignus, ac ut antiquæ fidelium, qui simul omnes communicabant, disciplinæ memoria refricaretur. (Ex M. Villodas).\*

(N. S. In Hispania pecuniæ oblationes, et quidem in festis diebus, demonstrat Syn. Emerit. an. 366 Cap. 44. In *Sancta Dei Ecclesia*, ait, *diebus festis, pro consuetudine, et mercede, communionis tempore, à fidelibus pecuniam novimus poni*. Porro duo indicat præf. Cap.—1 pecuniam offerri solitam in Missis sollempnibus, idque denotat verba *diebus festis, communionis tempore, à fidelibus*: 2 non tunc primo transmissæ cepisse illi genus oblationum, sed Concilii Emeritensis ævo antiquiores esse, uti colligitur ex his verbis: *pro consuetudine novimus poni*.—V. hujus tom. pagg. 65 ad 87.

5. Aliæ erant oblationes, quæ pro arbitrio in Ecclesia deponebantur, ut cederent in ipsius Ecclesiæ usum, aut in clericorum, et pauperum alimenta. Nam inde à primis sæculis erat in Ecclesiis arca, quæ *Corbona* dicebatur, et in quam fideles stipem inferebant, unde pauperes opem acciperent (1). Inde insti-

tutum est *Gazophylacium*, locus scilicet in exedris Ecclesiæ, quæ illæ fidelium oblationes deferebantur (2).

(1) Memorat hæc corbonam Cyprianus de Oper. et elemosyn. p. 141 ed. Amstelæd. 1700, cum reprehendit opulentam feminam, quæ nihil obtulerat, his verbis: *Locuples, et dives es, et Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis; quæ in Dominicum sine sacrificio venis; quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis*. Basnagius Exerc. Hist. crit. ad an. 44 n. 67 corbonæ nomine non arcam pecuniariam, sed potius ipsas oblationes designari arbitratur, quoniam Hebraicum hoc vocabulum donum significat Verum et ipsum *Corbon* Hebraicum locum condendæ pecuniæ destinatum notat Matthæus XXVII. 6, *non licet eos argenteos mittere in corbonam*. Adde, quod verisimile non est, Cyprianum latine scribentem aliter, ac Latini explicabant, intellexisse vocem, quæ latini juris, ac significationis evasit. Vide etiam Justinum Martyrem, et Tertullianum l. c. qui memorant hæc stipem à fidelibus in Ecclesia depositam, ut ea pauperibus auxilium præberetur.

(2) Duplex *Gazophylacium* erat, alterum intra, et alterum extra Ecclesiam; utrumque describit Binghamus Origin. eccl. l. 8 c. 6 §. 22 t. 5 p. 248 ed. Halæ Magdeburg. 1758. In *Gazophylacio*, quod erat intra Ecclesiam, servabantur priores illæ oblationes, quarum antea meminimus; ad *Gazophylacium*, quod erat extra Ecclesiam, alterius generis oblationes deferebantur,

6. Denique aliæ erant oblationes, quas Christiani pro sua pietate dabant, cum justa funeris solvebantur, cum sacramenta suscipiebant, cum alia sacra officia peragebantur. Sane quarto sæculo aliquid in Baptismo dari solebat (1). Hæ oblationes initio voluntariæ erant, sed temporis eursu in laudabiles consuetudines abierunt; et vero Concilio Lateranensi IV sancitum est, ut libere sacramenta, ceteraque sacra officia administrarentur, sed ut fideles oblationes præstent, quas præstare consueverunt, et recusantes eliam cogi ab Episcopo possint (2). Non enim dantur tamquam pretium rerum sacrarum, sed tamquam præmium laboris, tamquam alimenta, quæ Jus Divinum Ecclesiæ ministris tribui voluit. Atque hæc sunt jura, quæ ad Parochum pertinent, et ideo parochialia dicuntur.

(1) Gregorius Nazianzenus Orat. 40 de Baptism. p. 672 t. 1 ed. Coloniae 1690.

(2) Cap. 42 de Simon.

7. Oblationes omnes, etiam quæ sponte, quæque in capella inferiori, aliove loco intra fines Parochiæ fiunt, pertinent ad Ecclesiam parochialem, nisi aliam esse constet offerentium voluntatem. Nimirum fideles oblationes facere videntur propter curam animarum, quam Ecclesia sustinet, quæ præsumptio locum non

habet, cum alia offerentium voluntas patefacta est. Tunc enim oblationes dandæ sunt loco, cui quis eas adscribi voluit (1). Similiter ad Ecclesiam parochialem non pertinent oblationes, quæ alii loco consuetudine, vel privilegio addictæ sunt.

(1) Consule Barbosam *de Offic. Paroch. c. 21*; Card. de Luca, *de Decim. disc. 19*; et Fagnanum in cap. 9 *de His quæ fiunt à Prælat. n. 14* et seq.

Novis. Concordati art. 33 Parochis ac Coadjutoribus addici observavimus oblationes, vulgo *derechos de estola y pie de altar*. De eis v. legg. 2, 4, 6, tit. 5, 9 tit. 20, lib. 1 *Novis. Compilat.*

8. Inter clericorum redditus recensentur etiam distributiones quotidianæ, quæ debentur Canonicis, qui Divinis officiis intersunt. Nulla enim est vel Cathedralis, vel collegiata Ecclesiæ, quæ communem arcam non habeat, unde sumuntur hæc præmia, quæ singulis diebus, atque horis adscripta sunt, ut Choro addicti facilius hac illecebra ducti, et frequentius ad illum conveniant (1). Non tamen hujus præsertim emolumentum ratio, sed pietatis studium, et obsequium in Deum, ad Chorum vocare unumquemque debet; neque effugeret simoniæ labem, qui tantum distributionum utilitate traheretur (2).

(1) Ivo Carnotensis Ep. 219 ad Paschaem P. p. 95 ed. Paris. 1647.

(2) Vide S. Thomam in Quodlibet, 8 q. 6 art. 4.

9. Synodus Tridentina distributiones approbat, atque eas in morem perducere jubet, ubi veteri instituto receptæ non essent. Propterea statuit, ut in cunctis cathedralibus, et collegiatis Ecclesiis tertia pars fructuum, aliorumque reddituum, qui ad Capituli Dignitates, aut ad Canonicos pertinent, ab Episcopo, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegato, in quotidianas distributiones convertatur (1).

(1) Concilium Tridentinum sess. 21 c. 5 de Reform.

10. Distributiones, quas absentes amittunt, capitulum nemini remittere, et condonare potest (1); sed Ecclesiæ fabricæ, alive pio loco Episcopi arbitrio adscribendæ sunt, distributiones eorum qui redditus habent à capituli mensa sejunctos, eorum vero, quibus ex eadem mensa communes sunt redditus, inter præsentem dividuntur (2). Sunt tamen qui justis de causis abesse coguntur, et hi distributiones acquirunt, perinde ac præsentem essent; qua-

les sunt vere, et graviter ægrotantes, carceribus injuria detenti, et absentes propter pestem, vel propter Ecclesiæ utilitatem (3).

(1) Confer Suarezium de Religion. l. 4 de horis canonic. c. 10 n. 20 opp. l. 2, et Benedictum XIV, Instit. eccles. instit. 107 §. 7 n. 42.

(2) Duæ sunt ea de re Tridentini Concilii leges sess. 21 c. 5 et sess. 22 c. 5 de Reform.: altera absentium distributiones præsentibus, et altera Ecclesiæ fabricæ, aut alii pio loco arbitrio Episcopi adscribit. Sed lex illa locum habet, cum communes sunt omnium canonicorum redditus: altera vero, cum illi absunt, quibus sua à capitulari mensa distincta præbenda est. Consule Fagnanum in cap. *Quia nonnulli* n. 22 et seq. de cleric. non residen.

(3) Bonifacius VIII in cap. unie de cleric. non residen. in 6, quam legem renovavit Synodus Tridentina sess. 24 c. 12 de Reform., postquam generalim constituit, absentes distributionibus carere, addit hæc: *Exceptis illis, quos infirmitas, seu justa, et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret*. Itaque quæsitum est, quæ infirmitas, quæ item corporalis necessitas, quæ denique Ecclesiæ utilitas requiratur, ut absentes distributiones accipiant. Generalim verus, gravisque morbus requiritur, qui aliquem domo exire prohibeat, quamquam ea in re boni viri arbitrium spectare oporteat; neque hic ipse morbus est satis, cum quis sanus divinis officiis interesse non solebat. Excusantur etiam, qui carceribus injuste detinentur, quique ob pestis causam, aut propter inimicitias, vel injurias, quas immerito perferunt, ad chorum venire nequeunt. Similiter Canonicus Theologus, et Pœnitentiarius, itemque Canonicus, qui in eadem Ecclesia et canonicatum, et curam animarum habet, tamquam præsentem in choro habentur, eum ea præstant, quæ sui muneris propria sunt. Hæc, et cetera, quæ ad hunc locum pertinent, diligenter explicat Benedictus XIV. l. c. §. 8 et seq. n. 45 et seq. Vide etiam Giraldum Exposit. Jure Pontific. par. 4 l. 5. Decretal. sect. 553 p. 245 et seq., à quo omnes, qui etiam absentes quotidianas distributiones accipiunt, accurate recensentur.

11. Denique vicarii, qui exercent curam animarum, quæ capitulis, aut monasteriis conjuncta est, congruam portionem habere debent. Quo nomine intelligitur certa pars fructuum, quæ ex parochiæ redditibus Episcopi arbitrio detrahitur, quæque vicario adscribitur, unde habeat id, quod ad decentem ejus tuitio-nem necessarium est (1). Constituunt hos vicarios capitula, monasteria, et cetera loca pia, quæ curam habent animarum, ut parochialia gerant officia; verum illi ab Episcopo approbandi sunt (2).

(1) Concilium Tridentinum sess. 7 c. 7 de Reform., Benedictus XIV. const. *Cum semper*, 103 in ejus Bullar. t. 1 p. 222 §. 10 ed. Rom. seu Ven. 1754. Confer ea, quæ supra diximus l. 1 tit. 5 sect. 9 §. 84 p. 222.

(2) Consule Giraldum Exposit. Jur. Pontific. part. 2 sect. 25 p. 326.

TITULUS XVIII.

DE PECULIO CLERICORUM.

1. PECULIUM ECCLESIASTICUM QUID?—2. BONA PATRIMONIALIA CLERICORUM.—3. USUS PECULI ECCLESIASTICI.—4. FACULTAS TESTANDI DE HOC PECULIO.—5. SPO-LIA, ET EORUM COLLECTORES.

**E**x Ecclesie bonis, cum ad clericos ea pervenerint, existit illud, quod in Jure nostro peculium Clericorum appellatur. *Peculii* nomen ex Jure Civili desumptum est, ac significat quasi *pusillam pecuniam*, seu *patrimonium pusillum*, ut inquit Ulpianus (1), quod servus, permissu domini, separatum à dominicis rationibus habet. Placuit hoc nomen traducere ad res ecclesiasticas, quoniam uti servus verum non habet dominium peculii sui, ita neque clericus dominus est honorum, unde illud peculium conflatum est; imo si dominus revera est fructum eorumdem honorum, non merus administrator, ut multi putant, hoc certe dominium et arbitrium non ita late patet uti patet dominium, quod omnes habent in rebus suis.

(1) Leg. 5 ff. de Pecul.

2. Verum, præter hoc peculium, habent etiam clerici bona privata, sive patrimonialia, qualia sunt acquisita hæreditate, legato, contractu, aliove jure, quod clerici cum reliquis civibus commune habent. Horum quidem honorum omnium plenum clericis dominium est, et ideo distractio, atque consumptio eorum arbitrio relinquuntur (1). Moriente vero clerico sine testamento, hæc bona transeunt ad cognatos proximos ab intestato, ac si nulli fuerint vel ex testamento, vel ab intestato hæredes, ad Ecclesiam deferuntur (2).

(1) Can. 4 c. 12 q. 5, cap. 9 et 12 de Testam.

(2) Cap. 1 eod., c. 1 de Suces. ab intest.

3. Sed in ecclesiastico peculio illud sæpe quæsitum est, num clericus in eo dominium habeant, an potius tantum usum, et administrationem. Quæ disputatio eo spectat, ut sciatur, num lex justitiæ, an pietatis, et misericordiæ, ac jus positivum Ecclesie

clericos cogat in pauperes, aut alios pios usus convertere quidquid ex decenti exhibitione sua superest de rebus rerum ecclesiasticarum (1). Alterutram sequi opinionem placeat, certum est, clericos ex bonis ecclesiasticis tantum sumere, quod ipsis est necessarium ad honeste, ac decenter vivendum, reliquum in pios usus conferre oportere (a).

(1) Controversiam hanc, omnibus excussis argumentis, diligentissime, et copiosissime expendit Benedictus XIV. de Synod. diocæs. l. 7 c. 2. Videndus est etiam Theodorus Rupprechtus Not. histor. in jus can. l. 3 tit. 25.

(a) (N. S. Notandum quod de frugali Episcoporum vita, constituere Provincialia Hisp. Concilia post Trid. an. 1565 celebrata: Tolet. Act. 2 Ref. cap. 3, Episcopos hortatur, ut eorum modesta sit supellex, ut hospites, quicumque ii futuri sint, quum ad Episcoporum domum venerint, sciant se fore ad Episcoporum, non ad Principum sæcularium, aut Regum hospitium recipiendos... ut sint memores Episcopi, Divinam Majestatem non leviter offendi, dum non paucis pauperibus, qui ob egestatem, et famem vitæ periculum experiuntur, et expectant, ex his subveniri posset, quæ mensis Episcoporum, contra indictam à Canonibus frugalitatem, maxima cum ignominia veri splendoris adponuntur. Valent. Sess. 3 Tit. 5 cap. 1, Episcopos monet, quod egenis liberaliter subveniant, cognatos, et affines bonis Ecclesie minime ditent, ac multo minus Ecclesiastica bona adcumulent, ut ex eis hæredem testamento instituant. Et Compost. Act. 5 Decr. 3, 5, 6, ut Episcopi contenti sint modesta supellectili, et frugali victu quotidiano, et præbeant large elemosynas indigentibus. Id ipsum de Clericis inferioribus intelligas.

Omnes quotquot in Ecclesia unquam florere Episcopi, et Clerici pietate, doctrinaque conspicui, suis præceptionibus, exemplisque tradiderunt, Clericis ex Ecclesie redditibus hæud licere nisi necessaria percipere, aliquid amplius accipere sacrilegium esse, reliquos, qui superessent, in pauperes omnino erogandos: Conc. Antioch. Can. 50, hoc de capite sic decernit: Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes, qui indigent cum summa reverentia, et timore Dei... Quod si convertat res Ecclesie in suos usus domesticos... Synodo Provinciae pœnas ipse persolvat. Tum Canon ex sic dictis Apostolicis num. 40, potestate Episcopi, indigentibus omnia dispensentur per Presbyteros, et Diaconos. Eadem habent et alii Conciliorum Canones, in hanc rem sanciti: adhuc et Patres æque Orientales, ac Occidentales apud Thomass. Part. 5 Lib. 3 cap. 26, et 27—Neque aliter sensit Hispaniarum Ecclesia, in qua ipsius bona passim *alimenta pauperum* audiebant. Synod. Hispal. II. Can. 9, Tolet. IV. Can. 58, et Tolet. VI. Can. 15; necnon Hispaniarum Leges Leg. 12 Tit. 28 Partit. 3. Quocirca Philippus Magnus injunxit Prælati, Ecclesiis, et utriusque sexus Monasteriis, ut ex eorum bonis, quantum in ipsis fuerit, puellarum orphanarum doti partem deputent: Leg. 7 Tit. 3 Lib. 10 Novis. Compilat).

4. Antiqui canones de ecclesiastico peculio clericos testari vetabant, quoniam illud redire debebat ad Ecclesiam, unde profectum erat (1). Sed sensim consuetudine, ac privilegio Sum-

morum Pontificum, præsertim ob frequentes lites, quas excitabat difficultas discernendi bona ecclesiastica à patrimonialibus, inductum est, ut clerici etiam de bonis ecclesiasticis testamentum condaant. Interim in Foro valent hæc testamenta; sed gravi certe crimine obligantur clerici, qui potius quam in pios, conferunt in profanos usus, aut in ditandis consanguineis insumunt fructus rerum ecclesiasticarum. Non enim consuetudo honorum naturam mutat, neque privilegium datum censetur cum gravi detrimento pauperum, et Ecclesiarum (2).

(1) Can. 40 Apostol. apud Cotelierum l. c. p. 447, cap. 1 de pecul. clerit. cap. 7 de Testamen.

(2) Vide Concilium Tridentinum sess. 25 c. 1 de Reform.

(N. S. Hispaniæ Ecclesia nihil intentatum reliquit, ut Clericos à ditandis supremis tabulis ex Ecclesiæ bonis cognatis deterreret. Ad rem Syn. Tolet. II. Can. 4: « Si quis Clericorum agellos, aut vineolas in terris Ecclesiæ sibi fecisse probatur sustentandæ vitæ causa, usque ad diem obitus sui possideat; verum post suum de hac luce discessum, juxta priorum Canonum Constitutiones, jus suum Ecclesiæ sanctæ restituat; nec testamentario, aut successorio jure cuiquam hæredum, pro hæredumve relinquat. » Synod. Valent. an. 546 Can. 3. constituit, ne Episcopi defuncti propinqui quidquam de ipsius rebus acciperent, ne forte simul cum patrimonialibus, bona etiam Ecclesiæ tollerent. Tolet. IX Can. 4, et 7, Episcopis injunxit, ut Ecclesiæ bona à propriis ipsorum bonis segregata haberent. Syn. Vallisolet. Cap. 16 ita decrevit: « Qui vero (*Beneficiarius*) de bonis Ecclesiasticis filii, aut nepotibus dotem, aut donationem propter nuptias adsignaverit, adsignatio ipso jure non valeat. .... Idem in Religiosis militaribus, exemptis, et non exemptis, penitus observetur. » Verum quum à sæculo VI Clericis indulgent sit, de bonis, vel donatione, vel testamento, vel industria acquisitis, extremas conscribere tabulas, ut innunt Syn. Valent. et Tolet. IX præf. Canonibus; hinc consuetudine etiam invecum est, ut Clerici omnes de quibuslibet suis bonis sine discrimine testarentur. Id quod probasse videntur *Lex 12 Tit. 2 Lib. 4 For. Judic.*, Syn. Dertus. an. 1419, cap. 13, et sequentibus temporibus Carolus V, ac Philippus II. *Leg. 12 Tit. 20 Lib. 10 Novis. Compilat.* Denique licet Episcopi olim ex Sedis Apostolicæ privilegio testarentur: novissimi vero Concordati (an. 1755) Art. 8, omnis hujusmodi impetrandi indulta spes sublata est).

Leg. 9 Nov. 1859 declaratum est, Giennensis Cathedralis, ac ejus dioceseos collegiarum dignitates, ut et parochos illius Episcopatus, testari posse absque Ordinarii licentia; necnon *ab intestato* decedentium ipsorum hæreditates ad propinquos, juxta leg. Hisp. placita, deferendas.

Reg. Decretum 27 Januar. ac lex 29 Julii 1857, in testamentificationis ac successionis juribus Regulares utriusque sexus (secularizados ó esclaustrados), ut et Monachas in Conventibus degentes, sæcularibus Clericis per omnia æquiparari statuerunt.\*

§. Bona Ecclesiastica clericorum post eorum obitum, spolia dicta sunt, quoniam clerici, exemplo Monachorum, ad vitæ exitum properantes, rebus peculiaribus sese ultro spoliare con-

sueverunt, ne quid Ecclesia caperet detrimenti. Hæc bona, quæ clericus moriens relinquit, nisi vel consuetudine, vel privilegio Summi Pontificis testandi facultatem habeat (1), jure spoli pertinet ad Cameram Apostolicam; quæ ea colligit per *collectores* in provinciis constitutos, et cuncta in pauperum alimenta, aliosve pios usus convertit (2). Neque quis sibi per hos collectores inferri damnum, aut injuriam putet; quoniam spoliolum ad ea pertinet, de quibus clericus liberum non habet statuendi arbitrium, atque illud declinare unusquisque potest, si vivens obtemperet legi, qua obstringitur, piisque adscribat usus redditus ecclesiasticos, qui ei supersunt ex necessariis ad vitam traducendam (3).

(1) Consule Giraldum Exposit. Jur. Pontific. par. 1 Decretal. l. 5 sec. 475 p. 506 et 57, et Lucium Ferraris, Bibliothec. verb. Spoliolum, à quibus omnes, qui vel consuetudine, vel privilegio de ecclesiasticis bonis testari possunt, accurate recensentur. Cives, et incolæ Urbis Romæ, quique præcul ab ea decedunt intra decem millia passuum, eo privilegio fruuntur per cons. *In eminenti*, 55 Pauli V. in Bullar. t. 5 par. 5 p. 197.

(2) Consule Benedictum XIV. de Synod. diocæs. l. 5 c. 8 n. 6.

(3) Spolia instituta sunt à Summis Pontificibus ad coercendam avaritiam clericorum, qui multas ex ecclesiasticis bonis quærebant opes, ut iis ditarent consanguineos suos, atque ad tuendos canones, quibus sancitum est, ut Ecclesiæ bona in pios usus conferantur. Narrat inter ceteros Matthæus Paris ad an. 1246, p. 474 ed. Paris. 1644, tres Angliæ Archidiaconos incredibilem quandam pecuniæ vim coarctasse, præter mobilia complutina magni pretii, et ex his duos ab intestato obiisse, quo factum est, ut opes illæ ad laicos pervenirent. *Obierat intestatus*, inquit, *et plura millia marcarum cum vasis multis argenteis, sæculo, et sæcularibus infeliciter dimiserat.* Episcopi, cum ipsis decedentium clericorum spoliolum permitteretur, sæpe vel potentia impediti suum munus exercere non poterant, vel etiam gratia freti ultro negligebant, et sæpe etiam in privatam utilitatem suam convertebant quicquid ex hoc spolio clericorum acceperant. Adde, quod multi Episcopi eodem, quo ceteri clerici, laborabant morbo, studio videlicet ditandi suos ex rebus ecclesiasticis, neque ullus erat, qui de Episcoporum spoliis eam gereret sollicitudinem, quam gerere oportebat. Itaque ut frenum haberet avaritia clericorum, ac sarta tecta servaretur vis legum ecclesiasticarum, Sedes Apostolica curam suscepit honorum, quæ ad clericum ex Ecclesia venerunt, ut ea conferat in pios illos usus, in quos clerici conferre debuissent. Quod si Ecclesia est, quæ spoliis clericorum indigeat, ea facile remittit Sedes Apostolica, ut in illius utilitatem convertantur. Ita Innocentius XII, in constit. *Inscrutabili*, 31. Bullar. t. 9 p. 342, quam constitutionem postea confirmarunt Benedictus XIII, const. *Sacrosancti Apostolatus*, 16, et const. *Romanum decet Pontificem*, 151. Bullar. t. 11 et 12 p. 524 et 152, ac Benedictus XIV, const. *Pastoralis* 57 t. 4 ejus Bullarii p. 57 ed. cit., in Regno Neapolitano decedentium Episcoporum, ac Prælatorum spolia concessit Ecclesiis, quibus illi præfecti fuerant. Recte hinc observat Thomasinus Vet. et nov. Eccles. discipl. par. 3 l. 2 c. 57 n. 3, quod si invidiosa sunt spolia, omnis invidia, et infamia conferenda est, in insatiabilem quandam avari-

tiam, vel beneficiariorum, qui ex stipendiis in pauperes dispergendis quosdam sibi accumulunt thesauros iniquitatis, vel cognatorum, qui in bona pauperibus, et Ecclesiis dedicata succedere gestiunt. Idem habet Baronius ad an. 397 n. 64 t. 6 p. 253 ed. Lucæ, ubi etiam animadvertit, quod qui de Collectorum importuna exactione queruntur, hos facile vitahunt, et prudenter arte deludent, qui bona Ecclesiæ, quæ supersunt, non congregarint, sed in pauperes erogarint.

(N. S. Hic observatione dignum erit, Pontifices Romanos solitos fuisse Apostolicos deputare iudices, qui defunctorum bona Episcoporum susciperent ministranda: Pius V Constit. *Romani Pontificis*; donec novissimo an. 1753 Concordato, jus hoc in Reges nostros transtulerunt, qui per *Generalem Spoliorum Collectorem*, aliosque in singulis Diocesisibus deputatos Collectores relicta, solutis debitis, ab Episcopis decedentibus bona erogant in pios usus, et præcipue S. Cruciatæ: tit. 15 lib. 2. *Novis. Compilat.*

Insuper recenti Caroli III Decreto an. 1771 (leg. 5 in *eiusd.* tit. 15) sancitum est, ex spoliis bonis quoddam in unaquaque Sede Episcopali constituitur pecuniæ caput, ex quo Successoribus expensæ pro Bullarum expeditione persolvantur, et Episcopales ædes adpositæ, uti Episcopum decet, instruantur: ex quo etiam publica instituatur Bibliotheca, Episcoporum etiam libris ad eam instruendam assignatis.)

De *Spoliorum* origine hæc habet Doct. D. Joach. A. del Camino ad *Berardi Inst. Jur. Eccl.*, tom. 2 pag. 551: «El derecho de Espolios parece tuvo principio de la costumbre de los monasterios, donde solian apoderarse los abades de los bienes que dejaban los monges difuntos; aunque yo le daría un origen mas noble y mas antiguo, fundado en la administracion de los bienes de las iglesias perteneciente á los obispos. Lo cierto es que en el siglo XIII se apropiaban estos las cosas de clérigos que morian; bien que abusaban algunos de dicha potestad, hasta llegar á privar sin justa causa á los beneficiados de sus prebendas, por aprovecharse de sus frutos y emolumentos; cap. ult. de *Offic. Ordinar. in VI*; Concilio Constanciense, ses. 59; Concilio de Tortosa año de 1429.»

*Spolium* apud nos, Prælatorum tantum respectu vigeat, ut patet ex *Concordator. 1757 art. 22*, et 1755 cap. 1 §. 4, ac ex: iis, quæ ad hujus titulum §§. ad notata sunt. V. *Novis. Compilat.* lib. 2 tit. 15, legg. et notas; et quæ tom. 1 pagg. 195—96 de *Collectorie* vulgo de *Espolios y Vacantes* suppressione indicavimus.

*Spoliorum* disciplina in Hisp. cessavit novis. Concordati art. 51, ita concepto:

«Viginti derogatur legislationi, quæ *Spolia* Archiepiscoporum et Episcoporum respicit. His proinde fas erit libere, prout sua cuique conscientia suggeret, de illis disponere, quæ mortis tempore reliquerint; legitimis hæredibus ab intestato successuris, eodem conscientie onere gravatis. Utroque tamen in casu excipiuntur ornamenta, et vestes pontificales, quæ Mitræ propria censebuntur, et ad successores in illam transibunt.»

## TITULUS XIX.

## DE REBUS ECCLESIASTICIS NON ALIENANDIS.

1. DE REBUS ECCLESIE NON ALIENANDIS VETUS REGULA.—2. QUID ALIENATIO COMPREHENDAT?—3. QUÆ RES ALIENARI NEQUEANT?—4. VENIA SEDIS APOSTOLICÆ.—5. QUARUM RERUM PERMISSA ALIENATIO SIT?—6. VENDITIO FRUCTUUM BENEFICIORUM, ET HORUM LOCATIO SOLUTIONE ANTICIPATA.

4.

VETUS est regula, Ecclesiæ res alienari non posse, quam regulam et sacri canones (1), et civiles leges (2) ratam firmam haberi voluerunt. Nam sua Ecclesiæ bona sarta tecta servanda sunt, ut ex iis habeant clerici, et pauperes, unde vivant, et Religionis cultus sustineatur. Hodie ea in re jure utimur, quod à Paulo II sancitum est (3).

(1) S. Leo M. ep. 17 ad univ. episc. per Sicil. constit. opp. t. 1 col. 723 ed. Ven. 1755, cujus epistolæ veritatem adversus Quesnelli ratiunculas egregie ostendunt Fratres Ballerini in Not. n. 8, Cacciarus in monit. ad eamd. ep. p. 86 ed. Rom. an. 1755, Tillemontius histor. eccl. not. 9 in vit S. Leon. t. 15 p. 894 ed. Ven. 1732. Eadem lex est Hilarii Pontificis, qui proximus Leonis successor fuit, ep. 8 c. 5 ad Episc. divers. provinc. Gal. apud Labbæum t. 5 concil. col. 67, itemque Symmachi ep. 5 ad Cæsar. eod. t. 5 col. 425, qua quidem epistola S. Symmachus respondet S. Casario Arelatensi, qui eum rogaverat, ut rerum ecclesiasticarum alienationes *Apostolica auctoritate* prohiberet. ib. col. 424. Concilium Ancyranum can. 14 t. 1 conc. Labbæi col. 1498, Carthaginense V. can. 4 t. 2 col. 1455, Agathense can. 7 t. 5 col. 522, Aurelianense III, can. 12 col. 1277, Aurelianense IV, can. 18 col. 1567, et V, can. 15 col. 1540 eod. t. 5, et Nicænum II, can. 12 t. 8 col. 1255, Cyrillus Alexandrinus ep. ad Domnum t. 2 Pandect. can. Beveregii ed. Oxonii 1672 p. 177, quem in locum Balsamon, *vasa*, inquit, *pretiosa Ecclesiarum, seu sacra, et reliqua Deo consecrata, et possessiones immobiles, inalienabilia sunt, et ecclesiis servantur.* Non igitur nova, ut quidam putant, sed vetustissima est canonum regula de rebus Ecclesiæ non alienandis. Confer etiam Decretalium titulum de reb. eccles. alienan. vel non.

(2) Leg. 14 et 17. Cod. de Sacros. Eccles., Novell. 7 c. 1 Vide etiam Capitularia Regum Francorum l. 2 c. 29 col. 502 et l. 6 c. 156 col. 652 t. 1 ed. Baluzii cit., aliæque multa eorundem Capitularium loca, quæ laudat, et expendit Cl. Marnachius in del Diritto libero della Chiesa di acquistare è di possedere l. 5 c. 1 p. 61 et seq., ubi totum hoc argumenti genus graviter, et solide pertractatur.

(3) Extravag. *Ambitosæ* de reb. eccles. alienan. vel non.

2. Pertinet hoc interdictum etiam ad monasteria, hospitalia, ceteraque loca pia, et religiosa, quorum etiam bona ecclesiasticæ



dicuntur, eaque distrahere nefas est (1). Alienationis autem nomen comprehendit venditionem, donationem, permutationem, emphytheusim, locationem, et conductionem ultra triennium (2), pignoris constitutionem, seu nexum, et hypothecam, in feudum concessionem (3), denique omnem conditionem, per quam res Ecclesiae deterior efficitur (4).

(1) Cit. Novel. 7 c. 1, et cit. Extravag. Ambitiosæ.

(2) Vetita est locatio rerum ecclesiasticarum ultra triennium, quando ex iis fructus quoque anno percipiuntur. Nam si ea fructus ferant tantum unoquoque biennio, aut triennio, tunc recte per annos sex, aut novem locatio perficitur. Communis hæc est Canonistarum sententia, quam, præter ceteros, sequitur Fagnanus in cap. 5 de reb. eccles. alienan. vel non, n. 45.

(3) Ead. Extravag. Ambitiosæ, et cap. 5 de Reb. Eccles. alienan. vel non. Vide etiam const. *Hورانة salutis* 152 Urbani VIII, in Bullar. t. 5 par. 5 p. 571, ejusdemque decretum editum die 7. Septembris 1624 apud Giraldum par. 1 sect. 451 p. 292, quo sublata sunt privilegia Regularium, quibus antea res ecclesiasticas, in scia Sede Apostolica, alienare licebat.

(4) Vox hæc *conditionem* occurrit in cit. cap. 5 de Reb. Eccles. alien., et eam tamquam importunam rejiciant Cujacius, et Antonius Augustinus, quod non intelligant, quæ species alienationis conditio sit. Sed recte Innocentius Cironius Paratitl. in Decretal. l. 5 tit. 15 § 3 p. 257 ed. Vindobonæ 1761, vocem illam retinendam esse ostendit, quoniam *conditio* est pactum, per quod rei Ecclesiae detrimentum inferri potest.

3. Neque solum res immobiles Ecclesiae, uti prædia rustica, et urbana, alienari nequeunt, sed etiam res mobiles preliosa, quæ servari possunt; integra armenta, gregesque integri, arbores prædio utiles, ac necessariae, jura, actiones, census, cetera, ex quibus annui fructus capiuntur. Verum alienatio valet, si justa de causa, et adhibitis solemnitatibus facta sit. Causa vel est necessitas, puta æris alieni dissolvendi, cum ei fructibus satisfieri non possit (1); vel utilitatis, si Ecclesiae utilis futura sit alienatio, puta si aedes ruinosa in emphytheusim dentur, vel silvestria loca, agrisque inculti colonis permittuntur, aut terræ longe positæ cum vicinis committantur (2); vel demum pietatis, puta si famis tempore alendi pauperes, aut si captivi redimendi sint (3).

(1) Clement. 1 de Reb. Eccles. non alien.  
(2) Can. 55 c. 12 q. 2, cap. 1 de Rer. permut.  
(3) Can. 45 et seq. et can. 70 et 71 c. 12 q. 2.

4. Solemnitates omnes fere pertinent ad consensum Sedis Apostolicæ, à qua causæ expendantur, iisque recte cognitæ alienatio permittitur (1). Sine consensu Sedis Apostolicæ irrita

alienatio est; præterea qui rem distraxerunt, aut qui distractam acceperunt, pœna plectuntur excommunicationis, si Episcopi, vel Abbates non sint. Nam his Ecclesiae ingressus interdicitur, iidemque, si menses sex in interdicto fuerint, ab omni suspenduntur administratione Ecclesiarum, aut monasteriorum, quibus præfecti sunt. Capitula quoque et aliæ universitates in interdictum incidunt, singuli vero, ex quibus illæ universitates constant, privantur jure electionis, et ecclesiasticis officiis, quorum bona alienarunt, atque ab iis, aliisque perpetuo removen- tur (2). Quod si post alienationem rite factam Ecclesia grave damnum acceperit, ea, non secus ac minor, beneficium habet in integrum restitutionis (3).

(1) Omnes Episcopi in jurejurando, cujus facta mentio est l. 1 tit. 4 sect. 1 §. 2, spondere debent, se, inconsulto Romano Pontifice, non alienaturos suarum Ecclesiarum bona. Egre ferunt hostes Sedis Apostolicæ hoc juramentum, ejusque originem repetunt à celebri Extrav. Ambitiosæ, quam Paulus II. evulgavit. At si vetustissima, uti demonstratum supra est, regula erat, eaque probata Conciliis, Summisque Pontificibus, quod res Ecclesiae alienari non possent, equidem non intelligo, neque intelligere quomquam arbitror, qua in re peccarint Romani Pontifices, cum regulam tam salutarem, tam vetustam, tam probatam, et ubique receptam, firmiorem reddere voluerunt, imposito Episcopis jurejurando, quo si nihil se inconsulto Romano Pontifice, ecclesiasticorum honorum alienaturos promitterent. Falsum autem est, quod hujus sacramenti origo ab Extravaganti Pauli II. repetenda sit. Nam liber Diurnus Pontificum Romanorum à Garnerio illustratus, collectusque sæculo VII., aut initio sæculi VIII., uti ostendit ejus ætatis Codex, quem ipse Garnerius assert in Præf. n. 10 et 11, continet solemnibus verbis eandem hanc promissionem, qua se quisvis à Summo Pontifice consecrandus Episcopus obligabat; cap. 5 tit. 7 p. 64 ed. Paris. an. 1680. Celestinus III., qui sæculo XII. Pontificatum obtinuit, in c. 8 de Reb. Eccl. non alien, memorat *Sacramentum fidelitatis*, quo Ravennatensis Archiepiscopus tenebatur *Apostolicæ Sedi, nihil alienare*. Quam decretalem explanans Glossæ Auctor, qui floruit sæculo XIV, testatur, quod ætate sua, *quilibet Episcopus, qui immediate D. Papæ subest, jurat ei fidelitatem, quod non alienabit bona Ecclesiae, neque infeudabit; et idem juramentum præstant alii Episcopi suis Metropolitanis*. Il vero, qui non immediate suberant Romano Pontifici, jusjurandum emittebant ea formula, quam describit Durandus Mimatensis Episcopus, qui vixit in exitu sæculi XIII, uti legitur in exemplari Vaticano, quod laudat Catalanus Pontific. Rom. t. 5 §. 9 n. 2 p. 290, eoque jurejurando promittebant perpetuam obedientiam *B. Petro, Sanctæque Romanæ Ecclesiae, et ipsi Summo Pontifici*, et Archiepiscopo, cui suberant; spondebantque præterea, nihil se alienaturos *contra jus, vel consuetudinem Eccl. apud Catalanum t. 1 Pontific. tit. 45 p. 254. Consule Cl. Mamachium del Diritto libero della Chiesa, t. 5 par. 1 c. 1 §. 9 pag. 48 et seq.*

(2) Disputant vero periti Juris Canonici, num Extravag. Ambitiosæ ubique vigeat, et num etiam in omnibus locis, in quibus vigeat, obtineant

pœnæ, quæ ab ea constitutæ sunt. Confer Schmalzgrueber l. 3 tit. 43 §. 4 n. 122 et seq., et Giraldum par. 1 l. 3 sect. 444 p. 288.

(5) Cap. 1 de In integr. restit.

(N. S. Hispaniarum Ecclesia, quæ prioribus Ecclesiæ sæculis à voluntariis fidelium oblationibus pendeat (Syn. Illiberit. Can. 26), donata quoque Clericis mercimonium exercendi venia ad *victum exquirendum* (can. 19), jam inde à sæculo VI res immobiles obtinuisse videtur. Id non obscure indicat Syn. Tarracón. an 516, can. 12: constituens siquidem, quod Clerici de intestati Episcopi defuncti bonis, id est, *de utensilibus, vel de omni suppellectili* rationem accipiant, alia præter mobilia bona Episcopos habuisse profecto indicat. Sed expressius Syn. Tolet. II, can. 4. his verbis: « Si quis Clericorum agellos, aut vineolas in terris Ecclesiæ sibi fecisse probatur sustentandæ vitæ causa.... post suum de hac luce discessum.... jus suum Ecclesiæ Sanctæ restituat. »

Jam diu apud Majores nostros obtinebat, quod nefas esset Episcopis res Ecclesiæ distrahere. Ad rem Synod. Tolet. III. can. 3: « Hæc Sancta Synodus nulli Episcoporum licentiam tribuit, res alienare; quoniam et antiquioribus Canonibus prohibetur. Opportunum est enim (ait Syn. Tolet VI can. 15), ut sicut fidelia servitia hominum non existere censuimus ingrata, ita Ecclesiis collata (quæ proprie sunt pauperum alimenta) eorum in jure pro mercede offerentium maneat inconvulsa. » Poterat tamen Episcopus justa nonnullam compensatione uti, ac tantumdem sibi recuperare, vel de bonis Ecclesiæ consanguineis elargiri, quantum ille prius Ecclesiæ præbisset indigentibus; id quod de *mancipis* præsertim intelligas ex Syn. Hispal. I can. 2, et Tolet. IV can. 47, alias 46. « Episcopi vero (ita decernit) qui nihil ex proprio suo Ecclesiæ Christi compensaverunt.... Divinam sententiam metuant, et liberos ex familiis Ecclesiæ ad condemnationem suam facere non præsumant... Tales igitur liberos successor Episcopus, absque aliqua oppositione, ad jus Ecclesiæ revocabit; quia eos non æquitas, sed improbitas absolvit. » Non enim defuerunt Episcopi, qui nedum Apostolicæ, qua ordinabantur, dignitatis, sed et justitiæ, et æquitatis obliti, vel peculii augendi, vel consanguineorum distandorum causa, plures exorbendæ Ecclesiæ substantiæ rimas excogitarunt, ut servorum Ecclesiæ operas in suam referrent utilitatem. Hos acerrime insectata est Syn. Bracar. III can. 9, eos ad pœnam talionis constringens. Quæ sequuta sunt Concilia, interdixere etiam honorum Ecclesiæ alienationem: Patent. videlicet an. 1588, cap. 4. Constitutiones hæc in re in Lugdunensi, et Viennensi editas confirmans; Hispal. an. 1512, cap. 51 et 52, Constitutionem Pauli II *Ambrosiæ* renovans; irritam quoque declarans, si qua forte facta fuerit alienatio, sine ullo elapsi temporis præjudicio. In *Decretalib. Greg. IX Sect., Clement., Extravag. Communibus*, plura collecta sunt R. Pontificum Decreta, quibus rerum Ecclesiasticarum vetatur alienatio. Denique Syn. Trid. Sess. 25 Ref. cap. 11. locationes spiritualis jurisdictionis penitus interdixit; ac honorum Ecclesiasticorum ad longum tempus confectas, Synodo Provinciali dijudicandas reliquit. Quocirca Syn. Tolet. an. 1582, Act. 2 Decret. 11. Episcopos hortatur, ut longi temporis locationes « ultra tempus à jure permissum, in damnum Ecclesiæ, et contra Canonicas sanctiones factas.... nullas, irritasque decernant. » Reges etiam nostri, Ecclesiæ tutelam addictissimi, pro ejusdem Ecclesiæ rebus conservandis nihil non egere: Wamba leg. 46 tit. 4 *Fori Juric.*, can. 5 Concilii Toletani XI confirmans, et leg. 3 tit. 1 lib. 5 *ejusd.*: Alphonsus Sapiens leg. 1 tit. 14 Partit. 1: et Henricus II leg. 2 tit. 5 lib. 4 *Novis. Compilat.*, decernens, quascumque alienatas Ecclesiæ res, Ecclesiæ restituendas esse, ab eaque, si in ejus utilita-

tem venditio obtinerit, tradendum esse pretium emptori; non è converso.

Tres potissimum justas res Ecclesiæ alienandi causas, nimirum, Necessitatem, Utilitatem, et Pietatem, recensuit Alphonsus leg. 1 *ibid.*

In Hispaniarum Ecclesia, consueverunt Episcopi Clericis, sustentandæ vitæ causa, vel benefactoribus laicis, agellos *sub precariæ nomine* tradere excolendos: Syn. Tolet. VI can. 5, et Tolet. IX Can. 5.

Integrum erat Episcopo, vel in Ecclesiarum, aut Monasteriorum constructionem, vel in subveniendi Clericorum, et pauperum indigentis, vel in hospitandis peregrinis, sive in aliis id genus pietatis operibus, ex Ecclesiæ bonis aliquid expendere: Synod. Tolet. III can. 3; dummodo detrimentum non inferret Ecclesiæ, can. 4; cum hoc tamen discrimine, quod in Ecclesiis, vel sepulchrorum constructione *centesimam* duntaxat partem, in Monasteriorum vero *quingagesimam* insumere poterat; « ut hac temperantia æquitate servata, et cui tribuit, competens subsidium conferat, et cui tollit, damna gravia non infligat; » ut ait Syn. Tolet. IX can. 5.

Episcopi omnem adhibere curam tenebantur, ne ex fraude, aut negligentia in contractu fortassis interveniente, quidquam detrimenti Ecclesia pateretur. Unde ab Episcopo prædium aliquod cuiquam ad ipsius vitam retinendum præstatur, causam præstiti in tabulis necessario describendam voluit Syn. Tolet. IX can. 3. Immo in precariarum scriptura omne id, ad quod precantes ligabantur, exprimendum erat, « ut nec per detentionem diurnam præjudicium adferat (*precans*) Ecclesiæ, et quæcumque in usum perciperit, debeat utiliter laborare, ut nec res Divini juris videatur aliqua occasione negligi, et subsidium ab Ecclesia, cui deserviunt, percipere possint Clerici; » Synod. Tolet. VI Canone 5. Porro hæc potestate quum nonnulli abuterentur Episcopi, constitutum est, ut si res immobilis, vel mobilis pretiosa distrahenda esset, in Synodo Episcoporum discuteretur, num revera id legitima necessitatis, utilitatis, aut pietatis exposceret causa: can. 59 *Cod. African.* Hilarius P. Epist. 8.

Porro sequutis temporibus ea hæc in re vixit disciplina, quam descriptam legere est in Decretali à Gratiano Leoni M. tributa: can. 52 caus. 12 q. 2; nimirum, ut satis Episcopo esset Cleri, sive Capituli tractatus, et consensus: nomine *tractatus* causæ discussionem, et cognitionem intelligendam, notant communiter Canonistæ. Id perspicue tradit Synod. Tolet. IV can. 68 alias 69, his verbis: « Episcopus, qui mancipium juris Ecclesiæ, non retento Ecclesiastico patrocinio, manumitti desiderat, duo meriti ejusdem, et peculii coram Concilio Ecclesiæ, cui præeminet, per commutationem, subscribentibus Sacerdotibus, offerat, ut rata, et justa inveniatur definitio commutantis. »

5. Sunt tamen nonnullæ res ecclesiasticæ, quarum, etiam sine venia Sedis Apostolicæ, permessa alienatio est. Huc spectant ea, quæ servando servari, ac retineri non possunt, uti sunt fructus arborum, frumentum, et similia; quæ vetusto usu locari, aut in emphytheusim dari consueverunt, quoniam hæc, finita locatione, aut emphytheusi, iterum conceduntur iisdem, quibus antea, pactis, et legibus; terrulæ, vineolæ non fertiles, resque ceteræ exigui pretii (1); denique collata in monasterium, aut locum pium, à quo ea retineri nequeunt. Ita legatum Ca-

puenis, aliisque similibus recte distrahitur. modo pretium in Ecclesiæ, aut monasterii utilitatem convertatur (2).

- (1) Can. Terrulæ c. 12 qu. 2.
- (2) Consule Faganum in c. 5 de Reb. eccles. alien. vel non. n. 19 et seq.

6. Pertinet etiam ad alienationem rerum ecclesiasticarum venditio fructuum beneficiorum, quos aliquis in alium confert vel ad longum tempus, vel quandiu vivit, accepta pecunia, qua fructus æquet, quos probabile est beneficiarium consequuturum esse. Irrita hæc venditio est, et secumfert pœnam excommunicationis, constitutam adversus omnes, qui res Ecclesiæ alienarunt (1). Nec prætereunda locatio honorum ecclesiasticorum, ex qua in perniciem sucesoris capiuntur fructus, antequam veniat eorum solvendorum dies. Locatio hæc non obstringit sucesorem, cui beneficiarius sua illa festinatione fructus præripere non potest (2).

(1) Benedictus XIV, Constit. Universalis 29 ejus Bullar. t. 1 p. 41 ed. Roman. seu Ven. 1754.

(2) Concilium Tridentinum sess. 25 c. 11 de Reform.

(N. S. Quin et piissimi Reges nostri, legg 3 et 4 tit. 5 lib. 1 *Novis. Compilat.*, vasa sacra, et alia quælibet Ecclesiæ utensilia, non solum vendere, sed etiam pignori subicere vetuerunt, pœna dupli, et æstimationis inflicta in eos, qui vel negaverint, vel non detegerint rem sibi venditam, aut pignoratam fuisse. Si vero, propter belli necessitatem, aliquando contigerit, quod vasa sacra, seu pretiosa Ecclesiæ mobilia Reges sumpserint utenda, hoc tamen cum restitutionis spe fieri declaravit Joannes II l. 8 *ibid.*)

Ecclesiæ bona vendere ac occupare, in Hispania legg. 2 tit. 2, 4 ad 8 cit. 5, lib. 1 *Novis. Compilat.*, severe prohibitum. Si quando de talibus rebus, præter casum leg. 8 nuper citatæ, quæ de movilibus tantum agit, pro publicis Regni necessitatibus disponi contigit, non id à Regibus nostris factum absque Apostolicæ Sedis concessionem; ut ex Brevi an. 1574 à Philippo II obtento, et ex alio 14 Jun 1805, à Carolo IV similiter impetrato, (leg. 1 tit. 5 lib. 1 *Supplement. Novis. Compilat.*), apparet.

Attamen, generatim vendenda Eccles. Hisp. bona, constituit lex 2 Sept. 1841: monasteriorum enim et Conventuum proprietates ab an. 1835 alienari cœperant; quod sanxit lex 29 Julii 1837. — Sed. Reg. decreto 26 Jul. 1844 cleri sæcularis honorum venditionem suspendi jussum. — Lex item 5 April. 1845, sic se habet: « Los bienes del clero secular no enagenados, y cuya venta se mandó suspender por el Real decreto de 26 de Julio de 1844, se devuelven al mismo clero. »

Novissimi nunc Concordati sanctiones, quæ ad rem pertinent, exhibemus; videlicet:

Art. 55. §. ult. « Iisdem præterea (id est, Monacharum communitatibus) eorumque loco, Ordinariis præsulibus, in quorum territorio dicta cœnobîa existant, vel ante nuperrimas Hispaniæ vicisitudines extiterint, statim et sine mora restituentur bona ad illa pertinentia, quæ in Gubernii potestate adhuc manent, et alienata nequaquam fuerunt. Verum Sanctitas Sua, per-

spensis præsentis ipsorum honorum conditione, aliisque peculiaribus causis, quo ipsorum reditu adjectis, cæterasque communes impensas majori æqualitate attendi queat, permittit ac statuit, ut Prælati ad hujusmodi honorum venditionem, nomine religiosarum familiarum, quibus illorum proprietates competit, immediate et sine mora deveniant. Venditiones ad hastam publicam, servata forma canonica, et nominata per Regium Gubernium persona interveniente, perficiantur, et quidquid ex iis redibit, in eos reditus convertatur super Regni debito fundatos, qui vulgo audiunt: *inscripciones intransferibles del tres por ciento*. Eorum porro sors et fructus inter memorata cœnobîa, pro singulorum necessitate, et circumstantiis, distribuentur, ad faciendum satis enuntiatis sumptibus, pariterque pensionibus pro Religiosis, quæ ad ipsarum perceptionem jus habeant; firma Gubernii obligatione subministrandi, ut hactenus, quod necesse sit ad plenam earundem pensionum solutionem, quamdiu participes vita fruuntur....

Ex art. 58. « Inspectis tamen præsentis utrorumque honorum (nempe, et eorum, quæ ex allata lege an. 1845 devoluta non fuere, ac cæterorum, quæ ex religiosorum virorum communitatibus procedentia, nondum alienata fuerant) conditione, ac proinde evidenti Ecclesiæ utilitate, Sanctitas Sua permittit, ac statuit, ut constitutum ex iis pretium statim, et sine mora commutetur cum reditibus super Regni debito fundatis, vulgo *inscripciones intransferibles del tres por ciento*; servatis omnino forma ac regulis, quæ de venditione honorum ad Sacerdotalium familiarum pertinentium, articulo trigessimocinco præfixæ sunt.... »

Art. 42. « His præhabitis, attenta utilitate, quæ causa Religionis ex hac Conventione dimanatura erit, Summus Pontifex, instante Majestate Sua, ad publicam tranquillitatem tuendam, decernit, ac declarat, illos, qui bona ecclesiastica, in præteritis Catholici Regni vicibus, juxta latas tunc civiles ordinationes, emerunt, eorumque possessionem adepti sunt, atque alios ab emptoribus ipsis causam habentes, nullam ullo tempore molestiam habiturus, neque à Se, neque à Romanis Pontificibus, successoribus suis; immo vero eorundem honorum proprietatem, reditus et emolumenta, tuta, et pacifica fore penes ipsos, atque ab iis causam habentes. »

Pro exequenda isthæc præcepta honorum eccl. venditione, lata maxime decreta 8 et 9 Decemb. 1851, ex quibus postremum adsentiente S. Sedis R. Nuntio prodit.

Ex allato art. 58, perspicue demonstratur, alienationi non subjacere bona, quæ ex lege 5 Aprilis 1845 sæculari clero devoluta fuerant.

Quoad art. 42, notanda verba *His præhabitis*, ac sequentia, ejus initio posita, de quibus alibi hæc consignavimus: « Las palabras *En este supuesto*, etc. indican, que Su Beatitud se ha prestado à esa concesion, en virtud de las seguridades que le dió el Gobierno de S. J. M., de contribuir puntualmente al culto y clero con las dotaciones señaladas en el mismo Convenio, de que se devolverian los bienes à que se refiere su artículo 58 hácia el fin, de que se cumplirian las cargas piadosas segun el 59, y de que la propiedad de la Iglesia y su derecho de adquirir serian respetados, como se contiene en los dos siguientes. »

TITULUS XX.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM IMMUNITATE.

1. ET 2. UNDE REPETENDA IMMUNITAS BONORUM ECCLESIASTICORUM?—3. PENA IMPOSITA, ET SOLVENTIS TRIBUTA EX BONIS ECCLESIASTICIS.—4. ONERA INFIXA BONIS ECCLESIASTICIS, ET BONA PATRIMONIALIA CLERICORUM.

**E**CCLESIASTICA bona sunt, quæ ad Ecclesiam pertinent, et quorum reditus in sacris alendis ministris, atque in sustentandis pauperibus impendendi sunt. Bona hæc ad Ecclesiam pertinere dicuntur, quod ipsa eorum habet administrationem, atque custodiam; sed revera propria sunt Dei, ideoque in hominum commercio versari non possunt (1). Inde repetenda est eorum immunitas à tributis, et vectigalibus, quæ à laicis imponuntur; atque hæc immunitas non hominum privilegio data, sed ex ipsa eorum natura in bonis ecclesiasticis penitus affixa, atque insita est (2). Si quando Christus, cum inter homines versaretur, tributum solvit (3), id quidem fecit voluntate, et arbitrio suo, ut omnem scandali causam removeret (4), non quod aliqua humana ad solvendum lege cogi posset (5); neque vero solvi voluit ex loculis, in quibus erat patrimonium pauperum, et Apostolorum (6).

(1) Adeundi sunt S. Gregorius Nazianzenus Ep. 80 p. 853 seqq. opp. t. 4 ed. Colon. 1690. S. Ambrosius de Pœnitent. l. 2 c. 8 n. 75 p. 549 et Ep. 20 ad soror. n. 3 p. 993 opp. t. 5 ed. Ven. cit.

(2) Consule Thomassinum Vet. et nov. eccles. disciplin. par. 3 l. 1 c. 55 n. 15, et Cl. Mamachium «del Diritto libero della Chiesa di acquistare è possibile beni temporali» l. 2 par. 1 c. 1 p. 212 seqq. et l. 2 par. 2 c. 5 p. 95 seqq.

(3) Mathæus XVII, 25.

(4) S. Hilarius in Matth. c. 17 n. 41 p. 696. ed. Paris. 1693; S. Joannes Chrysostomus Hom. 58 in Matth. n. 4 p. 585 t. 7; S. Ambrosius Ep. 7 n. 42, 45, 18 p. 312 seqq. opp. t. 5; S. Augustinus Enarrat. in psalm. 157 n. 46 col. 1555 opp. t. 4; S. Hieronymus in Matth. l. 5 c. 17 col. 156 opp. t. 7 ed. Veron.

(5) Hinc merito ab Joanne XXII damnatus est error Marsilii Patavini, et Janduni, agentium, Christum, cum staterem ex piscis ore sumptum tributum loco solvit iis, qui petebant didrachma, hoc fecisse non condescensive, et liberalitate sue pietatis, sed necessitate coactum, apud Raynaldum ad an. 1527 n. 19 p. 545 t. 5 ed. Luc.

(6) Mathæus cit. c. 17 v. 23 seq., ita rem narrat: *Acceserunt, qui di-*

*drachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? Ait etiam: et cum intrasset in domum, prevenit eum Jesus dicens: Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel census? A filiis suis? an ab alienis? Et ille dixit: ab alienis. Dixit illi Jesus: ergo liberi sunt filii: ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mille hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus, invenies staterem: illum sume, da eis pro me, et te. Quo ex loco colligunt Patres, Christum se tributum lege solutum declarasse, id tamen solvisse arbitrio suo, ne publicanos scandalizaret; præterea non ex loculis, sed ex staterem in ore piscis invento, tributum pendere voluisse, ut ostenderet, tributum onere non teneri loculos, in quibus pauperum, et Apostolorum patrimonium consistebat. Ita S. Hieronymus l. 5 in Matth. c. 17 col. 156 t. 7 ed. cit.; S. Agobardus de Dispensat. eccl. c. 19 p. 287 et seq. opp. t. 4 ed. Paris. 1666.; S. Thomas in Summa 22 qu. 188 art. 7. Van-Espenius, cujus in figendis epochis temporum magna semper confidentia, et insignis, ut plurimum, fallacia, atque insectia est, ita rem narrat in Jur. Eccles. univers. part. 2 tit. 55 n. 51, quasi Agobardus primus animadvertit, quod Christus ex loculis tributum pendere noluit, ut ostenderet, nihil ex pauperum, Sacrorumque ministrorum patrimonio esse detrahendum. Sed errat vehementer. Nam Hieronymus, qui ante quadringentos, eoque amplius, annos, quam Agobardus floreret, vitæ usura fruebatur, hoc ipsum animadvertit, et ejus l. c. verba sunt hæc: *Quod si quis objicere voluerit, et quomodo Judas in loculis portabat pecuniam? Respondebimus: rem pauperum (Christus) in usus suos convertere nefas putavit, nobisque idem tribuit exemplum.**

2. Privilegium referri potest ad bona patrimonialia clericorum; sed hoc privilegium naturali æquitate nititur, non ex mera hominum voluntate, arbitrioque processit. Nam in civitate gratiosos esse decet, qui curam, et sollicitudinem habeant rerum spiritualium, et omnino æquum est, ut quæ illi sustinent, propter sacrum officium, et ministerium, onera, compensatione immunitatis à tributis, et vectigalibus alleventur (1). His è fontibus hausta est immunitas bonorum clericorum, et his fundamentis nituntur leges, quibus eadem probata est.

(1) S. Thomas Lect. 1 in Ep. ad Roman. c. 15, ab hoc, inquit, debito, solvendi tributa, *liberi sunt clerici ex privilegio Principum. Quod quidem æquitatem naturalem habet. Hoc autem ideo æquum est, quia sicut reges sollicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus, ita ministri Dei in spiritualibus; et sic per hoc, quo Deo in spiritualibus ministrant, recompensant Regi, quo pro eorum pace laborat.*

3. Quare Ecclesiarum, et Clericorum bona non subsunt tributis, et vectigalibus laicorum: sacrisque interdicitur ei, qui his oneribus, sine venia Summi Pontificis, ea subjeicit (1). Imo ne à sponte quidem pecuniam dantibus pro tributis, et vectigalibus, accipere fas est, quique hanc pecuniam sponte dederunt, et qui acceperunt, pari anathematis plectuntur pœna (2).

(1) Cap. 4 et 7 de Immunitat. Eccles.  
 (2) Cap. 5 eod. in 6. Sed pœnam à Bonifacio VIII. constitutam in cit. c. 5, Benedictus XI. in Extrav. unie. de Immunit. Eccles. int. Commun., tantum habere locum voluit adversus laicos, qui à clericis pecuniam exigent, non qui à sponte dantibus acciperent. Clemens autem V. in Clem. unie. eod. tit. Bonifacii constitutionem abrogavit, legemque dixit, ut in ea re Lateranensia decreta comprehensa in c. 4 et 7 de Immun. eccles. observarentur. Verum Leo X. in Concilio Lateranensi V. Bonifacii constitutionem integravit, pœnamque excommunicationis obtinere voluit contra omnes, qui onera patrimonialia ecclesiasticis imponerent, quique eadem exigent, aut etiam à sponte dantibus acciperent, uti patet ex Const. *Superna*, edita die 5 Maji 1514, §. 40. Hodie igitur hæc Leonis constitutio, et quæ legi solet in die Cœnæ Domini observanda est; quas quidem constitutiones una cum ceteris Conciliorum decretis, quæ ad ecclesiasticam immunitatem pertinent, ab omnibus diligenter observari jubet Concilium Tridentinum sess. 25 c. 20 de *Reform.*

4. Sed onera, quæ bonis inhærent, etiam ab Ecclesiis pendenda sunt (1); modo ex iis bonis Ecclesia fundata, et constituta non sit (2), et modo perpetuum esset, rei que infixum onus antequam eadem ad Ecclesiam pervenirent (3). Ecclesiarum bonis æquantur bona monasteriorum, hospitalium, similium, itemque bona, in quibus sacrum clericum patrimonium est constitutum; nam hæc similiter insitum habent in se privilegium immunitatis, cujus gratia laicorum tributis, et oneribus non subji-ciuntur; cetera vero patrimonialia bona clericorum non eodem omnino censentur jure, quo bona Ecclesiarum, sed iis tantum gaudent privilegiis, quæ nominatim in jure expressa sunt (a).

(1) Can. 22 c. 23 qu. 8., c. 5 de Pignor. c. 55 de Decim. Itaque à cunctis tributis, etiam quæ erant imposita, antequam res ad Ecclesiam perveniret, immunis est situs Ecclesiæ, ac cœmeterii pro sepulturis, hortus juxta Ecclesiam positus, et similia can. 24 c. 25 qu. 8. Adeundus Fagnanus in c. *Non minus* 4 n. 8 et seq. de Immun. eccl.  
 (2) Consule Fagnanum in cit. cap. *Non minus*, et Giraldum Exposit. Jur. Pontific. par. 1 l. 3 tit. 49 sect. 654 l. 1 p. 460 seqq., ubi cuncta fere habes, quæ ad realem Clericorum immunitatem pertinent.  
 (3) Vide Fagnanum in cap. *Episcopus* 4 de Præben. et dignit. n. 55 et seq. et Giraldum l. c.  
 (a) Vide tom. 1 pag. 91—95.  
 Huic tit. accomodari potest novissimi Concordati art. 41, cujus en literam:

• Ecclesia insuper jus habebit novas legitimo quovis titulo acquirendi possessiones: ejusque proprietates, in omnibus, quæ nunc possidet, vel in posterum acquirere, inviolabilis solemniter erit.—Proinde, quoad antiquas novasque ecclesiasticas fundationes, nulla vel suppressio, vel unio fieri poterit absque interventu Auctoritatis Apostolicæ Sedis; salvis facultatibus à Sacro Concilio Tridentino Episcopis tributis.  
 Ecclesiæ jus acquirendi, absolute isthic pronuntiatum, excludit apud nos

usum Regaliæ vulgo de *Amortizacion*: cujus vi, in aliquibus Nationibus, vel prohibita successivæ Ecclesiarum, ac corporum ecclesiasticorum, sæcularium vel regularium, acquisitiones, vel fieri haud permissum absque civilis Potestatis consensu, et prævia præstatione respectivis legibus sancita.

Quid hæc de re apud nos vigeret ad recens usque tempus, brevissime cum celebri Hispan. jureconsulto consignabimus: « Desde Constantino el Grande. primer Emperador Cristiano, se permitió la adquisicion de bienes à la Iglesia, como consta de la ley 1.ª titulo de *Sacrosanctis Ecclesiis*. Esta misma facultad disfrutó la Iglesia de España durante la dominacion goda y durante la restauracion, y hasta nuestros dias, aunque con las modificaciones que paso à manifestar. En los reinos de Valencia y Mallorca debia preceder el Real permiso, y el pago de los derechos de amortizacion y sello, só pena de nulidad. En los reinos de Castilla y Leon se aspiró à lo mismo bajo el reinado de Alonso VI; exceptuando empero la Iglesia de Toledo. Tambien lo intentó S. Fernando, tercero de este nombre; pero no llegó à arraigarse esta legislacion: y la primera ley prohibitiva fué la de 27 de setiembre de 1820. Hasta entonces las restricciones únicas fueron, la quinta parte del valor de lo adquirido segun la ley de D. Juan II en 1452 (12 tit. 5 lib. 4 Novis. Compilat.), elevada al 4, ó sea al 25 por 100, en 1815 (Reg. Decret. 15 Octob.); y la de quedar los bienes de las *Manos Muertas*, adquiridos despues del Concordato de 1757, sujetos à cargas y tributos, como en manos de legos (art. 8 ejusd. Conventionis, leg. 14 citat. tit. ac libri); salvo cuando se tratase de la dotacion primitiva de las Iglesias, que se llama *Manso*. De esta resea resulta, que no hubo novedad alguna esencial sobre esta materia desde los primeros siglos hasta nuestros dias.»

Quoad ejus, de quo agitur, statuti apud nos originem, probabilis videtur, primam legem de *Amortizacion*, ut ajunt, editam fuisse in foro Conchensi, ab Ildephonso VIII. an. 1190 concessa. V. ea de re citati tit. *Novis. Compilat. legg.*, à 12 allata ad 20, cum notis.  
 Secunda ejusdem articuli pars Ecclesiæ Hisp. honorum immunitati apprimè consulit, dum pro novis pariter ac antiquis fundationibus vel uniendis vel supprimendis, Sanctæ Sedis auctoritatis interventum exigit, extra casus in quibus ea de re Episcopi agere possunt ex communibus canonum sanctionibus.

Pro istius autem tom. coronide, inserere juvat quæ pro allatarum novissimi Concordati dispositionum firmitate, ejus ad calcem constituta sunt: sci licet:

- Art. 45. Cætera ad res, et personas ecclesiasticas pertinentia, super quibus provisum non est articulis præcedentibus, dirigentur omnia, et administrabuntur juxta canonice vigentem Ecclesiæ disciplinam....  
 Art. 45. Per solemnem hanc Conventionem leges, ordinationes, et decreta, quovis modo, et forma in Hispaniarum dominiis hæctenus lata, in quantum illi adversantur, abrogata habebuntur; ipsaque Conventio, ut lex Status, deinceps eisdem in dominiis perpetuo vigeat. Atque idcirco utraque contrahentium pars spondet, Se, successoresque suos, omnia et singula, de quibus in his articulis utrimque conventum est, sancte servaturos. Si qua vero in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas sua, et Regia Majestas invicem conferent ad rem amice componendam.»



UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON  
DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

RECENSIO

TITULORUM ET SECTIONUM

TOMI SECUNDI.

LIBER II.

TITULUS I.

	Pag.
<i>De rerum divisione.</i> . . . . .	2

TITULUS II.

<i>De Sacramentis.</i> . . . . .	4
SECT. I.— <i>De Baptismo.</i> . . . . .	20
SECT. II.— <i>De Confirmatione.</i> . . . . .	45
SECT. III.— <i>De Eucharistia.</i> . . . . .	52
SECT. IV.— <i>De Pœnitentia.</i> . . . . .	89
SECT. V.— <i>De Extrema Unctione.</i> . . . . .	112
SECT. VI.— <i>De Ordine.</i> . . . . .	119
SECT. VII.— <i>De Matrimonio.</i> . . . . .	122
SECT. VIII.— <i>De Sponsalibus.</i> . . . . .	127
SECT. IX.— <i>De Matrimonii impedimentis.</i> . . . . .	132
SECT. X.— <i>De Impedimentis impediens.</i> . . . . .	166
SECT. XI.— <i>De Divortiiis.</i> . . . . .	168

TITULUS III.

<i>De Indulgentiis, et Remissionibus.</i> . . . . .	174
---	-----

TITULUS IV.

<i>De Divino Officio.</i> . . . . .	180
-------------------------------------	-----

TITULUS V.

*De Festorum celebratione.* . . . . . 189

TITULUS VI.

*De Jeuniis.* . . . . . 196

TITULUS VII.

*De Rebus Sacris, et primum de Ecclesiis.* . . . . . 206  
 SECT. I.—*De consecrandis, et reconciliandis Ecclesiis.* . . . . . 220  
 SECT. II.—*De immunitate Ecclesiarum.* . . . . . 223  
 SECT. III.—*De Capellis, et Oratoriis.* . . . . . 235  
 SECT. IV.—*De sacris vestibus, vasis, ceteris ad Ecclesiam  
 pertinentibus.* . . . . . 236

TITULUS VIII.

*De Reliquiis, et veneratione Sanctorum.* . . . . . 241

TITULUS IX.

*De Sepulturis.* . . . . . 244

TITULUS X.

*De Monasteriis.* . . . . . 252

TITULUS XI.

*De Seminariis Clericorum.* . . . . . 257

TITULUS XII.

*De Hospitalibus.* . . . . . 261

TITULUS XIII.

*De Rebus Temporalibus Ecclesiae.* . . . . . 264

TITULUS XIV.

*De Præbendis, et beneficiis.* . . . . . 271  
 SECT. I.—*De vetita beneficiorum multitudine.* . . . . . 276  
 SECT. II.—*De coniungendis, ac dividendis beneficiis.* . . . . . 281  
 SECT. III.—*De Commendis Beneficiorum.* . . . . . 286  
 SECT. IV.—*De Pensionibus Ecclesiasticis.* . . . . . 291  
 SECT. V.—*De adipiscenda beneficiorum possessione.* . . . . . 295

TITULUS XV.

*De Censibus, Exactionibus et Procuracionibus.* . . . . . 297

TITULUS XVI.

*De Decimis.* . . . . . 303

TITULUS XVII.

*De Primitiis, Oblationibus, ceterisque temporalibus bonis  
 Clericorum.* . . . . . 312

TITULUS XVIII.

*De Peculio Clericorum.* . . . . . 320

TITULUS XIX.

*De Rebus Ecclesiae non alienandis.* . . . . . 325

TITULUS XX.

*De Immunitate bonorum Ecclesiasticorum.* . . . . . 332

FINIS LIBRI SECUNDI.



## ERRATA NOTANDA.

PAG.	LIX.	LEGITUR.	CORRIGE.
41	50	Sponsonem	Sponso
72	24, 25	nunc—suo	num—seu
114	43	potentibus	petentibus
119	ult.	455	128
140, 175	23, 28	19	15
148	23	quorum	quarum
223	19	Sect. XI	Sect. II
252	15	abjectæ	adjectæ
257	50	benedictionem	benedictione
256	ult.	non	nos
264	28	Tit. III	Tit. XIII
270	41	Hispalis	Hispli
282	2	(1)	supprime

### OMISSA IN TOMO I.

555	14	quod	supprime
541	2	decreto	decret.
Ib.	9	attingentes	attingentibus
545	4	1012	1020

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS







EC